

61
H. a. G. 4

Number	4
Volume	36
Page	116

[Faint, illegible handwriting]

[Faint, illegible handwriting]

2 400 40 *[Illegible]* MADE IN U.S.A.



Del Collegio della Comp.^a di Gesù di Granada B. de

R-11845

IOANNIS STEPHANI

D V R A N T I

SECRETIORIS REGII

CONSISTORII CONSILIARII

AMPLISSIMI SENATUS TOLOSANI

PRIMI PRAESIDIS

DE RITIBVS ECCLESIAE

CATHOLICAE

LIBRI TRES.

CVM PRIVILEGIIS.



R O M Æ

Ex Typographia VATICANA:

M. D. XCI.



GREGORIVS EPISCOPVS
SERVVS SERVORVM DEI

Ad futuram rei memoriam.


Gregorius, sicut accepimus, dilectus filius Dominicus Basa Venetus nostrae Typographiae Vaticanae praefectus, ad omnipotentis Dei gloriam, & laudem, ac populi Christiani edificationem quoddam nobis opus Ioannis Stephani Durantis de ritibus Ecclesiae Catholicae inscriptum, nondum hactenus impressum, iamque a dilecto filio Magistro sacri Palatii visum, & approbatum imprimere, & typis excudere seu imprimi, & excudi facere intendat, iamque ad hunc finem multis sumptibus, & expensis fecerit, verum dubitet, ne opus ipsum ad eius imitationem imprimatur, in graue eiusdem Dominici damnum, & prauidicium. Nos igitur dicti Dominici indemnitati, ac simul publicae vilitati, & commoditati in praemissis opportune consulere, ipsumque Dominicum specialibus favoribus, & gratiis protegi volentes, eiusdem Dominici supplicationibus in hac parte inclinari, omnibus, & singulis virisque sexus Christianis, praesertim librorum impressoribus, ac bibliopis, quocumque nomine nuncupatis, tam in Alma urbe, & illius districtu, quam toto nostro statu Ecclesiastico notis, & S. R. E. mediate, vel immediate subiecto, sub indignationis nostrae, ac etiam quingentorum ducatorum auri de Camera, pro vna Camera Apostolica, & pro alia dicti Dominici, pro alia accusatori, pro reliqua vero quarvis illorum partibus iudici exequenti, necnon amissionis Typorum, librorum, & operum eidem Dominico, & suis infra scriptis irremissibiliter applicandorum poenis toties ipso facto, etiam absque declaratione eiusdem Iudicis incurrendis, quoties contrauentu fuerit districtius inhibemus, & interdicimus, ne per decem annos a primena dicti operis impressione computandos opus ipsum, in toto vel parte, & tam latino, quam quocumque alio idioma, & tam sub eodem quam sub quocumque alio titulo, nec etiam cum quibusvis additionibus, summarijs, glossis, vel interpretationibus, neque etiam sub cuiuscumque alterius generis adiunctionibus ad eandem materiam accedentibus, vel illam repetentibus, aut ei similibus etiam ad instantiam cuiusvis alterius persona, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, praerogativa, & conditionis fuerint, quousvis colore, vel ingenio imprimere, & typis excudere, seu, imprimi, & excudi facere, aut etiam alibi, aut ab alijs impressum, vel in lucem editum vendere, aut venale, seu alias quomodolibet proponere, tenere, vel habere, aut cuiquam etiam mutuo, dono, precario, vel alio quouis titulo concedere, seu exemplum inde sumere, per se vel alium, seu alios audeant, vel praesumant: nisi ad hoc ipsius Dominici, ac herodum, & successorum suorum, vel ipsius, & causam ab eis pro tempore habentium expressus accesserit assensus, de quo per cedulam eius vel eorum manu propria subscripam consistare debeat. Et nihilominus vniuersis, & singulis venerabilibus fratribus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filiis eorum Vicarijs, & officialibus, nec non quibusvis alijs locorum ordinarijs, & reliquis in dignitate Ecclesiastica constitutis, etiam quacumque dignitate & auctoritate fungentibus harum serie, & in virtute sanctae obedientiae praecipiendo mandamus, ut quoties pro parte dicti Dominici fuerint requisiti, vel eorum aliquis sacri requisiti eidem Dominico, & suis praedictis, in praemissis efficacis defensionis praesidio assistant, eaque obseruari mandent, & faciant, ac contra inobedientes, & rebelles, per praedictas, & alias eis beneuolentis sententias, censuras, & poenas, etiam illas saepius aggravando, appellatione remota procedant, & exequantur. Inuocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachij secularis. Non obstantibus praemissis, ac apostolicis, & in vniuersalibus, Prouincialibusque, & synodalibus Concilijs, editis, specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus necnon quibusvis statutis, consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, privilegijs quoque, indulgijs, & litteris Apostolicis quibusvis superioribus, & personis in genere, vel in specie, sub quibuscumque tenoribus, & formis, etiam Motu simili, ac alias in contrarium forsitan quomodolibet concessis. Quibus omnibus etiam si de illis specialis, specifica, & ad verbum expressa mentio habenda esset, eorum tenores pro sufficienter expressis habentes, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus. Ceterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romae in Monte Quirinali sub Annulo Piscatoris die xv. Maij M. D. LXXXXI, Pont. Nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.

M. Antonius a Valle.

R O M A E
EX Typographia Vaticana.
M. D. C. X. I.

GREGORIO XIII.
PONT. MAX.
IO. ANG. PAPIVS.



Ioannes Stephanus Durantus, BEATISSIME GREGORI, quem Gallia, nostra aetate, Catonem alterum, sed Christianum, Senatus autem Tholosanus, iustitiae, & aequitatis integerrimum antistitem habuit, ita iustus apud omnes, & bonus est habitus, ut natura, non discipli-


na consultus videretur. Is, cum multa, ac praecleara prudentiae, & pietatis documenta praestitit: tum vero maximam cum omni posteritate gratiam inijt, tribus de ritibus Ecclesiasticis compositis libris, humanarum, diuinarumque rerum scientia refertissimis. Quos ille summa vi ingenij, miro artificio, miraque orationis munditia, & elegancia, iucundissima rerum copia, ac varietate munitos, cum esset, amicorum precibus adductus, in lucem diulgaturus, Romanis primum typis, eos excudi, summoque Pontifici consecratos esse statuit: ut quae vir sapientissimus, magno labore, multisque vigilijs ad communem Reipub. Christianae utilitatem, e confertissimis Sanctorum Patrum, atque historiarum filijs collegisset, ea in hoc orbis terrae sanctissimo teatro probata, augustiora, Pontificis Maximi nomine insignita, publicum acciperent. Id enim putabat iuris esse, qui ceteris ius dicebat, ut quam ex agro Domini messem fecisset, eam ipsius Dei in terris Vicario debitam offerret. Verum tam sanctum, piumpque viri propositum, qui deinde sequuti sunt casus, misere prope subuerterunt. Ille enim,

suas hæc nocturnas, quas appellat, lucubrationes, in vrbem, ad amplissimum, omniq. liberali disciplina, atque humanitate ornatissimum virum, Nicolaum de Pelleue Cardinalem tituli sanctæ Praxedis, Archiepiscopum Senonensem, miserat, vt cui religionis, ac doctrinæ studijs, in primis, coniunctus erat, eiusdem auctoritate consilium exqueretur suum: cum ecce, subito exorta in Gallia calamitosissima tempestate, tantum ipsius, pro dolor, ornamentum, & columen concidit, & inter corruentis potentissimi regni ruinas sepultus est, vir sane optimus, præstans virtutis, & sapientiæ gloria, & qui perpetuo viueret dignus. Quo tempore, cum hic, duorum etiam Pontificum decessus, eodem fere mense incidissent, non potuit præstantissimus Præses, tam præclari sui consilij, eum, quem maxime expectabat fructum, viuens percipere: quo tamen ne mortuus quoque fraudaretur, effecit idem Cardinalis Senonensis (quæ eximia fuit illius amoris erga mortuum amicum significatio) qui viuenti operam fuerat pollicitus suam. Cum enim Christianæ Reipublicæ tunc ita exigentis procuratione, pro nouo Pontifice subrogando, totus distringeretur, eos ipsos libros fidei meæ benignissime commissos esse voluit, meq. eis velut tutorem subdelegauit, cuius ego honorifico tanti viri iudicio cohonestatus, vix dici potest quàm libenter, quàmq. alacri animo curandum mihi esse putarim, vt quamprimum remittente Autumnali morbo, cuius sæuitia operarum inopia Vaticana cessabat Typographia, tam insignis, & salutaris liber excuderetur: vt hoc optimo, atque auspicato munere donatus ex suprema sui parentis voluntate nouus Pontifex feliciora initi Pontificatus habere auspicia videretur. Quod meum consilium feliciter exitus comprobauit, te vno, BEATISSIME GREGORI, Pontifice Maximo inaugurato, qualem maxime auctor ipse, viuens optasset, hoc est, omnibus virtutibus instructum, & ornatum, doctrina, atque optimarum artium studijs eruditum, pietate, charitate, humilitate præditum. Quibus
egregijs

egregijs animi tui dotibus, factum est, vt incredibili omnium plausu, & approbatione, in augustissimum istud Principis Apostolorum folium ascenderis. Quocirca Sanctitatem tuam, imis precibus, oro, obtestorq. vt hos libros tres, de ritibus Ecclesiasticis, quasi parentis manu ablatos, & amplissimo Cardinali Senonensi suasore, glorioso nomini tuo, a me, multos ab hinc annos illustrissimæ tuæ familiæ deditissimo consecratos, libenti animo, suscipias. Nam, etsi ex veteribus, & nostra memoria nonnulli ad id muneris accesserunt; tamen ne id quidem in hoc genere præstiterunt, quod auctor hic noster præstitit: cui, cum omnium bonarum, sanctiorumq. artium scriptores accuratissime legerit, facile fuit excellenti ingenio, ac doctrinæ magnitudine, non pluuias, vt ille inquit, aquas colligere, sed viuo gurgite depromere. Sed ne diutius, quàm par est, Pontificiam tuam Maiestatem, tam grauibus, innumerabilibusq. Christiani orbis negotijs occupatam, in mora detineam, finem faciam scribendi, sed non suppliciter Deum orandi, & obsecrandi, vt, & te diu seruet incolumem, & consilia, actaq. tua omnia ad Ecclesiæ incrementum fortunet, Christianamq. Remp. inuictam, & gloriosam, te duce, perpetuo tueatur.

CAPL

C A P I T A
H O R V M T R I V M L I B R O R V M
D E R I T I B V S E C C L E S I Æ C A T H O L I C Æ.



Capita libri primi.

D e varijs adium sacrarum nominibus.	Cap. 1
De adium sacrarum ex- tructione.	Cap. 2
De adium sacrarum forma.	Cap. 3
De adium sacrarum ornatu.	Cap. 4
De usu & veneratione imaginum.	Cap. 5
De crucis, atque crucifixi veneratione.	Cap. 6
De calicibus, & amulis.	Cap. 7
De candelabris, & lucernis.	Cap. 8
De turibulo, & Thymiamaterio.	Cap. 9
De muscarijs, & flabellis.	Cap. 10
De patenis, seu patinis.	Cap. 11
De pallijs, & corporalibus.	Cap. 12
De organis.	Cap. 13
De adis sacrae partibus.	Cap. 14
De altari, seu θυσιαστήριον.	Cap. 15
De arcula, seu pixide, in qua corpus Christi aservatur: quæ κιβώτιον seu κιβώτιον Grace, vulgo cibariū appellatur.	Cap. 16
De choro, & subsellijs.	Cap. 17
De altera parte adis sacrae, quæ Ναός appellatur.	Cap. 18
De baptisterio & sacro fonte.	Cap. 19
De vasculis, & ampullis chrisimalibus.	Cap. 20
De labro, seu vase aquae benedictae.	Cap. 21
De turri sacra, & campanis, seu tintinabulis.	Cap. 22
De cœmeterijs.	Cap. 23
De ecclesiarum dedicatione.	Cap. 24
De altaris consecratione.	Cap. 25
De adium sacrarum religione, & veneratione.	Cap. 26

Capita libri secundi.

D e Missa nomine, & de Missa Cathecumenorum.	Cap. 1
De Missa sacrificio.	Cap. 2
De Missa institutione.	Cap. 3
De Missa publica, & priuata, seu peculiari, necnon de ea, quæ dicitur sicca vel nau-	

tica.	Cap. 4
Quibus Missa sacrum celebrandi & sacra Eucharistiam conficiendi potestas commissa, & credita est.	Cap. 5
De loco celebrationis Missæ.	Cap. 6
De tempore celebrationis Missæ.	Cap. 7
De præparatione sacerdotis ante Missæ celebrationem.	Cap. 8
De sacris vestimentis.	Cap. 9
De processionibus, seu supplicationibus.	Cap. 10
De introitu Missæ, & aspersione aquæ benedictæ.	Cap. 11
De accessu sacerdotis ad altare, confessione generali, & peccatoris iunctione.	Cap. 12
De Kyrieleison.	Cap. 13
De hymno, Gloria in excelsis &c.	Cap. 14
De salutatione ad populum, Dominus vobiscum, vel Pax vobis.	Cap. 15
De oratione seu collecta.	Cap. 16
De voce, Amen.	Cap. 17
De epistola.	Cap. 18
De Graduali, seu Responsorio.	Cap. 19
De Halleluah.	Cap. 20
De tractu.	Cap. 21
De Prosa seu sequentia.	Cap. 22
De Euangelij Lectione.	Cap. 23
De symbolo.	Cap. 24
De prædicatione.	Cap. 25
De offertorio.	Cap. 26
De permixtione aquæ & vini.	Cap. 27
De manuum lotionem.	Cap. 28
De inclinatione sacerdotis, conuersione ad populum, & oratione.	Cap. 29
De præfatione.	Cap. 30
Præfationis explicatio.	Cap. 31
De sacro canone Missæ.	Cap. 32
De prima parte canonis.	Cap. 33
De secunda parte canonis, Memento Domine famulorum.	Cap. 34
De tertia parte canonis, Communicantes.	Cap. 35
De quarta parte canonis, Hanc igitur oblationem.	Cap. 36
De quinta parte canonis, Quam oblationem.	Cap. 37
De sexta parte canonis, Qui pridie quam patere-	

pateretur.	Cap. 38	De certarum horarum ad orationem anti-	
De forma consecrationis.	Cap. 39	quitate.	Cap. 2
De elevatione, & ostensione Eucharistia.	Cap. 40	De horarum canonicarum numero.	Cap. 3
De septima parte canonis.	Cap. 41	De sacris vestigijs.	Cap. 4
De octaua parte canonis.	Cap. 42	De nocturnis.	Cap. 5
De nona parte canonis, Memento etiam Domine famulorum, &c.	Cap. 43	De hora recitandi nocturnos cum laudibus.	Cap. 6
De canonis parte decima, Nobis quoque peccatoribus.	Cap. 44	De Prima.	Cap. 7
De signo crucis, nec non de numero, & ratione signatum, quæ fiunt super oblatam, & calcem.	Cap. 45	De Terria.	Cap. 8
De oratione Dominica.	Cap. 46	De Sexta.	Cap. 9
De præfatione ad orationem Dominicam, Præceptis salutaribus, &c.	Cap. 47	De Nona.	Cap. 10
Dominica orationis enarratio.	Cap. 48	De Vesperis.	Cap. 11
De ultima parte sacri canonis, Libera nos que sumus.	Cap. 49	De hora Completorij.	Cap. 12
De patene receptione.	Cap. 50	De Psalmis.	Cap. 13
De fractione sacrae hostia.	Cap. 51	De Hymnis.	Cap. 14
De pacis prædicatione.	Cap. 52	De Hymno, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto.	Cap. 15
De prædicatione, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi.	Cap. 53	De Canticis.	Cap. 16
De pacis osculo.	Cap. 54	De Antiphonis.	Cap. 17
De communionem.	Cap. 55	De Lectionibus, & capitulis.	Cap. 18
De Ite Missa est.	Cap. 56	De Responsorijs.	Cap. 19
De benedictione, quæ datur in fine Missæ.	Cap. 57	De Versu.	Cap. 20
De pane benedicto, qui δ' ὄρθη vel ἀντι-δ' ὄρθη appellatur.	Cap. 58	De cantu ecclesiastico.	Cap. 21
		Qui ad recitationem precum canonicarum obstringantur.	Cap. 22
		Quibus ex causis a precum canonicarum recitatione clerici, vel beneficiarj excusentur.	Cap. 23
		Quæ exiguntur ad recitationem precum canonicarum.	Cap. 24
		De panis non recitantium horas canonicas.	Cap. 25

Capita libri tertij.

D e nomine, & significatione horarum canonicarum.	Cap. 1
--	--------



IOANNIS STEPHANI
 DURANTI
 DE RITIBVS ECCLESIAE
 CATHOLICAE
 LIBER PRIMVS.



DE VARIIS AEDIVM SACRARVM
 NOMINIBVS
 CAPVT PRIMVM.

- 1 Aedium sacrarum nomina octo explicantur.
- 2 Ecclesia quandoque pro aede sacra ponitur.
- 3 Κυριακή quid sit.
- 4 Dominicum siue κυριακὸν male a quibusdam ab Aede sacra secernitur.
- 5 Dominicum nonnumquam pro Missa sumitur.
- 6 Tempia unde dicta: & varia huius nominis acceptio.
- 7 Templum & Ecclesia veteribus idem sunt.
- 8 Templi & sacerdotis nomina cur apud antiquos Christianos non valde in usu.
- 9 Basilica quid & unde dicta.
- 10 Domus DEI non raro Ecclesiam significat.
- 11 Martyrium Graecis est quod Latinis confessio: et utrumque pro Ecclesia sumitur.
- 12 Confessores qui nam proprie dicantur.
- 13 Oratorium.
- 14 Tabernaculum.
- 15 Ecclesia portatilis.



AEDIVM: sacrarum varia extant nomina. Primum aedes sacra Ecclesia nuncupatur. Εκκλησία. Graece concionem significat: quod ex varijs locis Demosth. Thucid. Aristot. Isocrat. & Aristoph. colligere licet. Actuum quoque 19. Erat enim Ecclesia confusa, hoc est concio: Et postea: Si quid autem alterius rei quaeritis, in legitima Ecclesia poterit absolui, hoc est in concione, quae non tumultu, sed legitimo more indicta sit. Concio vero apud Athenienses erat conuentus ciuium, non quidem paucorum, sed vniuersorum. Itaque Ecclesiae vox, auctore Cyrillo catech. 18. περιουμωος omnium in vnum conuocationem denotat: quod pluribus docui ad Rubricam de sacrosancta Ecclesia. Ceterum hoc loco Ecclesia pro Aede sacra, in quam fideles conueniunt ad orandum, audiendum Dei Verbum, & percipienda diuina mysteria vsurpatur: quod nouum non est, etsi perperam Valla haereat. Ammianus Marcellinus lib. 28. Obseruata custodum absentia, qui festo die Christiani ritus in Ecclesijs pernoctabant. Tertullianus libro de idololatria c. 7. Ingemens fidei zelus perorabit Christianum ab idolis in Ecclesiam venire. Hoc ipsum innumeris Clement. Tertull. Augustini, Hieronymi, et aliorum patrum testimonijs confirmari possit. Inde corporalis Ecclesia dicitur in canone: Si quis obiecerit 1. q. 3. Concio quoque non solum populi conuentum, sed et locum, vbi conuentus fiebat, significat. Agellius lib. 1. c. 7.



Duranti effigies veri decus exprimit oris.
 Abdita doctrinae munera promit opus.

c.7. Porro in sacris litteris Ecclesia frequenter locum ubi cultus Dei ergo, fideles conueniunt: notatur Iudic. c.6. Ibi. Et per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt. Et prior ad Corinth. 11. Numquid domos non habetis ad manducandum et bibendum, aut Ecclesiam DEI contemnitis? Vbi proculdubio Ecclesiæ nomen, locum, quo Ecclesia congregatur, significat. Atque ita locum illum interpretantur S. Basil. in quæst. comp. explic. quæst. 310. S. August. libro 3. in Leuit. quæst. 57. S. Amb. Hier. Chrysof. Theodor. & Oecumen. in comment. in eum locum. Itaque quod Isidor. Pelusiota epist. 174. ad Theodosium Episcopum scripsit, aliud esse *ἐκκλησίαν*, aliud *ἐκκλησιαστήριον* intelligendum est de Ecclesia dum congregationem fidelium significat, quæ, ut ille ait, ex immaculatis animis, idest non hæreticis constat: non vero de Ecclesia, ubi pro loco usurpatur, ut plerumque continens pro contento. Domus item Dei *κυριακόν*, siue dominicum appellatur. Inde in Synodo Laodicensi can. 28. *ἐδείτας ἀγάπας ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τριεῖς* non decet agapas in Dominicis vel Ecclesijs facere, can. non oportet dist. 42. Quæ verba repetuntur in can. 74. ex Trullanis, qui sub nomine 6. Synodi citumferuntur. Verum an his verbis Dominicum ab Ecclesia secernatur excutiendum est. Zonaras multus est in explicatione horum verborum, tandem concludit Dominicum ab Ecclesia minime differre. Interpret vetus canonum hunc locum sic reddit: In Basilicis seu Ecclesijs. At Balsamon illud, [vel] disiunctiuum esse credit. Differentia est enim, inquit, inter Ecclesias & *προναύς*, hoc est templi vestibula seu porticus, & alios locos Dominicos. Balsamonis sententiam confirmare videtur S. Athanasius apol. ad Imperator. Constantium, ubi Dominicum semel atque iterum ab Ecclesia secernit, quasi Ecclesia sit, quæ iam consecrata est: Dominicum vero dicatur locus ad orandum & sacrificandum paratus, nondum tamen consecratus. Euseb. quoque lib. 9. Ecclesiast. histor. cap. 8. decretum Maximini pro Christianis commemorans, videtur Dominica ab ædibus sacris discernere, his verbis: Quin etiam ut Dominica & sacras ædes reficiant, a nobis concessum est. Quod decretum & Nicephor. exarauit lib. 7. capit. 28. his verbis: Quin & *κυριακὰ* atque templa sua eis extruere conceditur. Mihi probabilior videtur Zonaræ opinio, quam Amalarius Fortunatus libro 3. de Ecclesiast. offic. sequitur, eamq. aperte iuuat S. Clemens libro 2. const. Apostol. capit. 63. Carolo Bouio interprete, ibi: Sed quotidie conueniatis mane & vespere, psallentes atque orantes in Dominicis: mane dicentes psalmum sexagesimum secundum & cet. Iuuat & Cyprian. lib. de elemosyna, ibi: Quæ in dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obrulit, sumis. Addo Ruffinum lib. 1. histor. cap. 3. ubi meminit disputationis cuiusdam philosophi, cum sancto quodam, sed minus erudito Episcopo, in Nicæno concil. quem cum Episcopus attonitum sermonis vehementia reddidisset, addidit: Hæc si vera esse credis, o philosopho, surge, sequere me ad dominicum, & huius fidei signaculum suscipe. Quod & ille fecit, vim verbi non in sublimitate loquentis, sed in simplicitate prædicantis inesse palam confessus. Saluianus lib. 7. de prouidentia: Ad domos videlicet, inquit, statim Dominicas currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudijs, supplicamus. Accedat quod proprie locus sacer Domino, Dominicum dicatur, quem admodum quoad tempus, dies Dominicus appellatur, quia cultui Domini dicatur est auctore August. serm. 15. de verbis Apost. Paulus item 1. ad Corinth. 11. mysticum Christi conuiuium, in quo fideles sacri corporis & sanguinis Domini particeps sunt, non coenam communem, sed coenam Dominicam appellat, græce *κυριακόν δεῖπνον*. Quod vero ad can. 28. Laodic. conc. pertinet Zonaras pluribus probat illud [ἢ] non esse quod solet, disiunctiuum, sed potius coniunctiuum, & expositiuum. Ceterum Athanasius non asserit Dominicum esse locum nondum dedicatum, quin potius negat. Verum, ait, locum illum nondum sacratum, iam ab vniuersis dominicum appellari, quia proxime dedicandus erat, arg. l. fin. ff. de testam. milit. Euseb. vero d. cap. 8. non diuidit Dominica a sacris Ædibus: fallitur enim interpret, longeque discedit ab Eusebij sententia, cuius verba sunt huiusmodi *καὶ τὰ κυριακὰ ἔσονται οἰκία ὁδοῦ κατασκευασθέντων συγχωρεῖται* quin idem Euseb. in oratione de laudibus Constantini, diserte templa iam consecrata, Dominica appellari docet, his verbis: unde etiam templa, quæ erant Deo consecrata, Domini nomen obtinuerunt, quod nomen non ex hominibus, sed ex ipso omnium Domino illis fuit impositum: & propterea Dominica sunt appellata. Hoc loco prætereundum non est, dominicum substantiue pro sacrificij oblatione siue Missa, usurpari ab Aug. epist. 86. ad Casulanum, ibi: Hora Domini, ubi subintelligendum conuiuij. Nam ita Terrull. lib. 2. ad uxorem, ibi: Quis ad conuiuium Dominicum, illud plene posuit. Idem August. in breuicul. collat. 3. diei. Sicut, inquit, ipsi gestis martyrum monstra-

monstrabatur qui confitebantur in passionibus suis se collectam & Dominicum egisse. Cyprian. item epist. 63. Numquid ergo Dominicum post coenam celebrare debemus, & serm. de elemosyna: Locuples & diues dominicum celebrare te credis. Ædes quoque sacra Templum appellatur. Templum vero a contemplatione dictum, quasi tectum amplum Isidor. auctor est lib. 15. cap. 14. quo Etymo creditur Archidia. in can. & hoc dicimus 16. q. 7. Templa vocari maiores Ecclesias, ubi sub vnius amplitudine tecti, populus adunatur. At verius est templa, quod & Varro lib. 6. de lingua Latina prodidit, a tuendo, idest conspiciendo dicta. Archid. in can. vniuersas 16. quæst. 4. Templum tribus modis dicebatur, ab natura, ab auspicio, ab similitudine sub terra. Templum etiam sigillum significat, quod in edificio transuersum ponitur, supra cautheros pronimenes ad extremam suggrundationem. Vitruuius lib. 5. hoc loco pro æde sacra ubi Deus adoratur, ut frequenter apud Græcos. Hesichius *ναὸς* inquit *οἶκος ἡ ἡδὲ θεὸς προσκυνεῖται*. Nonnulli obseruauerunt veteribus morem fuisse, templa Ethnicis attribueri, Ecclesias Christianis, quorum coniectura niti videtur auctoritate Tertulliani de Idololatria cap. 7. & 11. & de exhortatione cast. 12. Minutij Felicis, apud quem Cæcilius arguit Christianos, quod non habebant templa. Hier. ad Ripar. dum ait Ecclesias Christianorum, conuersas in templa a Iuliano necnon Flauij Vopis in Aureliano, ibi. Tamdiu de aperiendis Sybillinis dubitasse libris, quasi in Christianorum Ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis. Verum hanc coniecturam aperte euerit S. Hilarius antiquus auctor ad Psalm. 126. his verbis: Conuentus quidem Ecclesiarum, siue templi, quos ad secretam sacramentorum religionem ædificiorum septa concludunt, consuetudo nostra vel domum Dei solita est nuncupare, vel templum. Scriptura quoque vel prophetica, vel apostolica, ad demonstrationem locorum, his est vsa nominibus: Plane veteres patres promiscue & communiter Ecclesias, templa appellasse apparet, ex Euseb. lib. 3. de vita Constant. cap. 29. 30. 63. & alibi sæpe: Ambros. lib. 2. offic. cap. 21. & 28. Hieron. in cap. 7. Ieremiæ. August. lib. 8. de ciuit. Dei cap. vlt. & serm. 252. & 255. de temp. Probabile est antiquos Christianos abstinuisset nomine templi, & sacerdotis ob recentem memoriam sacrificiorum Aaron, ne cum Iudæis confunderentur. Unde in Euangelio, & fere vsque ad tempus Irenæi, sacerdotes vocantur presbyteri, & patres. Cum vero desisset memoria sacrificiorum Iudaicorum, sacri patres pristinum templi nomen instaurarunt. Hæretici huius sæculi loca, in quibus coetus & conuenticula agunt, templa appellare solent, more, ut quidam volunt, Iudaico. At nec loca illa eo nomine digna esse docet Euseb. lib. 3. de vita Constant. cap. 63. *πάντων φησὶ τῶν αἱρετικῶν τὸς ἐκκλησίαις (ἐν τῶν οὐκ ἔχουσιν ὀνομάξεν οἶκος προσήκει)* Appellatur etiam ædes sacra a patribus *βασιλική*: de quo nomine plura ex Cicer. Vitruuio, Quintil. Iosepho, Plin. & Cæl. Rhodig. ac Iurisconsultorum responsis adduci possent, quæ lubens missa facio. Constat enim Ecclesiam Basilicam appellari, S. Aug. lib. de Eccles. dogmat. cap. 73. ibi: Et Basilicas eorum nominibus appellatas De ciuit. Dei lib. 1. cap. 4. ibi: Istas Christi Basilicas. Hieron. in Epitaphio Nepot. & alibi sæpe. Paulinus epist. 11. & 12. & alij innumeri can. omnes basilicæ 16. q. 7. can. non oportet dist. 42. Synod. Sardicen. can. 20. Inde basilicani basilicarum custodes, apud August. et Orosium, & can. perlectis ad finem dist. 25. Ideo autem diuina templa ait Isidor. lib. 15. cap. 4. basilicæ nominantur, quia ibi, regi omnium Deo cultus & sacrificia offeruntur. Amal. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 2. Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 6. Dicitur & domus Dei *οἶκος τῆς θεῆς* in synod. Gangren. can. 5. Tertul. de Idololatria. cap. 7. ab Idolis ad Ecclesiam venire, de aduersaria officina, in domum Dei venire, atque ita vbique appellatur tam in lib. Penateu. Psal. Prophet. quàm Euangeliorum Matth. 21. Marc. 11. Luc. 19. & Ioan. 5. Putarunt nonnulli domum Dei, Genes. 28. & 35. templum significare, eoq. in loco postea templum ædificatum. At locus ille, cuius ibi mentio fit, multis miliaribus distat ab Ierusalem. Verum præter hæc, quæ exposita sunt nomina, familiare est Græcis Ecclesiam, *μάρτυριον* appellare. Est autem martyrium ædes sacra, in qua sanctorum martyrum reliquiæ iacent, vel eorum memoria colitur. Isidor. lib. 15. originum. cap. 4. Vualfrid. Strabo lib. de reb. ecclesiast. cap. 6. l. generali & l. discernimus. C. de sacrosanct. eccles. l. 7. tit. 18. l. 9. in Cod. Theodos. Hugo, Laurent. Archid. & de Turre Cremata in can. Cum quidam 18. quæst. 2. Basilicam Vaticanam martyrium Apostolorum appellant Chrysof. & S. R. E. protonotarij, qui Græce, Latineq. res gestas martyrum scripserunt. Item, August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. martyrium S. Stephani, appellat locum in quo colebatur martyr Stephanus. Templum Ierosolymis, in Caluarie loco, a Constantino exædificatum

ficatum magni martyrii dicebatur. Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 40. Theodor. lib. 1. cap. 30. Nicephor. lib. 8. cap. 50. ea ut puto ratione, quia eo loco Christus, quem S. August. enarratione ad Psalm. 63. caput martyrum appellat, passus est. Oratoria martyrum S. Chrysof. appellat martyria, hom. 11. in cap. 5. primæ ad Thessalon. Porro ea Ecclesiæ quæ a Græcis martyrium dicitur, apud Latinos confessio appellatur. Anast. Bibliothecarius in vita Sixti 3. Papæ. Sixtus, inquit, Papa fecit confessionem S. Laurentij, martyria cum columnis porphyreticis, & ornauit transecnam, fecit quoque ibi ad confessionem altare S. Laurentij. Quandoque tamen confessio, pro sepulchro, vel corpore martyris usurpatur. Frequens est hæc vox in Pontificali Damasi, ante confessionem S. Petri, de qua Petrus Vrbeuetanus, ut legimus in libello ordinis Romani: Confessio, inquit, est capsula, vel sepulchrum, vel ipsum corpus Petri conditum sub altari. Martyr enim Græce testem, vel confessorem significat, eaq. vocabula veteres confundebant. Tertul. de corona milit. & libello ad martyres. Cyprian. de singular. cleric. & varijs epist. Ambros. lib. 2. de fide. ad finem, & lib. 3. cap. fin. vnde quemadmodum a martyre martyrium: ita a confessore confessio manauit: diciturq. Ecclesia in qua martyris siue confessoris memoria veneratur. Sane vsus veteris Ecclesiæ diuidebat martyres a confessoribus. Martyres siquidem dicebantur qui in tormentis, vsque ad mortem perseuerabant in professione nominis Iesu Christi, ut in lib. de duplici martyrio (qui male Cypriano tribuitur cum Diocletiani, Maximiani, Turcæ mērio etiam fiat illic) Confessores vero qui in carcere, vel tormentis, citra mortem, constantes atque parati mortem subire, confessi erant Christum, quod ex Cypr. epist. 6. & 7. lib. 2. colligere licet: & Hieron. epist. 84. Hilarius meorum confessor temporum & Episcopus &c. Hi etsi martyres apud eundem Cypr. necnon apud Tertul. quandoque nominentur, eos tamen isdem Tertul. in lib. ad martyres non simpliciter martyres, sed designatos martyres appellat. Iam sanctis omnibus, etiam nec tormenta perpeffis, confessoris nomen tribuitur. Ceterum Basilicæ, vel Ecclesiæ, quæ martyria dicuntur, etsi in honorem martyrum, soli tamen Deo, vere & proprie erigantur S. August. lib. 8. de ciuit. Dei cap. 27. & lib. 21. cap. 10. & lib. 20. contra Faustum manichæum cap. 21. Leo magnus serm. 7. de natiuitate Domini.

11 Appellatur etiam ædes sacra oratorium: Habebat enim initio Christiani oratoria, quæ Græci *ἐκκλησία* vocant. In quibus cum propter angustiam multitudo capi non posset, ampliores Ecclesias in vniuersis vrbibus erexerunt. Euseb. lib. 8. hist. Eccles. c. 1. Niceph. lib. 7. c. 2. generaliter oratorium ex eius nomine vocatur: Aurelianus. S. Martialis discipulus in vita Martialis. Martialis, inquit, altare in honorem S. Stephani protomartyris, consanguinei sui, consecrauit. Et paulo post: Constituit & supradictum aliud oratorium, ante sepulchrum suum, ut esset in honorem S. Petri Apostolorum Principis. De oratorijs tum priuatis, tum publicis, & quo modo ab Ecclesijs discernantur plene in can. Vnicuique & can. Clericos, & can. Si quis de consecrat. dist. 1. Panorm. in cap. fin. de censib. & in cap. patentibus de priuileg. Fed. consil. 130. Decius consil. 148. Tandem inter ædium sacrarum nomina reponi posset tabernaculum, de cuius topographia plene & luculenter Ioseph. lib. 3. antiquit. cap. 5. & August. lib. 2. quæst. super Exod. Tabernaculo vero templum successit, August. lib. 7. quæst. super Iudic. cap. 36. Quare non semel tabernaculum pro templo Psalm. 131. Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius: & Jerem. 10. tabernaculum meum vastatum est. Porro tabernaculum peregrinantium, est quodam modo militantium. Inde contubernaes quia simul habebant tabernacula. S. August. enarr. 2. in Psalm. 26. & concio. 3. in Psalm. 30. necnon in Psalm. 131. neque sedem & fundamentum habet, sed huc illucq. mutatur, & cum transmigrante migrat, auctore Hieron. ad Psalm. 14. & 83. Legimus Constantinum portatilem Ecclesiam sibi fieri curasse, quæ vbiq. locorum esset, & maxime in bello, circumferri posset, ut ne in solitudine quidem agens, ædibus sacris careret. Histor. tripart. lib. 1. cap. 10. Socrat. lib. 1. cap. 14. Sozomen. lib. 1. cap. 8. Niceph. lib. 7. cap. 46. Addit Sozomenus: Romanas cohortes in proprio tabernaculo, sacerdotes atque diaconos eodem ordine & ministerio distributos habuisse. S. Hieron. ad Latam commemorat rutilum & flauum Getarum exercitum, ecclesiarum circumferre tentoria consueuisse. Ideoq. ait ille, forsitan contra ius, æqua pugnant acie, quia pari religione confidunt.

DE

DE AEDIVM SACRARVM EXTRVCTIONE
CAPVT SECVNDVM.

- 1 Templorum religio quàm sit antiqua & retinenda ex Patrum monumentis declaratur.
- 2 Tempia Deo extruenda.
- 3 Templis soli Deo dicatis, cur tribuantur Sanctorum nomina. Ibidem de honore martyrum.
- 4 Tempia varia in diuersis orbis partibus magnifice extructa enumerantur.
- 5 Tempia euertere peculiare semper fuit hæreticis.
- 6 Templorum & religiosorum locorum euerfiones, cur aliquando a Deo permittantur.
- 7 Tempia non adificanda nisi præfixa cruce.



DEUS ubique sit, neque alicuius loci ambitu cultus eius circumscribi debeat, cum in omni loco puras leuantes manus exaudiat. Non enim locus, ait Basil. in exhortat. ad baptismum & poenitentiam, sed affectus & intentio exigitur. Deum medio in mari Moyses exorauit, Iob in sterquilino, Ezechias in lectulo ad misericordiam prouocauit, Ieremias in luto, Ionas in ceto, Daniel in lacu placauit, Pueri in camino promeruere, Latro in cruce, Petrus atque Paulus in carcere. Nihilominus sine maiestatis suæ imminutione, immo maxima nominis veneratione, in certis quibusdam locis, quæ templa dicuntur, præcipuo quodam cultu adoratur. Cum & ipse iusserit, & sanctissimi homines id fieri, & sermone & exemplo docuerint. In lege voluit templum sibi ædificari. Laudatur Centurio, quod Iudæis synagogam extruxisset, Luc. cap. 7. vbi Beda, & S. August. lib. 33. contra Faustum cap. 2. Si ergo, ait Ambr. serm. 89. commendatur a Domino qui ædificauit synagogam, quanto est commendatior qui ædificauit Ecclesiam? Ex hoc quippe, scilicet spiritu Dei, ait August. lib. 12. contra Faustum cap. 36. credentibus constructa sunt domicilia pacis, Basilicæ Christianarum congregationum, & nouellatæ vineæ, & c. Christus crebro templum sua præsentia honorauit, grauius ferens templum conuerti in speluncam latronum, vel negotiationis, illudq. appellat domum patris, & orationis, Matth. 21. Petrus, Paulus, & Ioannes in templo frequenter orant, Actuum 1. 3. & 31. Idq. tam persuasum erat Christianæ fidei primarijs, ut vbiq. templa Deo extrui curarent. Philo Iudæus libro de supplicum virtutibus, enarrans Ecclesiasticæ institutionis initia, & originem Apostolicæ & Euangelicæ traditionis, docet vetustiores illos Christianos, in singulis agris *συναγωγα* hoc est ædiculas sacras habuisse. Euseb. lib. 2. hist. eccl. c. 16. Abdias Babylonicus in vita Simonis & Iudæ, scriptum reliquit Christianos a Simone & Iuda conuersos, ecclesias Deo extruxisse. Niceph. lib. 2. cap. 35. 39. 40. 41. & 42. Philippum, Bartholomæum, Thomam, Matthæum, & Andream vbiq. fidei fundamentis iactis templa construxisse, scriptum reliquit. Anacl. epist. 3. docet Ecclesiam a S. Marco Euangelista Petri Apostoli adhuc superstitis nomine Alexandriæ fuisse dicatam, Can. Sacrosancta, dist. 22. S. Chrysof. hom. 18. in Act. Apostol. graui & ponderosa oratione, ad templa Christo extruenda fideles hortatur & suadet. Necnon hom. 1. aduersus Gentiles. Quod Christus sit Deus, ex domibus diuitum Ecclesias fuisse Domino consecratas, velut ex domo Cornelij, & Philippi Euangelistæ testantur, eas Paulam vidisse commemorat. Hieron. in Epitaphio Paulæ epist. 27. Idem Hier. in comment. ad epist. ad Gal. ait S. Ioannem morti proximum, iussisse se ad Ecclesiam deferri, quam fabricatam fuisse in nomine S. Ioannis, Abdias Babylon. (si tamen Abdias est liber, qui eius nomine circumfertur) lib. 5. hist. Apostol. memoriæ mandauit. Synodus Gangrensis can. 5. Anathema, decernit dicenti templorum religionem vanam esse. Epiph. lib. 1. hæref. 69. August. lib. 20. contra Faustum, & lib. de ciuit. Dei 22. laudibus efferunt eos, qui Ecclesias ædificat. Euseb. lib. 8. hist. c. 1. scriptum reliquit Christianos, cum in antiquis ædificijs non satis loci haberent, ampliores Ecclesias in vniuersis vrbibus, fundamentis earum ad maiorem laxitatem dilatatis, erexisse: ac tandem eodem c. & seq. inter summa persecutionum mala connumerat quod domos orationis & Ecclesiæ Dei viui ad solū deductæ sunt, atque ab ipsis subuersæ fundamentis. Galerius Maximianus Christianis ædes sacras, in quibus conuenire solebant, lege lata refarcire permisit. Euseb. lib. 8. c. 19. & lib. 9. c. 1. Niceph. lib. 7. c. 22. & 23. & 38. Porro templa Deo dicata, non minus ad Christum quàm ad Patrem pertinent, quod & Beda hom. in c. 2. Lucæ annoauit. S. Sophia templum Constantini Constantini filius extruxerat. Socr. lib. 4. hist. tripart.

cap. 18. nominis causam Procopius enarrat. In honorem enim filij Dei, qui Patris est sapientia Luc. 11. exædificatum erat, quod cum conflagrasset, totumq. ut loquitur Procopius, in carbones redactum esset, multo magnificentius extruxit Spiritus sancto. Salomonem iussu Dei templum extruxisse apertissime docent sacræ litteræ. Plane etsi soli Deo vere & proprie templa & altaria erigantur & dedentur S. August. epist. 49. quæst. 3. & lib. 8. de ciuit. Dei cap. 27. Basilicæ enim extruere ad cultum pertinet, qui soli DEO debetur, S. August. in lib. contra 3. ferm. Arrianorum & lib. 1. cap. 11. contra Maximum: Nihilominus Sanctorum nomina templis tribuuntur, & nominibus Sanctorum Basilicæ ornantur, vel quia Deus illis in locis ministerio Sanctorum, illustria quædam præpotentiæ suæ opera præstitit, vel quia illi suo sanguine sparso & fuso, loca illa DEO sacrarunt, vel denique quia diuinas Sanctorum virtutes ibidem ad DEI gloriam & honorem desiderant celebrare. Honoramus, ait Hier. epist. 53. ad Riparium, reliquias martyrum, ut cum, cuius sunt martyres, adoremus. Honoramus seruos, ut honor seruorum redundet ad Dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit. Mar. 9. Item Aug. de eccles. dogmat. c. 73. Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias tãquam Christi membra sincerissime honoranda, & Basilicæ eorum nominibus appellatas, velut loca sancta diuino cultui mancipata affectu piissimo & deuotione fidelissima adendas credimus: si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus, sed Eunomianus, & Vigilantianus creditur. S. Ambros. lib. 1. epist. 5. ad Felicem: Ortus, inquit, sermo de Basilicæ, quam condidit Apostolorum nomine, dedicatione, dedit huic sermone viam. Leo Papa serm. 7. de natiuitate Domini: Christiani, priusquam ad beati Petri Basilicam, quæ vni Deo vero & viuo est dedicata, &c. S. August. lib. 8. de ciuit. Dei cap. 27. Non martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quoniam non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus, Honoramus sane memorias eorum, tanquam Sanctorum hominum Dei, qui vsque ad mortem suorum corporum, pro veritate certarunt ut innotesceret vera religio. Et infra: Quæcumque igitur adhibentur religiosorum obsequia in martyrum locis, ornamenta sunt memoriarum, non sacra vel sacrificia mortuorum tanquam deorum Damasc. lib. 4. orthod. fid. c. 16. Docet templa nos Deo in Sanctorum nomine extruere. Sacratissimam Virginem Mariam S. Iacobo in ciuitate Cæsaraugusta apparuisse, ibique primum templum Deiparæ ædificatum fuisse, quod vulgo Nuestra Señora del Pilar Hispanice appellatur, Beuterus, Vasæus in chronic. rerum Hispanicarum, & alij complures memoriæ litterisq. mandarunt, Calixtus martyr 17. a Petro Pontifex, templum, auctore Damaso in vita Pontif. S. Virginis Transtiberinum nomine exædificauit, eodem loco, quo nascente Christo e taberna meritoria, oleum per totam diem fluxit. Cuius miraculi meminerunt Oros. lib. 6. cap. 18. & 20. Paulus Diacon. & alij complures. Templum ab Argonautis illis vetustissimis extractum, Mariæ sacrandum esse, Apollinis oraculum prædixerat. Cuius oraculi testes sunt Cedrenus dum de Cyro agit, & Procopius martyr apud Simeonem Metaphrastem. Pulcheria virgo & Augusta tria templa in honorem S. virginis extruxit, Nicephor. lib. 14. cap. 2. Inter ea vero præstabat in Blacherna, vel in Blachernis exædificatum, cuius & Glicas part. 4. annalium meminit, hoc a Iustiniano conditum perperam scripsit Procop. lib. 1. de ædific. Iustin. Pomponius Lætus illud Theodosio ascribit. Præstantissimum Deiparæ templum a Iustiniano Imper. conditum, Zonaras lib. 3. annal. memoriæ prodidit. Hoc vero, auctore Procop. lib. 1. de ædific. Iustin. plurimas ædes sacras magnitudine, & pulchritudine vincit. Plures alias Iustinianus Ecclesias ait Procop. Deiparæ ædificauit vbique Romano sub imperio, tam profecto magnificas ac grandes, & non dicenda pecuniarum mole paratas, ut si quis vnã earum dumtaxat videat, credat hoc solum opus ab eo fuisse absolutum, ac circa illud, totum imperij sui tempore fuisse versatum. De Lauretana æde S. Mariæ sacra, vbi Mariæ cubiculum asseruatur: & de miraculis, quæ ibidem quotidie Deus operatur, complura Blondus Mantuanus, & Canisius lib. 5. cap. 25. de S. Maria Deipara virgine. Ioanne Apostolo adhuc superstite, in eius nomine ædificatam basilicam fuisse, testatur Abdias de vita Ioannis. Constantinus, ut legimus. lib. 2. histor. tripart. cap. 8. & apud Socratem lib. 1. cap. 12. duo templa Bizantij construxit, alterum appellans Irenis, siue pacis: alterum Apostolorum. Anacletus presbyter & postea Papa 3. a Petro basilicam in monte Vaticano, paruæ Ecclesiæ forma, sub ipsa beati Petri morte, in eius honorem, Damaso auctore ædificauit. Hanc vetustissimam S. Petri memoriam, ut eam Damaso vocat, destruxisse fertur Heliogabalus, quem Lampridius sepulchra Vaticana, quo liberius elephantorum quantuor quadrigas agitaret, vastasse scripsit. Hanc Vaticanam Ecclesiam Constantinus postea restituit, et amplificauit.

amplificauit. Hanc Demetrius Archiep. Bulgariæ lib. 3. iuris orient. inclytum, & summum Romæ obtinere locum affirmat, Græcosq. in eam ingredientiæ tam Ecclesiastici ordinis, quàm laicos, vota facere, Deo, & sanctis, qui in ea coluntur, debitam venerationem & honorem exhibere. Idem Constantinus, Damaso teste in vita beati Siluestri, templum S. Pauli, via ostiensi construi iussit. Harum Petri & Pauli basilicarum meminit S. Chrysost. hom. aduersus gentes, quod Christus est Deus his verbis: Romæ, quæ inter alias vrbes maxime regia est, omnibus posthabitis, ad sepulchra piscatoris, & pellionis, siue corarij, currunt Reges plures. Alias & fere innumeras Constantinus ædificauit, Socrat. lib. 1. cap. 2. 5. & 14. Damaf. Nicephor. & alij. Ceterum Catholicorum semper fuit proprium, atque præcipuum templa extruere, & ornare: quod vbique per orbem ædificatæ Ecclesiæ palam testantur: Ita e contra hæreticis peculiare atque hereditarium fuit templa diruere & exinanire. Hoc præcipuum fuit Arrianis, Gregor. Nazianz. oratione habita in præsentia 150. Episcoporum, Victor lib. 1. de persecut. Vuand. Athan. epist. ad Catholicos. Donatistis, Optat. lib. 6. & August. epist. 50. Eustachianis, Synod. Gangren. epist. ad Episcopos Armen. Albigenisibus, Bernardus a Luxemburgo. Petrobrusianis, Auctor vitæ Bernar. lib. 2. cap. 5. Messalianis, Damaf. hæref. 80. Thaboritis, Ioan. Bunderus in compendio, Æneas Siluius lib. 4. de orig. Bohemor. Hoc præcipuum est nostro infelici sæculo, Caluinistis & Huguenotis, quorum singulare studium est, Ecclesias, & alia loca sacra vastare & euertere. At templorum direptiones & euersiones, Deum grauitè & acerrime vindicasse varijs in locis legimus. Cur vero Deus Ecclesiarum vastationes toleret, neque illico direptores vlciscatur, stupescit, atque conqueritur Dauid Psalm. 73. Tædebat Eliam vitæ suæ, quod aras Dei dirutas videbat. 3. Reg. cap. 19. Itaque diuinis templis sæpe Deus non parcat propter populi peccata. Antequam Philistij arcam Dei eriperent e manibus Israelitarum, scriptura commemorat peccata filiorum Heli, & indulgentiam Heli erga filios. lib. 1. Reg. cap. 2. & 4. Cum permisisset Deus ædificari templum a Salomone, sicut pollicitus fuerat Dauidi, illudq. Salomon perfecisset, dixit Dominus Salomoni 3. Reg. 9. Sanctificaui domum istam, quam ædificasti, ut ponerem ibi nomen meum in æternum, hoc est, vocando ædem istam, ædem meam, vel de nomine meo, conijciamq. cunctis diebus oculos meos in eam, modo legitima mea & iudicia mea seruaueris: Si autem vos & filij vestri, auersione auersi fueritis, non sequentes me, nec custodientes mandata mea, templum, quod sanctificaui nomini meo, abijciam a conspectu meo: Ecce templi contemptio peccatis populi adscribitur. Rursus cum pseudopropheta Iudæis suassent, numquam futurum ut Dominus sine-ret vrbe venire in potestatem Chaldæorum propter templum, iubet Dominus Ieremiæ cap. 7. monere populum ne templo sanctissimo & magnificentissimo fidat, etsi sæpe dixerit: Templum Domini, templum Domini. Nisi enim respuerit populus, neque templo, neque vrbi, propter templum parcat Dominus. Amplius 2. Machab. 5. templi despicientia, diserte peccatis habitantium ciuitatem tribuitur. Interdum Deus templis non parcat, ut metum terræ incutiat. Elias Gretensis ad orat. 1. Greg. Nazian. apologet. Ceterum obseruandum est diligenter, vetitum Ecclesias extrui, nisi prius Episcopus orationem ibi fecerit, & venerabilem fixerit crucem. Iustin. nouel. 5. §. 1. 67. §. 1. 123. §. reliquum. Concil. Aurelianen. can. nemo, de consecrat. dist. 1. Metaphrastes 13. Septembr. de reliquijs Cornelij Centurionis agens, ait: Cornelium Siluano Troadis Episcopo suas prodidisse reliquias, eiq. iussisse Ecclesiam eo loci ædificari, Siluanumq. eo profectum, cum precatus esset, crucem fixisse: Ecce mos figendi crucem in Ecclesijs extruendis Apostolorum sæculo. De quo plura infra cap. de Ecclesiarum dedicatione.

DE AEDIVM SACRARVM FORMA.

CAPVT TERTIVM.

- 1 Templorum forma oblonga, & in modum nauis.
- 2 Ecclesia cur aliquando nauis, & nonnumquam insula nuncupetur.
- 3 Templorum ad orientem extructio ab Apostolis manauit.
- 4 Orientem cur spectent Christiani, dum orant publice, cum alioqui Deus vbique sit.

Crucifixi

5 Crucifixi imago in templis cur spectet ad occasum.

6 Occasum inter orandum spectare, in veteri lege in more positum.

1 **S**ANCTOS Apostolos, qui nutu Spiritus sancti Ecclesiastica ordine disponebant, constituisse, Ecclesiam oblongam construi in modum nauis, versus Orientem auctor est Clemens lib. 2. constit. Apostol. cap. 507. oblongas esse debere ecclesias atque amplissimas innuit S. Bernard. in apologet. suo ad Abbat. Cluniacensem præter monachorum ecclesias. Dum vero in modum nauis iubentur extrui ecclesiae, monemur nos in mundo versari tanquam in mari, quod ventorum vi agitari atque turbari solet, nec aliter quam in nauis Ecclesiae, tuto trajici potest. Ea vero in altum saeculi ita natat, ait Ambros. serm. 11. de mirabilibus, vt pereunte mundo, omnes quos suscipit, seruet illaesos. Ecclesiam nauem appellant S. Clem. epist. 1. ad Iacob. fratrem Domini, & Anaclet. epist. 1. de oppressione Episcoporum. Quod varijs rationibus fulciri potest, quarum nonnullas recenset Turcrem. lib. 1. de eccles. cap. 33. Itaque vsque in hodiernum diem, Ecclesia nauis dicitur, vt ipsum nomen sit ad stipulatio Apostolicae constitutionis de extruendis ecclesijs instar nauis, ad orandum. In summo vero extat altare quasi puppis in nauis. Ecclesiae quoque insulae appellantur, quod auctore S. Cyrillo in comment. Isai. cap. 24. dum enarrat locum illum: In insulis maris gloriam Domini Dei Israel, & Hieron. lib. 13. in Isaiam cap. 49. In mundo velut in mari posita, turbas eius, & persecutorum rabiem sustinent. At fundatae super petram, nulla turbinum mole quatiuntur. Insulae etiam nuncupantur, quia ecclesiae ab omnibus aedibus, atque etiam aedibus distinctae, & separatae esse debent: vel vt Graece loquar *οἰκὸς περιὰ μὲρ οὐ* nullis alijs parietibus continuae, veluti insulae quaedam in mari. Fuit item traditum ab Apostolis, eodem Clem. auctore, aedes sacras construi versus orientem. A quibus item precandi ad Orientem, traditionem acceptam testantur Iustin. martyr, Athanas. Basil. August. Damasc. & alij complures, qui huius traditionis causas explicant. In primis Iustinus ad orthodoxos respond. ad quaest. 118. ait ideo Christianos omnes precum tempore spectare ad Orientem, quia ortus, tanquam mundi pars honoratior, adorationi Dei destinatus est, additq. in fine: Ecclesiam a sanctis Apostolis orandi morem & locum accepisse. Tertul. ad Valentinian. cap. 3. annotat figuram Spiritus sancti orientem Christi figuram, & Apologet. cap. 16. Inde suspicio est quod innotuerit mos ad Orientis regionem precari. Origenes hom. 5. in Nume. ait in ecclesiasticis obseruationibus esse nonnulla, quae omnibus quidem facere necesse est, nec tamen eorum ratio omnibus patet. Nam quod, verbi gratia, genua flectamus orantes, & quod ex omnibus caeli plagis ad solam Orientis partem conuerfi, orationem fundamus: & S. Greg. Nissen. in lib. de orat. enarrans verba illa orationis Dominicae Matth. 6. Dimitte nobis debita nostra, ait: Nos ad Orientem conuertimus, non quod illic dumtaxat Deus videatur. Qui enim vbique est, in nulla parte peculiariter, ac separatim comprehenditur: nam ex aequo continet res vniuersas, sed quod in orientalibus partibus, prima nobis patria sit. Dico autem de prima ea, quam in paradiso habuimus, habitatione, ex qua eiectioni sumus. Plantauit enim Deus paradysum in Eden in partibus orientalibus. Cum igitur ad orientales partes respicimus, recordamur, quemadmodum ex lucidis & orientalibus locis eiectioni sumus. S. Athanas. de plurimis & necessarijs quaestionibus quaest. 14. quaerit: Cur Christiani adorent ad mundi plagam orientalem, Iudaei vero versus Austrum: tandem respondet, ideo fideles adorare ad Orientem, quia Spiritus sanctus per Dauidem prophetam praecipit Psalm. 131. Adoremus ad locum vbi steterunt pedes Domini. Quod si Iudaeus obijciat, vbi steterunt pedes Domini? Zacharias propheta cap. 14. docet, cum inquit: In Oriente pedes Domini stabunt, in monte Oliuarum, e regione Ierusalem, & paulo post: Non ideo adoramus ad orientem, quod in ea parte mundi Deus aliquo modo circumscriptus habitet, sed quia Deus, lux est vera, diciturq. eam ob causam, ad creatum lumen istud conuerfi, non illud, quod creatum est lumen, sed eius luminis Creatorem adoramus. Et ad finem responsionis: Audiant vero fideles, & discant, quod sancti Apostoli Christianorum Ecclesias ideo iusserunt versus suas fundere preces, vt ad paradysum, vnde cecideramus, respicientes, suppliciter a Deo petamus, & a nostro Domino, vt in antiquam nos patriam & locum, vnde cecidimus, restituere velit. Hanc ob causam ait Basil. de Spiritu sancto cap. 27. Omnes spectamus Orientem cum precamur, pauci tamen nouimus quod id facientes, antiquam requirimus patriam, videlicet paradysum, quem construit Deus

Deus in Eden ad Orientem. Epiphani. lib. 1. tom. 1. cap. 19. detestatur Elxai impostoris infaniam, qui inter cetera prohibebat orare ad orientem. Item Aug. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 19. Cum ad orationem stamus, ad orientem conuertimur, vnde caelum surgit, non tanquam ibi sit Deus, & quasi ceteras mundi partes deseruerit, qui vbique praesens est, non locorum spatijs, sed maiestate potentiae: sed vt moneatur animus ad naturam excellentiorem se conuertere, id est ad Dominum, cum ipsum corpus eius, quod est terrenum, ad corpus excellentius, id est ad corpus caeleste conuertitur. Has omnes huiusce apostolicae traditionis causas, pluribus verbis enarrant S. Germanus in theoria rerum Ecclesiasticarum S. Th. 22. q. 84. art. 3. & Damasc. lib. 4. orthod. fid. c. 13. vbi addit aliam, quae studiose obseruanda est, Christum scilicet cum in cruce penderet, ad occasum prospexisse, quod & Cassiod. ad Psalm. 67. probat, eoq. nomine ait Damasc. ita adoramus vt eum obtueamur. Vnde nonnulli conijciunt in Ecclesijs Christi crucifixi imaginem, occidentem respicere, vt cum primum in aedes sacras accedimus, oculis nostris oppositam Crucifixi effigiem, prona facie ad ipsam conuersa, Christum orientem versus adoremus. His addendus Latinus Pacatus in panegyrico. Diuinis rebus operantes, ait, Pacatus, in eam caeli plagam conuertimus, a qua lucis exordium est. Verum hanc Apostolicam traditionem interpretor de publicis precibus, hoc est vt templa aedificentur fronte versus Orientem. S. Paulinus epist. 12. ad Seuerum: Prospectus vero Basilicae non vt visitatio mos est, orientem spectat. Ideoq. vsque in hodiernum diem, vsu & consuetudine receptum est, vt altare primum, quod vulgo altare maius appellatur, versus Orientem, si commode fieri potest extruatur, sitq. collocatum quasi in puppi nauis Ecclesiae. Qui rem priuatim orantes alio se conuertunt, culpa carent. Osius lib. 4. de tradit. Porro prophanos veteres ad orientem templa extruere solitos, Lucianus prodidit, a Pythagoreis obseruatum fuit exortum ab adorantibus spectandum. Quare Vitruuius lib. 4. cap. 5. de sacrarum aedium positione, aedis signum Occidentem spectare iubet, quo templum introeuntes, & ad altare accedentes spectent orientem. In veteri lege tabernaculum habebat sancta sanctorum ad Occidentem, vt versus occidentem adorarent: vnde Ezechielis cap. 8. inuehitur Dominus in eos, qui habebant dorsa contra templum Domini, & facies ad Orientem. Quod in veteri lege institutum fuerat, vt S. Th. docet 1. 2. q. 3. art. 3. vers. ad quintum: tum ad arcendam idololatriam, quia Gentes Solem Orientem adorabant. Vnde Anastas. Nicenus quaest. 18. in Scripturam: Conuersum, inquit, erat templum Salomonis non ad Orientem, ne precantes adorarent solem orientem, sed solis Dominum: Tum quia tabernaculum ordinabatur ad significandum mortem Christi, quae per occasum indicatur. Vnde Psalm. 67. Qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.

DE AEDIVM SACRARVM ORNATV CAPVT QVARTVM.

- 1 Templorum ornatum in Ecclesia semper receptum fuisse Patrum testimonijs probatur.
- 2 Templorum ornatum Heretici indocte & impie rejciunt.
- 3 Hieronymi & aliorum quorundam Patrum loca aliquot de templorum ornatu explicantur.
- 4 Eleemosyna, si vrget necessitas, templorum ornatu preferenda est.
- 5 Picturis ornanda esse templa, confirmant Patres.
- 6 Imaginibus ornantur templa.



HOC loco prætereo quae de ornatu admirabili veteris tabernaculi, & templi exarata sunt Exod. 25. 37. & 40. Leuit. 8. Num. 7. 3. Reg. 7. Esdræ 1. c. 1. & ad Hebr. 9. & quae in noua lege leguntur de magnifica Christi Domini sepultura, & insigni piarum mulierum in Christi corpore perungendo pietate. Felix 4. ep. ad omnes Episcopos: Si Iudaei, qui vmbrae legis deseruiebant, haec faciebant: quibus Verbi patefacta est & gratia & veritas per Iesum Christum data est. Templa Domino aedificare, & prout melius possumus ornare, eaq. diuinis precibus & c. S. Cyril. cathec. 24. Na illi quidem milites, propter argentum perdiderunt veritatem: Isti autem qui nunc sunt reges, pietatis ergo, argento induentes, & auro sanctam hanc Ecclesiam, in qua nunc sumus, extruxerunt, et argenteis monumentis splendidam effecerunt. Ornare Dei templum decore congruo maxime sacerdoti conuenit, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat. Ambr. lib. 1. offic. c. 21. can. pulchra

chra dist. 86. Laudat Gorgoniam Greg. Nazianz. orat. 11. in laudē ipsius, quod sumptuosius denarijs templa exornabat. Laudat Hier. Nepotianum epist. 3. ad Heliodorū quod esset sollicitus, si niteret altare, si parietes templi absque fuligine, si pauimenta terfa, deinde quod Basilicas & martyrum conciliabula, diuersis floribus & arborum comis, vitumq. pampinis adumbrabat. Idem Hieron. epist. 2. ad Nepotian. Multi aedificant parietes & columnas Ecclesiae, substruunt marmora, nitent auro laquearia, gemmis altare distinguunt. Theodor. lib. 8. de Graecarum affect. curat. Martyrum, ait, templa conspicua cernuntur, magnitudineq. praestantia, omni praeterea ornatus genere variata, splendoremq. quodam modo pulchritudinis suae late fundentia. Leo magnus serm. 3. de quadages. testatur; suo saeculo Christianos solitos fuisse propensiore cura & ampliore cultu, orationis domum, diebus festis adornare. Aurelianus in vita S. Martialis prodidit S. Martialem, altare in honorem S. Stephani consecrasse, ipsumq. altare clauis affixisse aureis, ac coronas sex aureas posuisse in circuitu, cum totidem lampadibus aureis: Ecclesiarum, Maxentij tempore, in Africa fuisse quamplurima ornamenta ex auro & argento, Optatus. lib. 1. ad Parmeni. dum de Felice agit, commemorat. Idem Optat. lib. 3. laudat Constantem Imperatorem, qui cum in Africam mitteret eleemosynas pauperibus, miserit domibus Dei ornamenta. Quod vero haeretici obijciunt eundem Hieron. epist. 8. ad Demetriadem: Alij, inquit, aedificent Ecclesias, vestiant parietes marmorum crustis, columnarum moles aduehant, earumq. dearent capita, pretiosum ornatum non sentientia, ebore argentoq. valuas, & gemmis aurata distinguant altaria, non reprehendo, non abnuo, vnusquisque in suo sensu abundet, meliusque est hoc facere quam repositis incubare. Sed tibi aliud propositum est Christum vestire in pauperibus, visitare in languentibus, pacere in esuriensibus &c. & epist. 12. ad Gaudent. Auro parietes, auro laquearia, auro fulgent capita columnarum, & nudus atque esuriens ante fores nostras Christus in paupere moritur. Item in Jerem. cap. 7. Praecipit autem & tunc populo Iudaeorum, & hodie nobis, qui videmur in Ecclesia constituti, ne fiduciam habeamus in aedificiorum splendore, aureatisq. laquearibus, & vestitis parietibus marmorum crustis, & dicamus: Templum Domini. Illud enim templum Domini est, in quo habitat vera fides, sancta conuersatio, omniumq. virtutum chorus. Obseruandum est Hier. his locis minime improbare neque abnuere. Verum eos arguit qui absque fide & operibus in solis aedificijs confidunt, & pauperum Christi curam negligunt. Nam etsi honor, quem Deo debemus, praeferrī debeat omnibus etiam misericordiae operibus. Quod & Theophylact. notat in Matth. 26. enarrans locum illum: Potuit enim vnguentum istud venundari trecentis denarijs & dari pauperibus: Vbi tamen premit necessitas, securius est, ea quae ad ornandam Ecclesiam parantur, in pauperum vius infumere. Nam etiam donata ob eam causam, licet distrahere plene & luculenter. Ambr. lib. 2. offic. cap. 28. & August. serm. 32. ad fratres in eremo. Atque ita interpretandus est Chrysost. homil. 81. in cap. 26. Matth. ibi: Ita & tu si praeparasse quosdam vasa videris sacra, aut ornatum quemdam alium, circa parietes Ecclesiarum, & pauimenta confecisse, noli reprehendere, aut venundari iubere, quod factum est, ne animum eius, qui fecit, perturbes. Sin vero antequam fecerit, te consuluerit, pauperibus offerre iubeto: & homil. 60. ad popul. Antiochen. Nec enim aureis animabus. Et haec dico non prohibens huiusmodi oblationes fieri, suadens autem cum his & ante has eleemosynam exhiberi. Et paulo post: Quanam utilitas est cum ipsi mensa sit aureis calicibus plena, ipse vero fame disperat: Haec enim & quae sequuntur, indicat superiora intelligenda, vbi viget necessitas, quemadmodum & illud Ambr. Aurum sacramenta non quaerunt, can. aurum 12. q. 2. Alex. de Alef. 4. par. Gabriel Biel super can. miseriae, lect. 13. Quod vero Isidorus Pelusiota epist. 174. ait: Templa plusquam par sit, exornata esse, his verbis non prohibet templorum ornatum, sed vitae splendorem praefert. His addendus est S. Hieron. in cap. 8. Zachar. Haec, inquit, persecutionis tempore in Ecclesijs Christi expleta conspeximus, quando in tantam rabiem persecutorum feritas excitata est, vt etiam conciliabula nostra destruerent. Et paulo post: Quis eo tempore crederet rursus Ecclesias construendas ab his ipsis, qui ante destruxerant? Non quod iidem homines fuerint, sed quod eadem Regalis potestas, quae prius sedebat in insidijs cum diuitibus, et quasi ex Senatusconsulto Christi nomen conabatur extinguere, nunc expensis Reipublicae Ecclesiarum basilicas extruat, & exaltet summa fastigia, vt non solum laquearia & tectus fulgentia auro decoret, sed parietes diuersi marmoris vestiat crustis &c. Theod. lib. 3. c. 12. scriptum

scriptum reliquit Imperatorem Constantium complura vasa pretiosa ad ornatum Ecclesiae Antiochenae donasse, quae impius Iuliani quaestor rapiens, & in fiscum redigens, insultans exclamauit: En quibus vasis ministratur filio Mariae. Ornantur etiam templa Sanctorum reliquijs, Aug. serm. 256. de tempore, qui est quintus in anniuersario dedicationis. Adhuc amplius agenda sunt gratiae Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam Sanctorum martyrum reliquijs amplius honorari. De quo plenius infra in cap. de aedium sacrarum dedicatione. Ornantur item templa picturis, S. Greg. Nissen. orat. de laudib. sancti & magni Theodori, ornatum templi S. Theodori describit his verbis: Dum aedem, vt templum Dei magnitudine structurae, & adiecti ornatus decore, splendide elaboratum intuetur, vbi & faber in animalium figuram lignum formauit, & latomus ad argenti lauitatem crustas lapideas expoliuit, induxit etiam pictor flores artis in imagine depictos fortia facta martyris, repugnantias, cruciatus. Et paulo post: Omnia nobis tanquam in libro quodam, qui linguarum interpretationes contineat, coloribus artificiose depingens certamina, atque labores martyris nobis expressit, ac tanquam amoenum pratum & floridum, templum exornauit. Paulinus Nolanus Episcop. natal. 10. de ornatu Ecclesiae S. Felicis:

Et paribus varia & speciosa cultibus extant

Marmore picturae laquearibus atque columnis, &c.

Gregor. lib. 9. epist. 9. In locis, inquit, venerabilibus Sanctorum depingi historias non sine ratione vetustas admittit. Quibus verbis aperte Gregor. indicat iam tunc consuetum venerabiles Ecclesias Sanctorum nomine extructas, picturis ornare. Ornantur & templa imaginibus: Templi nulla ratio, quod non ornatur imagine, Synodus, 2. Nicæna Act. 1. ex Isidoro Pelusiota. S. Gregor. Nazian. epist. 49. ad Olimpium: Sed post imperium tuum, in ferarum lustrum conuertatur templum illud, quod extruximus, omneq. nostrum in eo exornando studium. Neque enim si statuae deiciantur, hoc graue & acerbum est, etiam si alioqui acerbum. Ecce Gregorij saeculo templa imaginibus & statuis exornata. De quo plura sequenti capite.

DE VSV ET VENERATIONE IMAGINVM CAPVT QVINTVM.

- 1 *Imaginis Christi antiquissimus vsus: & plures, quae in varijs orbis partibus, vel olim fuerunt, vel nunc etiam extant, enumerantur imagines.*
- 2 *Imago Dei Patris, vel etiam Spiritus sancti an depingi debeat.*
- 3 *Imagines Deiparae Virginis varia, & miracula ad eas edita.*
- 4 *Imagines Apostolorum & aliorum Sanctorum magno in vsu.*
- 5 *Imaginibus Sanctorum cur appingantur corone, & radij: Angelis vero ala.*
- 6 *Imaginum vsus magnam habet in Ecclesia utilitatem, & quae tandem institutionis causa.*
- 7 *Imaginum vsus & veneratio a quibus concilijs approbetur.*
- 8 *Haereticorum nostri temporis contra imagines argumenta proponuntur & refutantur.*
- 9 *Imaginum veneratio miraculis confirmatur.*
- 10 *Idoli nomen non potest competere imaginibus Christianorum. Ac proinde idolorum prohibitio ad imagines Christi non pertinet.*
- 11 *Sculptile quid significet, & an omne sculptile sit prohibitum.*
- 12 *Carolini libri qui sub Caroli Magni nomine circumferuntur suppositij sunt, & ab haereticis editi.*
- 13 *Iconomachia auctores omnes sceleratissimi.*



De imaginum vsu ac veneratione tractatio adeo late patet, vt difficilius sit exitum quam principium inuenire. Ego quae illustriora sunt breui persequar. Vfus imaginum Christi, S. Mariae, ac Sanctorum antiquissimus est. Quattuor imagines Christi, eo adhuc superstite factas fuisse grauissimi auctores prodiderunt. Prima est quam Christus ipse Abagaro Regi Edessenorum, qui conspectum eius magnopere desiderabat, misit: cuius rei restes locupletissimi extant, Procopius cuius

cuius meminit Euagrius lib. 4. histor. cap. 26. Synodus 7. Act. 5. quae & Euagrius laudat, & Leonis verba addit: Et ego indignus vester famulus, cum descendissem, cum regijs apocryphijs in Syriam, Edeffam petiui, & venerandam imaginem non factam hominum manu adorari & honorari a populo vidi, hanc ad Abagarum missae imaginis traditionem, Adrianus Papa primus ad Carolum Magnum cap. 18. & Damas. lib. 4. orthodo. fid. cap. 17. & orat. 1. de imaginibus confirmant. Eandem pluribus verbis commemorat Constantinus Porphyrogenitus, oratione quam habuit coram Imperatoribus, & clero, ac populo, quae apud Metaphrastem exarata legitur sub 16. Augusti. Huius imaginis ac translationis illius ex Edeffa ad urbem Constantinopolim meminerunt Zonaras in Romano Lecapeno, & in Nicephorophoca. Niceph. item Callisto lib. 2. c. 7. & S. Th. ad tertium sent. dist. 9. q. 1. art. 2. Horum nonnulli annales Edeffae illius saeculi laudant. Praeterea Polydorum Virg. & alios recentiores, quibus non eadem fides, quae & veteribus, tribui solet. Altera Christi imago sudario Veronicae impressa fuit: Cum enim Christus ad crucifigendum duceretur, Veronica, quae Christum sequebatur, faciei sudarium admouit, in quo Christi effigiem expressam retulit. Huius rei auctores sunt Methodius Tyriorum Episcopus, Constantinus Porphyrogenitus, orat. de Christi imagine non manu facta, apud Lypomanum tom. 6. Marianus Scotus, Philippus Bergomas, & alij nonnulli, qui & miracula quaedam referunt. Memoratur & alia Christi imago, siue statua, quam mulier a profluuiio sanguinis liberata, exererat. De qua Euseb. lib. 7. cap. 14. his verbis: Mulierem, inquit, sanguinis profluuiio afflictatam, quam Sanctorum Euangeliorum testimonio, a Salvatore nostro, morbi remedium inuenisse cognouimus, ex ciuitate Caesarea Philippi oriundam, illiusque domum ibi ostendi, & admirabilia quaedam Saluatoris in eam beneficia, monumenta, & quasi trophaea ad hoc tempus durare memorant. Pro foribus enim domus illius, aeneam mulieris effigiem genibus flexis, & manibus instar supplicantis, in anteriorem partem extensis, super editum lapidem collocatam. Huic e regione, viri erectam imaginem ex eadem materia conflatam, vestiturum ad talos demisso decenter ornatam, & manum mulieri porrigentem, ad cuius pedes in ipsa basi, peregrinam quandam, & inusitatam herbae speciem enasci, quam quidem vbi ad aenei vestitus simbriam excreuerit, morbis cuiusque generis, medicandi vim & facultatem habere. Hanc statuam, effigiem Iesu exprimere dicunt, quam ad nostram usque aetatem manentem, ipsi ad eam ciuitatem profecti, oculis cernebamus. Eandem historiam percensent Sozom. lib. 8. cap. 20. Cassiodor. lib. 6. tripart. cap. 41. adduntque Iulianum apostatam, statuam illam eripiuisse, suamque eodem loco collocasse. Huius etiam imaginis, seu statuae meminerunt Theophylact. in comment. in cap. 9. Matth. S. Epiphani. Sardinens. in 7. Synodo Nicephor. lib. 6. cap. 15. & alij plures. Erat & altera Christi imago, quam Nicodemus Gamalieli dono dederat, quae cum Berithi, post multa saecula peruenisset ad Iudaeos, eam Iudaei in eorum Synagoga sputis foedarunt, arundine percusserunt, crucifixerunt, lancea latus perforauerunt. Vnde sanguis & aqua coepit decurrere. Quod pluribus persequitur Athanas. in libello de passione imaginis Domini, qui tum coepisset ecclesias extrui & consecrari in honorem Saluatoris affirmat. Tolosae extat Basilica suburbana ab hinc multis annis Sancti Saluatoris nomine aedificata. Festum vero feria 3. post festum Paschae annis singulis celebramus. Porro eadem historia in Synodo 7. iisdem fere verbis, Act. 4. exaratur. Extat & alia Christi Saluatoris imago Romae in sacello siue oratorio S. Laurentij, quod sancta Sanctorum dicitur, de qua Anastasius Bibliothecarius mentionem facit, in vita Stephani Papae 2. qui ad Pontificatum electus est anno Domini 752. his verbis: Cum Aistulphus Longobardorum Rex Romanos acerrime vexaret, Stephanus Papa conuocato clero populoque Romano, cum multa humilitate processit in litaniam, cum sacratissima imagine S. Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, quae Graece ἀνεσποροῦτος, id est non manu hominis facta dicitur, simulque cum ea alia diuersa mytheria, proprijs humeris suppositis, nudis pedibus, cum alijs sacerdotibus portauit: pergensque ad Ecclesiam S. Dei genitricis Mariae, quae ad praesentem dicitur, posito in omnium capitibus cinere. Haec de Christi imaginibus. De imagine Dei Patris in dubium reuocari solet. Scriptum est enim Deut. 4. Non vidistis aliquam similitudinem. Et plerique existimauerunt non deesse Dei Patris effigiem vel imaginem pingere. S. August. de fide & Symbolo cap. 7. Credimus, inquit, & quod sedet ad dexteram Dei Patris. Non ideo tamen quasi humana forma circumscriptum esse Deum patrem arbitrandum est, vt de illo cogitantibus, dextrum aut dextrum latum animum occurrat. Et paulo post: Facilius simulacrum Deo necas Christiano in templo collocare. Damas. item lib. 4. orthod. fid.

fid. capitulo 17. Ad haec, inquit, quisnam est, qui inuisibilis & corpore vacans, ac circumscriptiois, & figurae expertis Dei simulacrum effingere queat? Extremae itaque dementiae, atque impietatis fuerit, diuinum numen fingere, ac figurare. Atque hinc est, quod in veteri Testamento, minime tritus, ac peruulgatus imaginum usus erat. Posteaquam autem Deus ob viscera misericordiae suae salutisque nostrae causa homo verus factus est, &c. Hanc sententiam probarunt Demetrius, in secunda Nicæna Synodo Act. 5. Nicetas libro de imaginibus. Durand. ad tertium sentent. distinct. 9. quaest. 2. Deus enim Spiritus purus est, neque potest aliqua figura, vel imagine exprimi. Quod autem citati patrum loci intelligi debeant de immediata similitudine naturae diuinae, vide Concilium Tridentinum, sessione vigesima quinta, vbi ait: Quod si aliquando historias & narrationes sacrae Scripturae, cum indocta plebi expediet exprimi & figurari contigerit, doceatur populus non propterea diuinitatem figurari, quasi corporis oculis conspici, vel coloribus, & figuris exprimi possit. Misericordis, ait August. libro 3. de doctrina Christiana, capitulo 5. animae nostrae seruitus est, signa pro rebus accipere, & super creaturam corpoream, oculum mentis ad hauriendum aeternum lumen leuare non posse, &c. Quod vero pertinet ad Spiritum sanctum, Patres Synod. Constantinopol. Act. 2. & Nicænae Synod. 2. Act. 5. picturas Spiritus sancti in columbae specie non improbant: Xenaiamque haereticum, qui tales picturas irridebat, necnon Seuerum haereticum, qui aureas, & argenteas columbas in figura Spiritus sancti, supra diuinos fontes suspensas abstulerat, damnauerunt. Spiritum sanctum supra Christum baptizatum, in specie columbae descendisse legimus, Luc. capitulo 3. idque varijs causis, quas luculenter enarrat S. Thom. tertia parte, quaestione 39. articulo 6. Rursus articulo septimo, differit an columba illa, in qua apparuit Spiritus sanctus, fuerit verum animal. Cui addendus est Bonauentura ad librum primum Sentent. distinctione decimanona, Ceterum de columbis Eucharisticis infra Capitulo, de arcula siue ciborio. Hoc loco cauendum est a Nicephoro Callisto, qui libro decimo octauo, capit. 53. nedum imagines Patris, sed & Spiritus sancti improbat. Sanctae Mariae varias imagines, Sanctum Lucam manibus suis ad viuum pinxisse Metaphrastes, in vita Sancti Lucae: Theodor. in collectaneis libri primi. S. Thom. ad tertium librum Sententiarum, distinctione nona, quaestione 2. Nicephorus libro 2. capitulo 43. & libro 6. capitulo 15. & 16. & alij quidam litteris mandarunt. Vnam S. Pulcheria in templo, quod τὸν ὀδὸν ἡγῶν, hoc est viae ducum dicitur, collocauit. Nicephor. libro 14. capitulo 2. & libro 15. capitulo 14. Altera ab eodem Luca efficta et expressa Romae in Basilica Sanctae Mariae Maioris, multis iam saeculis religiose asseruatur. Durand. in ration. libro 6. capitulo 89. Philippus Bergomas in Luc. & Canisius libro 5. capitulo 32. de Maria Deipara Virgine. Has vero Sanctae Mariae imagines insignibus miraculis, & Romae, & apud Constantinopolitanos illustratas iisdem auctores prodiderunt. Feruntur & aliae sacratissimae Virginis imagines, quae varia miracula ediderunt. Imaginem Sanctae Mariae in Ecclesia, quae apud Edeffam, in eius honorem extructa est, custodem Ecclesiae allocuta, & Alexij singularem pietatem commendasse scripsit Metaphrastes 17. Marc. Aliud miraculum commemorat Euagrius libro 5. histor. Ecclesiast. capitulo 18. his verbis: Quibus rebus cogitis Anatolius ad imaginem quandam Deiparae funem in carcere sublimem appensam accurrens manibus, a tergo complicatis se ei supplicare, precesque adhibere ostendit: illa vero cum velut sacrilegum detestata, & Deo inuisum coarguens penitus a se auertit spectaculum plane horribile, & sempiterna memoria prodendum. Sophronius Patriarcha Ierolymitanus, in prato spiritali, capitulo 180. Imaginem sanctae Mariae exiguam candelam accensam plures menses integram conseruasse pluribus verbis commemorat. Narrat item Nicetas Chomates quanta fuerit imaginis Dei genitricis veneratio, in publica processione Constantinopoli sanctum Siluestrum Papam imaginem Christi sedentis Petri quoque & Pauli, ac aliorum Apostolorum imagines apud se asseruasse, Damasus in vita Siluestri, Metaphrastes in vita Siluestri. Adrianus Papa Nonus, in epist. quam misit ad septimam Synod. & quidam alij prodiderunt. Sanctus Chrysost. vt in eius vita Georgius Patriarcha Alexandr. scriptum reliquit, habebat in imagine effigiem, exprimentem Sanctum Paulum velut spirantem, & superflitem, quam cum intercapedinem scribendi faciebat fortibus oculis quasi ipse Paulus in viuus

supereffet, spectabat. Idem Chrysofom. Orat. quod veteris, & noui Testamenti vnus sit legislator se fusilem ex cera picturam pietate plenam plurimum amasse confitetur. Petri & Pauli imagines in picturis colorum varietate expressas conseruatasque fuisse testatur Euseb. libro 7. histor. capitulo 14. Item Petrum, & Paulum, simul cum Christo pluribus locis in primitiua Ecclesia pictos fuisse auctor est August. libro primo, de consen. Euangelistar. capitulo 10. Meletij Antiocheni Episcopi memoria tanto in honore, & pretio fuit apud Antiochenos, vt eius effigiem vbique pingi, & in annulis exculpi solitum fuerit, Nicephor. libro 12. capitulo 18. Synod. 2. Nicæna 5. Act. 4. ex Chrysof. in encomio Meletij. Porro SS. coronati pinguntur, Durand. in ration. libro primo, capitulo tertio. Solebant veteres statuas coronare, hoc est supra statuarum capita circum semispheram referentem necere. Quod ex Ammiano Marcellino libro 17. & 25. Velleio Paterculo libro secundo. Lazijs probat libro 9. comment. Reipublicæ Romanæ capitulo decimonono. Vnde ait ille: In hodiernum diem Sanctorum imagines, cum solari corona & pinguntur, & sculpsuntur. Nonnulli originem, & causam quare radij solares supra capita Sanctorum, & præcipue Apostolorum effingantur, referunt ex eo quod Abdia testante, libro quinto histor. Apostol. super Ioan. lux tanta apparuit per vnâ fere horam, vt nullus eam sufferret aspectus. Nedum autem sanctis, sed & Angelis imagines, & statua exigebantur. Angeli hominis forma pinguntur, S. Dionys. libro de cælesti hierarch. capitulo decimoquinto, cuius hæc est inscriptio: Quæ sunt Angelorum imagines, quæ formantur, quæ humana species, quæ oculi, quæ nares &c. Pinguntur etiam humana facie, quod in ea visi sunt si quando apud homines ministerium Dei obierunt, Synod. 7. Act. 5. Et si enim Angeli corpora naturaliter vnita non habeant, interdum tamen corpora assumunt, & in corporibus visi fuerunt, S. Thom. parte prima, quæstione 51. articulo secundo. Pinguntur item alati. Alæ vero in Angelis, & Archangelis sublimitatem naturæ significant, quod S. Chrysofom. homilia tertia, de incomprehensibili Dei natura, & Glycas parte prima Annalium his verbis enarrant: Sicut etiam alæ sublimitatem naturæ in eis significant &c. Nam volare Gabriel non idcirco perhibetur, quod Angelus iste pennas habeat, sed vt discas eum de locis supremis, ad homines venire, ita comparata res est, in Cherubim quoque, ac Seraphim. Nihil enim aliud denotant alæ, quàm ipsorum sublimitatem. Angeli etiam alati pinguntur alasque habere dicuntur, auctore Hieronymo, in capitulo sexto Isaia propter velocitatem, & incuncta discursum. Vel quia in altioribus commorantur. Neque enim illud, quod de ventis dicitur: Qui ambulat super pennas ventorum Psalm. 103. Vere ventos iuxta fabulas poetarum, & pictorum licentiam pennas habere testatur, sed celerem in cuncta discursum. Alatos Angelos dicit Paulinus natal. 8. quia angelorum sunt velocissimi motus, velocissimus famulatus, & subita mandatorum Dei executio. Hanc velocitatem litteræ sacræ indicantes, eos volucres appellant, plane super arcam Cherubim, cum alis expansis arcam contegentibus sculpsit erant, Exod. trigemoseptimo. Pinguntur etiam candidis vestibus, ad designandam, ait Gregorius Nazianzenus Orat. vigesima tertia, in laudem Neronis naturalem ipsorum puritatem. Porro vsus imaginum non inutilis est, quin maximos, & vberimos fructus præbet. Primum enim imagines illiteratos erudiunt, præteritorum memoriam instaurant, ac denique animos ad pietatem excitant, & inflammant. S. Thom. ad tertium Sententiarum distinct. 9. quæst. 2. Quod ad primum pertinet, Gregorius libro 7. epist. 109. ad Serenum Episcopum Massiliensem: idcirco inquit, in Ecclesijs adhibentur, vt qui litteras nesciunt, saltem in parietibus vident legant, quæ legere in codicibus non valent: & libro 9. epistola 9. ad eundem Serenum: Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa ignorant vident, quod sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt. S. Basil. de quadraginta martyribus: Quæ historia sermo per auditum repræsentat, eadem pictura muta per imitationem demonstrat. Gregor. Nissen. orat. de laudibus sancti & magni Theodori: Solet enim, inquit, & pictura tacens in pariete loqui, maximeque prodesse. Damasc. lib. 4. orth. fid. c. 17. Quia non omnes litteras norunt, neque lectioni incumbunt, patres nostri consenserunt veluti quædam trophæa, & quæ a Christo gesta sunt, repræsentare. Germanus Episcopus Constantinop. ep. ad Thomam Episc. Claudiopoleos, quæ exarata legitur, in 2. Nicæna Synod. Act. 4.

Act. 4. sermo qui bonorum virorum actiones recenset, iuuat audientes, & ad imitationem sæpius adhortatur. Hoc etiam per frequentem imaginum inspectionem fieri verisimile est. Nam quæ historica narratio per auditum docet, ea tacens pictura per imitationem ostendit: Paulinus Nolanus natal. 9. picturam idiotarum librum esse docet. Prudentius in Peristephanion historiam picturam refert, quæ tradita libris veram vetusti temporis monstrat fidem. Imagines beneficiorum Dei, ac passionum Christi, & martyrum atque eorum, quæ a Sanctis præclare gesta sunt, memoriam renouant. S. Nilus ad Olympiodorum Proconsulem, cuius verba exarantur in secunda Synodo Nicæna Act. 4. Noui & veteris Testamenti historijs, hinc inde parietes templi repleti doctissimi pictoris opera velim, quo scilicet ij, qui litteras non norunt neque sacram Scripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant quam constanter Deo, per fortiora facta seruiert. Leoninus Episcopus Neapoleos libro 5. apolog. contra Iudæos. Cuius verba leguntur, in secunda Synodo Nicæna Act. 4. Christum, inquit, Christi passionem passim in Ecclesijs, in foro, in picturis, in sindonibus, omnibus denique in locis hanc figuram ponimus, quo continuo contemplantibus nobis hæc in mentem veniant, & non obliuiscamur Domini Dei nostri, quemadmodum tu oblitus es Domini Dei tui. Persæpe vsu venit, ait Damasc. libro 4. orthodox. fid. capitulo 17. vt Domini passionem animo minime versantes, conspecta Christi Crucifixi imagine in salutiferæ passionis memoriam redeamus, ac prostrati non materiam, sed eum cuius imago effingitur, adoremus. Denique imagines ad pietatem excitant, & inflammant. Gregorius Nissen. quem secunda Synodus Nicæna laudat Act. 4. de seipso ita loquitur: Vidi sæpius inscriptiones imaginum, & sine lacrymis pertransire nequii, cum tam efficaciter pictura obtutibus meis proponeret historiam Abrahamæ, & Isaac, procumbit enim ante aram Isaac &c. Idem Gregorius Orat. 1. de pauperibus amandis. Efficaces igitur sunt imagines in commouendis inspectorum cordibus, dum in eis quis contemplatur exemplati diuinitatem, aut quamlibet virtutis sublimitatem. Gregorius Magnus libro 7. epistola 53. ad Secundinum: Scio, ait, quod imaginem Saluatoris nostri, non ideo petis, vt quasi Deum colas, sed recordationem filij Dei, in eius amore recalescas, cuius te imaginem videre, consideras. Brachio conspectum sacrarum imaginum, in Oratorio Emiliani conuersionis ad meliorem frugem occasionem præbuisse docet Gregorius Turonensis in Emilia. His ergo de causis institutæ sunt imagines, institutæ quoque sunt venerationis ergo. Venerandas sacras imagines innumeri patres monuerunt, Adrianus Papa 1. ex Basil. epist. ad Iulianum. Historias, inquit, imaginum illorum honore & palam adoro. Hoc enim nobis & a Sanctis Apostolis non est prohibitum. Idem Adrianus ex S. Hieronymo, ibi: Ita nobis Christianis Crucem largitus est, & bonorum operum imagines pingere, & venerari. Gregorius plura de veneratione imaginis libro 7. epistola 5. & 53. ac 109. item libro 9. epistola 9. Sophronius passim in prato Spirituali. Damasc. de imaginibus. Ionas Aurelianensis, & alij complures, quos septima Synodus laudat. Varia quoque Ecclesiæ concilia, vsu & venerationem imaginum approbauerunt. Primum fuit Constantinopolitanum sextum, quo canon. 83. effigies Christi in imaginibus erigi iubetur, per hoc, ait Synodus, manu ducimur in memoriam suæ in carne conuersionis, ipsiusque passionis, salutiferæque mortis, & præterea factæ mundo redemptionis, ibique imagines venerandæ appellantur. Sigibertus narrat sub Gregorio 3. imperante Leone iconomacho nongentos, ac tres Episcopos Romæ congregatos venerationem sacrarum imaginum probasse, earumque violatores damnasse. Alterum fuit Nicænum 2. trecentorum quinquaginta patrum Constant. et Irene Imperantibus, quo patres, impios canones Synodi in blachernis apud Ephesum damnarunt: Nonnulliq. Episcopi, qui impio conuentui consenserant, resipiscentes canones illos aduersus sacras imagines abiurarunt. In huius Concilij Nicæni Act. 1. legitur resipiscentium Episcoporum palinodia, & Act. 7. imaginibus lumen suffitum et oblationem exhiberi prototypo inspecto, ex veteri & pia consuetudine & ecclesiastica traditione eadem Synodus deffinit, eosque qui sacras imagines non salutant in nomine Domini & Sanctorum eius, anathematizat. Accessit & aliud Concilium, quod in Germania, & Ciuitate Francofur. celebratum fuit, quo hæresis Felicianæ aduersus

imagines damnata fuit. Ei autem Concilio adfuerunt Theophilus, & Stephanus Episcopi illustres, ac legati sedis Apostolicæ, necnon Carolus Magnus: quod pluribus enarrant Rhegino Chron. Norimbergen. Nauclerus, Platina, & alij complures. Itaque obiter eripiendus est error Aymonij Monachi libro 4. de gestis Francorum capit. 85. dum scripsit, septimam Synodum Constantinopolitanam ab omnibus repudiatam fuisse. Septima enim, quæ & secunda Nicæna semper habita fuit, septima generalis Synodus in Ecclesia Romana canon. sacrosancta, distinct. 16. Iuo quarta parte, capitulo 132. deinde celebrata fuit octaua Synodus Constantinopolitana, quæ Act. 8. varijs locis iconomachos damnat. Intercessit & aliud Concilium Gentiliaci habitum, quo Græci Oratores iussi sunt admōnere Cæsarem suum, vt quo ad vsum imaginum cum ceteris pijs sentiret. Paulus Æmilij libro 2. de gestis Francorum. Concilio item Lugdunensi sub Gregorio 10. cui Imperator Græcorum interfuit, decretum fuit, venerandas esse sacras imagines. Extrat huius Concilij decretum, in capitulo, Si canonici, de offic. ordinar. Nouissime Concilium Tridentinum, sessio. vigesimaquinta, de inuocatione Sanctorum, de vsu & veneratione sacrarum imaginum diffiniuit imagines porro Christi, Deiparæ virginis, & aliorum Sanctorum in templis præsertim habendas & retinendas, eisq. debitum honorem & venerationem impertiendam. Non quod credatur aliqua, in his diuinitas, vel virtus, propter quam sunt colenda: vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia sit in imaginibus figenda, veluti fiebat olim a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant. Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant, ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremus. Id quod Nicæna præsertim Synodi decretis contra imaginum oppugnatores est sancitum. Nuper enim cum quidam ex Germanis hæreticis ad Ieremiam Patriarcham Constantinopolitanum, scripissent, illiq. summa fidei, & confessionis suæ capita obtulissent: Ieremias quo ad imaginum cultum rescripsit his verbis: Mediatores autem facimus omnes sanctos. Imprimis autem, & excellenter ante alios omnes, ipsam Dei genitricem Virginem Mariam matrem Dei. Secundum hanc autem atque secundum Angelorum, atque aliorum Sanctorum choros templis, donarijs, supplicationibus sacris imaginibus eorum non proprio Dei cultu, sed relate, & consideratione quadam ad ipsa exemplaria honorem facimus, illisq. aduoluimus. Censuræ Orientalis, capitulo 21. Ecce Orientalis Ecclesiæ fides. Longe antea Ioannes Citri Episcopus, libro 3. iuris Orientalis diserte profitetur diuina templa, venerationesq. pretiosæ Crucis, sanctarumq. imaginum Latinis, & Græcis communia esse. Miraculis etiam imaginum veneratio illustratur Christi imagine, quæ ab Abagaro Missa in Ciuitate Edeffæ seruabatur, miraculorum effectricem appellat Constantinus. Porphyrogenitus Orat. de qua supra æneam Christi imaginem in Paneade Cæsareæ varia edidisse miracula auctor est Eusebius libro 7. histor. capitulo 14. Imaginis Christi insigne miraculum scripsit Athanasius libro de passione imaginis Christi. Aliud non multum dissimile commemorant Gregorius Turonensis, in gloria martyrum capitulo 22. & Antoninus histor. parte 2. titulo 12. capitulo 5. §. 2. idem Gregorius Turonensis, de glor. marty. capitulo 23. Aliud miraculum refert, quod in Ecclesia S. Genesij ciuitatis Narbonæ acciderat. Varia ad Deiparæ Virginis imaginem edita miracula recenset Canisius de Maria Deipara, libro 5. capitulo 22. Et ne hæc longius prosequar, exarabo quæ Germanus Patriarcha Constantinopolitanus scripsit his verbis: Extra omnem controuersiam est, inquit, Sanctorum imagines mirifica designare miracula, vt et debilibus valetudo bona per eos concilietur, sæpeq. in somnijs apparentes optima quæque nobis consulant. Et paulo post addit, non minorem esse in imaginibus miraculorum causam, quàm in Sanctorum sudarijs vmbraq. mortalis corporis &c. Superest, vt præcipua quæ aduersus vsum, & venerationem imaginum hæretici obijciunt, breuiter diluamus. Obijciunt in primis quod scriptum est Exod. 20. Non facies tibi sculptile. Item Leuit. 26. Non facietis vobis idola, & sculptile, & statuam non erigetis vobis, & lapidem depictum non dabit in terra vestra. Rursus Deuteronomij quarto: Non vidistis aliquam similitudinem. Primum obseruandum, idoli vocem non

non posse referri ad sacras imagines, Origenes enarrans illud Exod. capitulo 20. *ποιήσεις σικυτῶν ἰδωλον, ἐδὲ παντός ὁμοίωμα.* Non facies tibi idolum nec omnem similitudinem. Theodor. quaest. 38. in Exod. & Procopius Gazeus in Exod. ad ea verba: Non erunt tibi dii præter me: Monent aliud esse idolum aliud *ὁμοίωμα*. Qui existentis alicuius rei putat serpentis, auis, hominis speciem format, is similitudinem facit, quæ scilicet aliquid existens referat: Qui vero fingit speciem eius rei, quæ in rerum natura non est neque fuit, vt Iouis tonantis, Phæbi radiantis, Mercurij volantis, idolum facere dicitur. Itaque idolum ait Origenes, nihil aliud est quàm figmentum merum, in quo nihil numinis, nihil honoris inest. Quare S. Paulus, 1. Corinth. 8. *ὁ δὲ αὐτὸν ὅτι ἰδωλον ἐδὲ ἐν ἐν κόσμῳ* Scimus quod idolum nihil est in mundo: & capit. 10. Dico ne quod idolum sit aliquid. Apud Hebræos idola appellantur *עֲלִילִים* elilim a radice *עֲלִל* alal auctore R. Dauid, quod est vanum, inane: Vnde Iob. 13. *עֲלִילִים* Medici *עֲלִילִים* elil vanitatis, aut medici inutiles: & Zacharias. 11. Væ pastori *עֲלִילִים* haelil id est vanitatis. Quare idola, res vanæ sunt & nullius momenti. Plura de voce idoli Tertullianus lib. de idololatria capit. 3. & Isidor. lib. 8. etymol. cap. vlt. quamobrem idolorum frequens in scripturis prohibitio, ad imagines Christi minime pertinet. Merito in 7. synodo. Act. 1. Scriptum est *ὅτι τὰς σικυτῶν εἰκόνας ἰδωλὰ καλεῖται ἀνάθημα.* Qui venerandas imagines appellant idola, anathema. Præterea dum prohibetur fieri sculptile, vel similitudo non est intelligendum de sacra imagine, sed de agalmate. Agalma vero significat abiecti animalis statuam, auctore Adriano Papa in ep. quæ extat in 2. Act. synod. 7. Simulachra ergo falsorum deorum vel earum rerum quæ coli non debent, illis locis vetantur, & de ijs falsorum deorum imaginibus interpretanda sunt testimonia, quæ ex Tertulliano, Eusebio, & Laſtancio citari solent. Amplius non omne sculptile Deus vetat: nam & post legem latam, Deus cherubim fieri in propitiatorio iussit, Exod. 25. Iussit & alias picturas. 3. Reg. cap. 6. & 9. 2. paralip. cap. 4. & 9. Verum vetat fieri sculptilia, & similitudines vt adorentur. Vnde Exo. 20. Non adorabis ea, neque seruias eis: & Leuit. 26. Non facietis vobis ipsis manu facta, neque sculptile, neque statuam erigetis vobis: & lapidem depictum seu insignem erigetis in terra vestra ad adorandum, siue vt vertit Hieron. vt adoretis. Atque ita hæc loca interpretatur Tertullianus, quem hæretici pro se fingunt. lib. 2. aduersus Marcion. cap. 22. Proinde & similitudinem vetans fieri omnium quæ in cælo & in terra, & in aquis, Exod. 20. ostendit & causas idololatriæ, scilicet substantiam cohibentes. Subijcit enim: Non adorabis ea, neque seruietis illis. Serpentis autem ænei effigiem præcepta postea &c. Et paulo post: Hic & cherubim, & seraphim aurea &c. Hanc interpretationem iuuant verba quæ sequuntur: Ego Deus Zelotes. Zelotes vero dicitur, quia non vult habere socium seu consortem in honore. Innuit ergo se prohibere sculptile & similitudinem ne honor, qui sibi soli debetur, alteri tribuatur. Quare hoc præcepto non prohibentur similitudines seu imagines absolute, & secundum se, sed quatenus honori Dei detrahunt. At sacris imaginibus non imminuitur Dei honor immo augetur. In honore enim Dei & amicorum illius, quos nimis honorare dicitur, eriguntur. Rursus opponunt hæretici quod Ezechie laudi & gloriæ detur, quod serpentem æneum confregerit 4. Reg. 18. At scriptura causam addit, quia vsque ad tempus filij Israel adolebant incensum. Quare vbi appareret de abusu imaginis alicuius nec populus ab anili superstitione rationibus contineri & cohiberi potest, eo casu imago potius frangi, & cominui debet. Hodie verecundum non est populum ea vana & anili religione imbui. Nemo enim tam rudis est tamq. imprudens inter Catholicos, qui aliquid numinis tribuat imaginibus, vel credat in eis inesse aliquam diuinitatem, & qui non referat honorem omnem ad prototypa. Opponunt item hæretici decretum Elibertini Concilij cap. 36. picturas in Ecclesia esse non debere; ne quod colitur aut adoratur in parietibus depingatur. Verum huic decreto varijs modis occurri solet. Quidam enim huiusce Concilij fidem in dubium reuocant, nec dum plene constat, quo tempore celebratum fuerit. Videtur enim non Siluestri sæculo, immo post Marcelini tempora habitum fuisse cum in can. 59. capitolij, mentio fiat. Præterea omnes concilium prouinciale fuisse decem & nouem Episcoporum, quod quidem tot conciliorum, quæ pro imaginibus extrant auctoritatem labefactare atque conuellere non potest. Deinde fieri potest vt Hispaniarum populo nuper ad fidem conuerso & contaminata aliqua superstitione circa picturas irretito concilium illud prouinciale picturas prohibuerit. Denique Synodus illa prouincialis picturas pure & simpliciter non prohibet sed in parietibus: Vix enim bene depingi possunt, citiq. in agines in parietibus depictæ formam vel formam

partem amittunt. Atque ita quod in honorem Christi, Deiparæ, & Sanctorum institutum est, ludibrio foret Christiano populo. Addit Turrian. lib. 1. de hierar. ordin. capit. 12. prohibitum in parietibus imagines pingere, quia si tempus requireret, facile auferri aut recludi non possent, ibique refellit quæ de Epiphano, qui velum, in quo erat imago, sustulerat.

12 Obijciunt denique hæretici libellum Caroli Magni aduersus imagines: at libellus ille non est Caroli Magni, sed suppositus ab aliquo illius sæculi iconomacho, quod varijs coniecturis probari potest. Prima est, quod Rhabanus Maurus Carolo Magno dicauit librum quem edidit de ueneratione Crucis & imaginis Christi. Ceterum verisimile non est Rhabanum librum illum Carolo dicasse, si Carolus vsum & uenerationem imaginum improbasset. Deinde Ionas Aurelianensis aduersus Claudium Taurinensem iconomachum scripsit tres libros, quos Carolo Caluo, Caroli Magni nepoti dicauit. In eorum autem præfatione singularem Ludouici pij morem patris Caroli Magni aui Caroli Calui imitantis pietatem, & curam, ad propellenda hæreticorum dogmata venenata commendat. Ergo Carolus Magnus non repudiabat imagines. Alioquin Ludouicus pius, qui Ionam ad propugnandas sacras imagines aduersus Claudium Taurinensem excitauerat, non imitabatur morem patris sui Caroli Magni. Accedit quod Carolus Magnus quadriennio post Synodum Francofur. in qua liber ille editus dicitur, Imperator a Romanis salutatus fuit, & inauguratus a Leone 3. Pontif. At credi non potest Leonem Papam, Carolum Magnum Imperatorem renunciaisse, diademateq. Imperatorum vetusto exornasse, & sacro Balsami oleo inunxisse, imperiumq. transfuisse, si Carolus Magnus iconomachus fuisset, cum præsertim paucis ante annis Gregor. 3. Pontifex Leonem 3. Imperatorem Constantinop. ea de causa quia iconomachus erat, imaginesq. confringi & comminui edixerat, imperioq. simul et communionem fidelium priuasset. Addo quod Leo ipse Pontifex, qui Carolum Magnum corona imperiali donauit 7. Synodum probauit, vt ex eius epist. commemorat Iuo par. 4. capit. 147. Accedit quod nullus eorum, qui historiam & vitam Caroli scripserunt, illius lib. vel alterius ab eo editi meminerunt. Rursus tantum abest Carolum Magnum iconomachis fauisse, vt ipse concilio Francofur. interfuerit, quo damnata fuit hæresis Felicianæ aduersus imagines, vt iam docui ex Reginone anno Domini 794. chronic. Norimberg. Naclero generat. 27. & Abbate Vispergen. Idem Regino anno Domini 800. narrat Carolum Magnum a Leone 3. cum crucibus Romæ exceptum fuisse. Ad hæc Carolus Magnus non poterat de ueneratione imaginum statuere: ea enim tractatio atque diffinitio non ad Imperatorem sed ad Ecclesiam pertinet. Postremo obseruanda est conditio eorum, qui sacras imagines reiecerunt & improbarunt. Eorum enim impietas uenerationem imaginum confirmat. Manichæi externas Christi imagines detestabantur: hos pluribus arguit August. in lib. contra Faustum, præsertim lib. 20. cap. 15. & 22. cap. 73. Xenaias item Christi & Sanctorum imagines non esse venerandas asseruit, imaginesq. e templis deturbauit: is erat barbarus, feruus fugitiuus a Petro Cnaphæo nondum baptismo initiatus Hierapolis factus Episcopus. Nicephor. lib. 16. cap. 27. & 28. Leone 3. Isaurus qui & Conoij dictus est a duobus Iudæis, qui ei imperium prædixerant, corruptus, & inductus bellum sacris imaginibus indixit, easq. incendi iussit, simul & insignem illum œcumenicum cum 12. socijs & Bibliothecam sacris codicibus refertam Synod. 7. Act. 5. Zonaras in Leone. Ioannes Ierosolymit. Patriarcha. in vita S. Damasceni. Nicetas tom. 16. Paul. diacon. lib. 18. Legimus apud Sigibertum ad annum Domini 730. Iudæum quendam maleficum Gizid Saracenorum Regi pollicitum fuisse eum 40. annis regnaturum, modo imagines e regno eijceret & deturbaret. Ille vero regnandi cupidus edictum proposuit: at mox ipse obiit. Leonis impietatem imitatus fuit Constantinus filius, Copronymus appellatus. Is nedum imagines odio prosequutus est, sed & Christum ipsum, quem purum hominem esse asseruit, testante Anastasio Patriarcha ipsius, quoad imagines, fautore, vt Zonaras in Copronymo prodidit. Hunc habitu Christianum, mente ipsa Iudæum Theostictus, qui eo imperante floruit, memoriæ mandauit. Suidas hunc patris impij, & impietatis successorem venerem coluisse, & humanas hostias immolasse scriptum reliquit: Eiusdem impietatis sectator fuit Leo Armenius imperator dæmonibus familiaris. Vnde autem in eam hæresim seu insaniam inciderit, enarrat Zonaras; eius vero impietatem Deus grauiter ultus est: Eandem impietatem æmulatus est Michael Balbus Imperator, quem Zonaras sentinam sectarum fuisse, eumq. & iudaizasse, & resurrectionem mortuorum negasse scripsit. Hanc hæresim instaurarunt in Gallia Felix Aurelianus, qui & Nestorianus fuit, & in Synodo Francofur. damna-

damnatus. Claudius etiam Taurinensis, qui & Arianus fuit aduersus quem iussu Ludouici pij Ionas Aurelianensis tres libros pro imaginibus scripsit. Et nostro fere sæculo Lischæ, apud Bohemos: Zuinglius, apud Heluctios: Caroloftadius, Caluinus, Besa, & Huguenoti sceleratissimi, & ex omnium scelerum colluione nati. Ecce quales auctores iconomachia nacta est, Iudæos scilicet, & refugas Christianos.

DE CRUCIS ATQVE CRUCIFIXI
ueneratione

CAPVT SEXTVM.

- 1 *Crux non modo adhibenda ad ornanda templa, sed etiam in ipsorum extruptione figenda.*
- 2 *Crucis imaginem in magna ueneratione semper habuerunt Christiani.*
- 3 *Crucis apparitiones varia, ex antiquorum scriptorum monumentis recensentur. De Constantino Magno, septem dormientibus, & alijs.*
- 4 *Constantini Magni & totius exercitus erga crucem constans religio, qua etiam miraculis confirmata est.*
- 5 *Crucis pictura & ueneratio ex patribus comprobatur.*
- 6 *Crucem in triuijs erigendi mos antiquissimus.*
- 7 *Crux humi pingenda non est.*
- 8 *Crucis signum in nummis & imaginibus.*
- 9 *Crucis supplicium sublatum.*
- 10 *Crucis materia primum lignea, deinde argentea & aurea.*
- 11 *Crucis forma vera qua fuerit.*
- 12 *Crucifixi imago temere a quibusdam improbat.*
- 13 *Crucis cultus.*
- 14 *Crucis, in qua Christus pependit, adoratio.*
- 15 *Clauorum, lancea, uesimentorum, ac sepulchri Christi imagines minime colimus.*



RNANTVR etiam Ædes sacre Crucis & Crucifixi imaginibus. S. Nilus Olym-
piorum proconsule, qui ab eo quæsiuerat qualiter Ecclesia, quam extruere cogitauerat, ornanda esset epist. quam septima Synodus laudat, monet Crucis imaginem Orientem versus in Ecclesia collocare vt per hanc desperandis vndique spes salutis annuncietur. Quin in extruendis Ecclesijs crucem figere moris erat, vt ex Metaphraste 13. Septembr. Dum de Siluano Episcopo, qui extruxerat Ecclesiam S. Cornelio, agit, colligere licet. Item in Concilio Aurelianensi can. Nemo, de consecrat. dist. 1. ap. Gratian. Bruchard. lib. 3. cap. 6. Iuo Carnoten. lib. 2. cap. 6. & in Ord. Rom. de diuini offic. pag. 107. diligenter vetatur Ecclesiam ædificari priusquam Episcopus crucem ibidem fixerit. Iustitia. nouell. de monachis. §. 1. Si quis ædificare venerabile monasterium uoluerit non prius licentiam esse hoc agendi quam Deo amabilem locorum Episcopum aduocet: at ille manus extendat ad cælum, & per orationem locum consecret. Deo, figens in eo salutis nostræ signum &c. S. Ambros. serm. 56. Sine cruce Ecclesia stare non potest. Sane cum post præceptum traditum: Non facies sculptile, & ante factam crucem, in qua Christus pependit, licuerit serpentem æneum, qui erat imago Crucis futuræ, sculpe- re & erigere (Quod & Iustinus in dialogo aduersus Triphonem notat) multo magis licuit imaginem Crucis, quæ memoria est præteritæ, pingere. Itaque ab initio nascentis Ecclesiæ nedum crucis signatione vsi sunt Christiani, quod pluribus alibi probabimus, sed & Crucis imaginem pinxerunt, exerunt & venerati sunt. S. Petrus cruci addictus adeo crucem ueneratus est, vt postulauerit se cruci inuersis uestigijs affigi. Abdias lib. 1. histor. de S. Petro. Egesip. lib. 3. excidij Ierosolymitani capite 2. Chrysost. in encomio Apost. Petri & Pauli apud Metaphrastem. Hieron. de uiris illustribus. Ado & alij permulti. S. Andræas cum ad locum supplicij peruenisset, uidens procul crucem exclamare coepit: Salue crux, & postea: O bona crux & reliqua, quæ Ecclesia in eius festiuitate decantat ex narratione, & testimonio presbyterorum Achaïæ, cuius narrationis fidem faciunt Abdias lib. 3. Pet. Damian. serm. 2. de

de S. Andrea. S. Bernardus serm. 1. & 2. in festo S. Andreae. S. Chrysof. hom. 2. in capit. 2. Matth. in opere imperfecto commemorat, ex traditione, stellam, quae Magis apparuit, dum primum illuxit, in monte Victoriano habuisse in se formam quasi pueri paruuli & super se similitudinem crucis. Cruces consecrari, ac iusiurandum coram cruce iurare sole-
ne fuisse apparet ex decreto Pij Papae, qui floruit circa annum 147. Huius vero decreti meminerunt Theodor. in poenitent. suo. Bruchard. lib. 12. cap. 5. Iuo par. 12. capit. 62. Gratia. can. qui peierat 22. quæst. 5. Anselmus. lib. 11. cap. 64. Crucis picturas laudat Cyrillus Ieroso-
lymitanus lib. 6. aduersus Iulianum. Narrat Metaphrastes septem dormientes post 170. an-
nos Theodosio Imperate a somno excitatos, dixisse in latibulis crucis signa asseruata fuisse. Idem Metaphrastes testatur. Procopium illum inter martyres illustrem, cuius meminit Ni-
cephorus lib. 7. cap. 15. Cum crucis signum ei apparuisset, crucem ex auro & argento ab ar-
tifice fabricari iussisse. Scripsit item S. Barnabam digito signum Crucis marmoris infixisse
quod vsque in eum diem marmoris impressum visebatur. Signum Crucis Constantino ap-
paruit cum hac inscriptione: In hoc vincēs. Hoc signum Artemius, qui tum primum pi-
lum dicebat se vidisse, litterasq. legisse, totumq. exercitum signi spectatorem fuisse, aduer-
sus Iulianum aperte & libere professus est. Illiusq. signi effigiem Constantinus auro & la-
pidibus pretiosis imitatione adumbrare mandauit, signumq. quod a Romanis Labarum
vocat, in effigiem crucis auro & lapidibus pretiosis collustratam mutauit. Eusebius de vita
Constantini lib. 1. cap. 23, 24. & 25. Sozom. lib. 1. hist. Eccles. cap. 4. Quod ideo factum fuisse
Sozom. lib. 1. cap. 4. Niceph. lib. 7. cap. 37. prodiderunt, quo frequenti eius spectaculo & cul-
tu subditi, in desuetudinem pristinae superstitionis venirent, eumq. solum Deum esse arbi-
trarentur, quem Imperator & eius duces colentes, propugnatore aduersus hostes vterentur,
Labari formam describit Euseb. lib. 1. de vita Constant. cap. 25. Prudent. contra Symmach.
Niceph. lib. 7. capit. 29. Onuphrius. lib. 2. factor. extat. l. 12. C. rub. de præpos. laboror. Pamel.
ad Tertul. cap. 16. apologetici. At Iulianus ille impius signum Crucis conuerti in antiquam
Labari formam constituerat, quo milites desuescerent Crucem venerari. Cassiodorus. lib. 6.
tripart. cap. 30. Sozom. l. 5. c. 10. Eutrop. l. 11. Niceph. l. 10. c. 23. Gregor. Nazianz. orat. 3. Por-
ro isto salutari signo Constantinus, tanquam hostilis cuiusq. & infestæ violentiæ propu-
gnaculo, semper vsus est. Euseb. de vita Constant. l. 1. c. 23. Idem Constanti. quinquaginta-
ad crucem deferendam in exercitu delegerat: In qua parte Crucis vexillum visum erat, hos-
tes fugam capiebant, victores persequabantur. Euseb. l. 2. de vita Constant. c. 7. & 8. Idem
Eusebius commemorat, quod cum quidam ex cruciferis, crucis vexillum præformidine,
alteri tradidisset, ex acie egressus, telo coniecto confossus est. Qui vero vexillum gestabat,
illæsus euasit, signo Crucis tela excipiente: Sozom. l. 2. c. 4. addit. Niceph. l. 7. cap. 37. a Dei
amantibus viris creditum numquam, qui signum illud tulisset vulneratum, captum, aut in
sinistrum aliquem casum decidisse Zonar. tom. 3. annal. Eutrop. lib. 2. rerum Roman. vexil-
la militum ait Hieron. epist. 7. ad Latam. cap. 2. Crucis insignia sunt: Regum purpuras, &
ardentes diadematum gemmas, patibuli salutaris pictura condecorat. Amplius idem
Constant. quo milites secum ad Deum colendum assuesceret, arma eorum effigie crucis si-
gnari constituit. Sozom. l. 1. c. 8. Milites etiam crucis signum portasse in humeris, innuit epi-
stola Constantini ad Saporem Regem Persarum, apud Cassiodor. l. 3. tripart. cap. 4. Hunc
Deum colo, cuius signum Deo dicatus meus exercitus portat in humeris. Idem Constant.
Victo Maxentio, Urbem Romam ingressus, statim crucis signum in sublimi loco statui ius-
sit, statua ad formam, & similitudinem eius ex ære fabrefacta, in cuius manu dextera cru-
cem collocari iussit, cum hac latina inscriptione: Hoc salutifero signo, verò fortitudinis
documento, nostram Ciuitatem Tyranni iugo liberaui, & S. P. Q. R. in libertatem
vindicans, pristinae amplitudini, & splendori restitui. Euseb. l. 9. c. 8. Niceph. l. 2. c. 30. Idem
Constantinus tres Cruces immensæ magnitudine, in Constantinopolitana Ciuitate fabricari
fecit, ad exemplar earum, quas ter in Cælo viderat. Primum Romæ, contra Maxentium
depugnans. Secundum cum commisso cum Byzantijs proelio, trophæum de eis statuit. Ter-
tium cum Istro ponte iuncto Scythas vsque ad flumen subigit. Eis autem crucibus hæc im-
posuit nomina. *Ἰησοῦς κριστός νικῶν*. Iesus Christus vincit. Ex his, cui nomen Iesus inditum au-
ro per omnes partes diffuso ornata, collocata est super fornix, seu arcum triumphalem
in foro, vt obcuriore significatione ardorem pietatis ipsius indicaret. Alteram veneran-
dam sacramq. Crucem, Christi nomen præferentem, in porphyretica statuit columna, in
loco, qui *φρατῆρ* dicitur, hoc est, fraternus amor dicitur. Tertiam, quam Constantinus *νικητήριον*
id est,

id est, Victoriam, vocauit. Heraclius autem *ἀνικητόν*, id est, Inuictam, ad forum panari-
um, ad quam multæ etiam supra opinionem hominum virtutes sunt editæ: Hæc Niceph.
l. 8. c. 32. vbi nonnulla huiusce Crucis miracula commemorat. Constantinus item in num-
mis, & imaginibus suis signum Crucis inscribi, & figurari iussit. Sozom. l. 1. c. 8. histor. tri-
part. l. 1. c. 9. Eutrop. l. 11. rerum Roman. Nicephor. l. 7. c. 46. Imaginem vero suam, in aureis
nummis ita insculpi curauerat, vt manibus instar precantis Cælum contueri videretur.
Euseb. de vita Constant. lib. 4. c. 15. Arcadium quoque auream monetam, cum signo Crucis
fieri præcepisse, eamq. monetam in vsu totius orbis, maxime Asiæ, perstitisse, auctor est.
Prosper Aquitanus de promission. & prædict. part. 3. cap. 34. Denique in honorem Crucis
supplicium Crucis, quod apud Romanos seruire erat, & frequens, vt ex Plauto in milite
glorioso, Horat. l. 1. Satyr. Cicer. l. 3. & 5. in Verrem, Apuleio, Seneca l. 1. de clemen. cap. 26.
Valerio Maximo, lib. 2. c. 2. & l. 8. c. 4. Vulcat. in Auidio, Cassio Capitol. in Macrino, Paulo l.
5. sentent. tit. 17. §. 2. & tit. 21. §. vlt. Iosue. 8. 2. Regum 25. Genes. 40. Suetonio, Couarruua. l. 4.
variarum resolutionum cap. 5. & alijs plerisque colligere licet, lege prohibuit. Sozom. l. 1. c.
8. tripart. l. 1. c. 9. Niceph. lib. 7. c. 46. Quod & vsu receptum fuit, poenaq. illa penitus subla-
ta. S. August. de verbis Domini. serm. 18. quia, inquit, ipse Christus honoraturus erat fideles
suos, in fine huius sæculi, prius honorauit Crucem in hoc sæculo, vt terrarum Principes cre-
dentes in eam, prohiberent aliquem nocentium crucifigi: & quod cum magna, vt ait idem
Aug. in Psal. 36. conc. 2. quantacumque patiaris, non peruenies ad illas insultationes, ad il-
la flagella, ad illam spineam coronam, ad illam postremo Crucem, quia iam de poena ge-
neris humani sublata est. Cum enim apud antiquos scelerati crucifigerentur, modo nullus
crucifigitur. Honorata est, & finita est: finita est in poena, manet in gloria. A locis sup-
pliciorum fecit transitus ad frontes Imperatorum, qui tantum honorem dedit poenis suis,
quid seruat suis fidelibus. Homil. item 36. super Ioannem: Quid seruat fidei suo, qui ta-
lem honorem dedit suo supplicio. Denique modo in poenis reorum non est apud Romanos,
vbi enim Crux Domini honorata est, putatum est, quod reus honoraretur, si crucifigeretur.
Quibus palam sit Constantinum summa Religione signum Crucis coluisse. Rursus
Crucem vbique pingi solitam, & venerari, sancti Patres testantur. S. Chrysof. homil. 54. in
Matthæum: Si regenerari oportet, Crux accedit. Et postea: Si quodcumque aliud facere,
vbique nobis signum victoriæ assistit. Propter hoc in domo, & in muris, & in ianuis, &
in fronte, & in mente cum multo inscribimus studio: & hom. 55. In Matth. enarrans ver-
ba illa: Quia non sapis quæ Dei sunt, hortatur Crucem, & in penetralibus, & in parietibus,
& in fenestris inserere: & oratione quod Christus sit Deus, contra Gentiles, hanc Crucem
scilicet vbique celebrari videre licet. In domibus, in foro, in solitudine, in vijs, in montibus, in
collibus, in vallibus, in mari, in nauigijs, in insulis, in lectis, in vestibus, in armis, in thalamis,
in symposijs, in vasis argenteis, & aureis, in margaritis, in murorum picturis. Et paulo post:
Omnes de ea solliciti sunt, & vbique fulget, & sparsa est. In parietibus domorum, in culmini-
bus, in libris, in ciuitatibus, in vicis, in locis, quæ habitantur, & quæ non habitantur, sanctæ
imagines, & crucis, ait Balsamon ad canon. 73. ex Trullianis, qui sub nomine sextæ Synodi
circumferuntur, in publicis vijs eriguntur, & nos quidem propter Deum, & puram erga San-
ctos eius fidem sancta eiusmodi vbique erecta adoramus, & salutamus. Hinc apparet mo-
rem erigendi Cruces, in vijs publicis, triuijs, & compitis non recentem, sed veterem, &
diuturnum. Prohibuerunt tamen sancti Patres, & Christiani Principes, venerationis ergo,
vel in solo, vel in silice, vel in marmoribus humi positis signum Crucis sculperet; vel
pingere l. 1. C. nemini licere signum Saluat. Itaque cauendum est a Crinito l. 9. de honesta
disciplina cap. 9. Ibi enim aut libri vitio, aut veteratoris alicuius impostura, edictum Theo-
dosij, & Valentiniani, recitans, præterijt vocem illam, [humi] quæ extat in C. Iustinian.
cum Crux nobis viuifica salutare ostenderit, nos omnem diligentiam adhibere oportet, vt
ei, per quam ab antiquo lapsu saluati sumus, eum, quem par est, honorè habeamus. Quam-
obrem & mente, & sermone, & sensu adorationem illi tribuentes, Crucis figuras, quæ a
nonnullis in solo & pauimentis fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium concul-
catione victoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. Eos itaque, qui deinceps Crucis si-
gnum in solo construunt, segregari decernimus: hæc ex Trull. can. Legimus Tiberium
secundum Imperatorem, cum vidisset in pauimento Palatii tabulam marmoream, in qua
Crucis signum insculptum erat, proteri, ac conculcari, religione motum, iussisse eandem
tabulam auferri: qua remota, aliam inuentam, signum quoque Crucis habentem, qua-
iterum

7 iterum remota, ac deinde tertia, in qua eadem Crucis effigies impressa erat, ingentem The-
saurum apparuisse Greg. Turon. lib. 5. c. 19. & Paul. diaconus. l. 18. Initio Crucis lignee erat
ex duobus lignis composita, auctore Athanasio quaest. 18. Solummodo Angliae Regem Cru-
cem ligneam erexisse in loco, ubi pugnatus erat, eamque innumeras virtutes edidisse, scri-
ptum reliquerunt, Beda l. 3. historiae Anglicae. c. 2. & Amalar. Fortun. lib. 1. de ecclesiasticis of-
ficiis. c. 14. ex aere confectam Crucem, Macrinum in pectore pendentem tulisse, testatur Gre-
gor. Nissenus. epist. ad Olympium Monachum: Deinde argenteas, & aureas Cruces factas
esse varij auctores prodiderunt. S. Chrysostrum Crucis argenteas fecisse, Eudoxia suppe-
ditante, easque cum cereis funalibus, ac luminaribus deferri constituisse, commemorant Cas-
siad. lib. 10. tripart. cap. 8. Soctates lib. 6. cap. 8. Sozom. lib. 8. cap. 8. & Nicephor. lib. 13. cap. 8.
Georgius Alexandrinus Archiepiscopus in vita S. Chrysostr. Cruces argenteas paruulas epi-
scopos deferre in pectore, e collo pendentes consueuisse, ex Leontij Cyrorum Episcopi de
Zacharia historia, quae exarata legitur Act. 4. Synodi 2. Nicenae, perspicuum est Constanti-
num donasse Crucem auream purissimam, quae pendebat libras centum quinquaginta, au-
ctor est Damasus in Siluestro, imaginem Crucis, & Christi Crucifixi in auro, argenteo
exprimimus; ait Ionas Aurel. lib. 1. de cultu imaginum circa finem: Crucis argenteae me-
minit Beda lib. 1. historiae Angl. cap. 25. Crucem auream magni ponderis, Ludouicum pium
8 S. Petro obtulisse, auctores sunt Platina, Bergomen. & Ignatius. Qualis vero fuerit forma
Crucis non omnes conueniunt. Nonnulli existimarunt Crucem, in qua Christus fuit affixus,
ex tribus lignis compositam fuisse, vno, cui adhaerebat Corpus, altero, in quo extendebantur
brachia, tertio, quo nitebantur pedes. Eorum opinionem iuuare videtur Irenaeus lib. 2. c. 42. his
verbis: Ipse habitus Crucis, fines, & summitates habet quinque, duos in longitudinem, duos in
latitudinem, & vnum in medio, ubi requiescit, qui clauis affigitur. Idem fere legimus apud
Iustinum, in dialogo cum Triphone ultra medium. At veteres Christiani, vt ex Anastasio
quaest. 16. diximus, figuram Crucis ex duobus lignis conficiebant. Pierius Valerian. lib. 1. hie-
roglyphicorum prodidit veteres figuram Crucis aliter expressisse. Supremam enim partem
incuruabant in modum baculi, ad similitudinem Graecae litterae rho paulo inferius duo ligna
transmedia, ad similitudinem Crucis sancti Andreae, quae referebat imaginem litterae Grae-
cae X. vt illis duabus litteris significaretur Christus. Deinde transfigebant lignum illud, in
quo brachia extenduntur, & appendebant ex illo velum expansum, quod significabat
Christum in illo ligno passum fuisse. Ad infimam vero pingebant capulum velut hastae,
vt significarent illud esse vexillum militum Christi. Non desunt, qui Crucis figuram ean-
dem fuisse dicant, quae & Graecae litterae T. Nam littera T. typum Crucis significat: Cle-
mens Alexandrinus lib. 6. Stromat. S. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 3. S. Paulinus epist. 2.
ad Seuerum. S. Aug. lib. 7. quaest. super Iudic. cap. 37. & ad Psal. 67. Origen. homil. de Epipha-
nia, inde & Hebraeorum vltima littera thau, Crucis, & salutis signum describitur. Hieron.
in cap. 15. Marci, & Sermo. 30. de natiuitate Domini, hoc signo postea Hebraeorum:
& in Ezechiele frontes eorum, qui ab ira percutientis euaserunt, signato fuerunt, Ezechiel.
cap. 9. Tertull. aduersus Iudaeos, & lib. 3. aduersus Marcionem. S. Cyprianus lib. 2. aduersus
Iudaeos: Neque pugnat quod forma litterae Tau, nihil commune habeat cum Crucis figu-
ra; litterae enim Hebraeorum immutatae fuerunt ab Esdra scriba, legisque Doctore, post ca-
ptam Ierosolymam, & instaurationem templi sub Zorobabel, cum ad illud vsque tem-
pus, ijdem Samaritanorum, & Hebraeorum fuerint characteres. Hieron. epist. 106. quae in
librum Regum praefatio inscribitur: Itaque Tau antiquis Hebraeorum litteris, quibus vs-
que hodie vtuntur Samaritani, Crucis similitudinem habebat. S. Hieron. in cap. 9. Ezechie-
lis. Isidorus lib. 1. originum. cap. 3. Aethiopes habere Crucis signum pro Tau littera, Aegy-
ptij quoque antiquitus hac utebantur littera, quae eorum lingua significabat vitam ventu-
ram. Rufinus lib. 11. cap. 29. Narrat Socrates lib. 5. cap. 17. Sozom. lib. 7. cap. 15. Niceph. lib.
21. cap. 16. & Suidas, Theodosio Imperante, cum solo aequarentur templa, in Serapidis sa-
crario, hieroglyphicas compertas esse litteras, quae crucis praeferebant formam. Ego existi-
mo Crucis formam fuisse tandem, quae hodie pingi, & erigi solet. Nam ex duobus lignis
Cruces fieri antiquitus testatur Athanas. Quattuor vero angulos, fines, & cornua habuisse
probant S. Basilius, in narratione in cap. 11. Isaiae, Gregor. Nissenus in catechis. maior. c. 32.
Aug. varijs locis, dum de dimensionibus Crucis, longitudine, latitudine, altitudine, & pro-
fundo eius, & quattuor mundi partibus, Oriente, Occidente, Austro, & Aquilone agit,
tractat. l. 18. in Euangelium Ioan. cap. 13. Serm. 1. in vigil. Pentecost. Serm. 3. de Annuntiatione
Domi-

Dominica, & Serm. in Festo omnium Sanctorum ad finem, ubi altitudinem, ait in illo li-
gno, quod ab eodem tranuerso, sursum versus ad caput eminet. Alibi idem August. epist.
120. cap. 26. innuit lignum longum emicuisse super tranuersum. Signum sanctae Crucis ait
Minut. felix: Naturaliter videmus in nauis, cum velis tumentibus vehitur, cum expansis pal-
mulis labitur, & cum erigitur iugum, Crucis signum est, & cum homo porrectis manibus,
Deum pura mente veneratur, ita signo Crucis, aut ratio naturalis innititur, aut vestra Re-
ligio formatur. Crucis formam ait Hieron. in cap. 15. Marci, assumunt aues quando ad aethe-
ra volant, homo natans per aquas, vel orans, forma Crucis vehitur nauis, per maria, an-
tenna Cruci simulata sufflatur, ipsa Crucis species quid est, nisi forma quadrata mundi? In
adoratione veterum, Crucis formam religiosam fuisse colligit Caelius Rhodig. lib. 10. cap.
8. quoniam in veneratione supplicii dum ori dexteram admouerent, pollicem super indice-
m residentem (quod & hodie a plerisque fit) exosculabantur. Quod ibidem ex Plinio, &
Apuleio confirmat. Haec de Crucis imagine. Nam de vera Cruce, in qua Christus
pro nobis passus est, eiusque inuentione, & miraculis plene in festo inuentionis Crucis. Su-
perest de Crucifixi effigie, & Crucis veneratione nonnulla addere. Sunt qui Crucis nudae,
& simplicis imagines non improbant. At Crucifixi effigiem pictam, aut sculptam Cruci
addere, detestantur. Verum error iste eripiendus est: Nam & Crucifixi effigiem Cruci
additam August. probat lib. de visitatione infirmorum, cap. 2. & 3. his verbis: Habent siqui-
dem Christianorum arcana, illius Dominicae Crucis quasi quoddam venerabile monu-
mentum, quod de Crucis ipsius imaginatione, Crucem cognominant, quod & nos omni
veneratione dignissimum fatemur, & ad recordationem Crucifixi nostri veneramur. Adij-
citur enim super Crucem quaedam hominis inibi patientis imago, per quod salutifera
Iesu Christi nobis renouatur passio: hanc complectere humiliter, venerare suppliciter, ta-
men haec ad memoriam tibi reduces:

*Nec Deus est, nec homo praesens, quam cerno, figura
Sed Deus est, & homo, quem signat sacra figura.*

Et paulo post:

*Scilicet ipse nota sunt Crux, & Crucifixus:
Hanc & ego veneror, Iesum quoque semper adoro.*

Legimus Eustachium martyrem, qui antea Placidus dicebatur, per imaginem Crucifixi
inter cornua Cerui, ad fidem Christianam conuersum. Antonini Pij Saeculo Damascenus
l. 3. de imaginibus: Metaphr. 20. Decembris. Nicephor. lib. 3. cap. 29. Est apud Narbonensem
Ciuitatem in Ecclesia sancti Genesij pictura, quae Christum quasi praecinctum linteo in-
dicat Crucifixum, quae pictura dum assidue cerneretur a populo, apparuit per visum Basi-
lio, homo terribilis aspectu, iubens ei vsque ad tertiam vicem, vt tegetet linteo picturam
illam, in qua Crucifixus apparebat: Quod cum Basilius Episcopo nunciasset, protinus
iussit Episcopus, desuper velum expandi, siqu. obiecta nunc figura conspicitur. Greg. Tu-
ron. lib. 1. miraculorum cap. 23. Carolo Magno imperante, cum Iudaeus imaginem Cru-
cifixi contumeliose verberasset, mox sanguis e vulneribus copiose fusus, & sparsus est. Sa-
bellicus lib. 9. Ennead. 8. Volaterr. in antropologia, Gaspar Contarenus in summa Con-
ciliorum: Apud Treuerim Ciuitatem anno Domini 1212. a Crucifixi Christi imaginem
lignea, sagitta percussa, sanguis vberime fluxit. Imago autem, & sagitta sanguine
conspersa, religiose in hunc diem asseruantur, Baptista Fulgos. lib. 1. cap. 6. Andraas Ebo-
ren. Lusitanus lib. memorabilium tit. 10. de miraculis. Quod vero pertinet ad Crucis, seu
Crucifixi adorationem S. Ambr. in funebri oratione. Theodor. de adoratione Crucis in haec
verba: Inuenit Helena titulum, Regem adorauit, non lignum, vtique quia gentilis est er-
ror, & vanitas impiorum, sed adorauit illum, qui pependit in ligno, scriptum in titulo.
Sapienter Helena egit, quae Crucem in capite Regum leuauit, & locauit, vt Crux Christi
in Regibus adoretur: & de incarnationis Dominicae sacrament. capitulo septimo: Num-
quid cum in eo imaginem Dei, cruceque veneramur, diuidimus eum? S. Hieronymus in
Psalmo 98. Multae opiniones de Scabello sunt, sed hic Propheta corpus dixit Dominicum:
Et paulo post: Quod autem adorari debeat, eo ascendente docuerunt Apostoli, cum ado-
rantes regressi sunt in Ierusalem: sed ad Crucem Dominicam, & ad animam sanctam haec
referenda sunt. Sedulius hoc item libro 5. Carminis Paschalis.

*Neue quis ignoret speciem Crucis esse colendam,
Qua Dominum portauit ouans, ratione potens
Quattuor inde plagas, quadrati colligit orbis.*

Leo magnus Serm. de pass. 8. Crucis signum adorandum regnis omnibus prædicat. Iustinianus Nouella 5. de monachis. §. 1. Dicimus autem adorandam, & honorandam vere Crucem. Damascenus lib. de orthod. fide cap. 11. Adoramus etiam figuram pretiosam, & viuificam Crucis, tamen ex alia materia facta est, non materiam venerantes: Absit enim, sed figuram, tanquam Christo signum, &c. Item Ecclesia, in Hymno de passione Domini: O Crux aue spes vnica, auge pijs, &c. Quibus consequens est Crucem adorandam esse. Ceterum an adoratione Latriæ Crux adoranda sit, contendunt scholastici. S. Thom. ad tertium Sententiarum, distinct. 9. quæst. 1. artic. 2. Et 3. parte Summæ, quæst. 25. artic. 3. & 4. Durandus, Henricus de Gandauo, Holcot, Guillelmus Varro Scoti Magister, Petrus de Aquila, & alij quidam, Antoninus tertia parte, tit. 62. capitulo 9. §. 1. plene. Ioannes Picus Mirandulanus in apologia, capitulo de adoratione Crucis, & S. Bonauentura ad tertium Sententiarum, distinct. 9. Sancta Crux, in qua Christus pependit, veneranda est, tum quia nobis repræsentat figuram Christi extensi in ea, tum ex contactu ad membra Christi, & ex hoc quod eius sanguine est perfusa. Thom. tertia parte, quæst. 25. Hoc ingentis pretij lignum, ait Damascenus libro 4. orthod. fid. capitulo 12. esse venerandum, in quo Christus seipsum, sacrificij causa pro nobis obtulit, vt ex sancti corporis, & sanguinis contactu sanctificatum, optimo iure adorari debeat, &c. S. Chrysostr. orat. aduersus Gentiles, quod Christus sit Deus, ipsum, inquit, ergo lignum, in quo positum sanctum corpus Domini, & Crucifixum, quare habere totus orbis ita contendit, vt qui paruum quiddam ex illo habent, hoc auro includant, tam viri, quam mulieres, & ceruicibus suis aptent: hinc valde sunt honestati, & magnifici, & muniti, & protecti, licet condemnationis fuerit lignum. Gregorius Nissenus libro de sancto baptisate, lignum Crucis omnibus salutare est. S. Gregorius libro 7. epistola 126. præclari muneris ergo, Crucem, in qua ligni Crucis erat particula, dono dat Regi Visigotorum. Hanc Crucem, in qua Christus pependit, Romæ adoratam Beda scribit, de natura rerum, & tempor. ratione. Eam item miraculis pluribus sæpe adornatam Gregorius Turonensis, in vita Christi commemorat, miraculum insigne, Apameæ viuifici Crucis ligni virtute editum, narrat Euagrius libro 4. capitulo 25. vbi agit de eius adoratione, & exosulatione. Alia item commemorat miracula Ruffin. libro 10. histor. capitulo 8. Socrat. libro primo, capitulo decimotertio. Theodor. libro primo, capitulo decimo octauo. Sozomen. libro secundo, capitulo 1. Nicephor. libro octauo, capitulo 29. Idem Sozomen. libro 2. cap. 1. Paulinus epistola 11. ad Seuerum: & S. Hieron. in vita Hilarionis. Ad hæc ratione contactus, nedum Crucem, sed & clauos, lanceam, vestimenta, & viuificum sepulchrum adoramus. Damasc. vbi supra. S. Ambros. orat. in Theodos. agens de clauo affixo galeæ Constantini. Sapienter, inquit, Helena egit, quæ Crucem, hoc est, particulam, siue clauum, vnum in capite Regum Leuauit, vt Crux Christi, in Regibus adoretur, eorum tamen imaginem minime adoramus: Athanasius quæstione decimafexta, ad Antiochum, Alexand. de Ales tertia parte, quæstione trigesima, membro tertio, articulo tertio, versiculo primo, Thomas, & Bonauentura, tertia parte, & 3. Sententiarum, distinctione nona, quæstione quarta. Anton. tertia parte, titulo 12. capitulo nono, in fine, & alij plerique.

DE CALICIBVS, ET AMVLIS

CAPVT SEPTIMUM.

- 1 Calices sacri in magna semper veneratione fuerunt.
- 2 Calix, ex qua materia consiciendus sit, ex Pontificum Decretis, & vsu Ecclesiæ exponitur.
- 3 & 6. Religio superiorum seculorum circa vasa sacra.
- 4 Communio sub vtraque specie, cur nunc non permittenda.

Calices

- 5 Calices plures in altari non ponendi.
- 7 Calix mortificationem carnis significat.
- 8 Amularum vsus, & interpretatio nominis.



ALICIBVS ornantur Ecclesiæ, Hieronym. epist. ad Theophil. Discant, inquit, qui ignorant calices sacros; & cetera, quæ ad cultum Dominicæ pertinent passionis, non quasi inania, & sensu carentia, sanctimoniam non habere: sed ex consortio corporis, & sanguinis Domini. Calicem ab ipso Christo celebrante nos accepisse, notum, testatumque est omnibus: Inde mos inoleuit, ait Paschasius, de sanguine, & corpore Domini cap. 20. quod sanguis Christi numquam in catino, numquam in cratera, vel in alio vase, quam in calice consecratur. Calices Christi sanguinis portatores appellat. Optatus lib. 6. de schismate Donatistarum. Calicem fractum Donatus Episcopus Aretinus, oratione facta, pristina incolumitati restituit. S. Gregor. l. 1. dialog. cap. 7. Beda, Isuard. & Ado in Martyrologio, ad 7. Idus Augusti. Calix vero ad perferendum sanguinem Domini paratus, cum tota ministerij munditia parandus est, ne non bene lotus calix diacono peccatum fiat offerenti. Hæc S. Clemens epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini. Porro Zepherinus Papa statuerat, consecrationem diuini sanguinis, non fieri in vase ligneo, vt antea, sed in vitro. Damasc. libro Pontificali cap. 16. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. capit. 24. Radulph. Tungren. de can. obseruat. propos. vltima. Platina in Zepherino, Tertulianus libro de pudicitia, Calices vitreos fuisse indicat, & frangi faciles. Hieronym. ad Rustic. monachum loquens de S. Exuperio, ait: Nihil illo Exuperio ditius, qui corpus Domini vimineo canistro, sanguinem portat in vitro. Tandem Zepherini institutio antiquata fuit, sancitumque vt nec in vitro propter fragilitatem, nec in ligno propter raritatem, qua sacramentum imbibitur, neque ex ære propter tetrum saporem, neque ex aurichalco, quia eruginem facit, & vomitionem excitat, sed dumtaxat ex auro, vel argento, aut stanno calices fierent. Concil. Rheimen. & Triburien. can. vasa de consecrat. distinct. 1. S. Thom. 3. part. q. 83. artic. 3. Aurei sacerdotes ligneis calicibus utebantur, nunc lignei sacerdotes aureis calicibus: hoc apophtegma in Concil. Tribur. can. 18. cuius pars habetur in d. can. vasa de consecrat. dist. 1. & 2. Vualfridio, Strab. de reb. Ecclesiast. c. 24. tribuitur Bonifacio martyri. Quare eripiendus est error Baptist. Fulgos. cap. de Institutis antiquis, qui illud ascribit S. Ambrosio, in lib. qui Ordo Roman. exaratur. Benedictio calicis, cum chrismatis vntione. Hunc vero librum antiquissimum esse constat. Porro in vitis Pontificum Damasi, & Bibliothecarij, maxime in vita sancti Syluestri, frequens mentio est calicum maiorum, minorum, & ministerialium, quos Pontifices, & Imperatores in Ecclesias contulerant, Sixtus 3. Papa 45. vt auctor lib. Pontific. cap. 45. prodidit, obtulit calices ministeriales duos, pensantes singuli libras singulas. Calices ministeriales argenteos decem, pensantes singuli libras tres. Ministeriales vero dicti, quia his populo sanguis Domini ministrabatur. S. Remigius Rheimensis Archiepiscopus in calice ministeriali, quem Ecclesiæ obtulit, hos versiculos a se editos inscribi curauit:

*Hauriat hinc Populus vitam de sanguine sacro,
Inleso æternus, quem fudit vulnere Christus.
Remigius reddit Domino sua vota sacerdos.*

Quod quidem poculum, inquit Igmarius, apud Rheimensium Basilicam mea ætate ad captiuorum liberationem erogabatur, vt argentei calicis pretium, Christianos tenebrarum potestate deuinctos manumittat. Lindanus lib. 4. Panopliæ Euangel. cap. 56. testatur calices, in plerisque Ecclesijs, vsque in illum diem extare, quibus sanguis Domini communicabatur. Ex quo quidam conijciunt in Ecclesia vsu receptum, populum communicare sub vtraque specie. Quod etsi quandoque factum fuerit, iustissimis rationibus, in Concilijs Constantiensi, Basileensi, & Tridentino constitutum fuit, non astringi laicos, vel etiam Clericos non conficientes, ad communionem sub vtraque specie. Sane vnicam speciem, nedum post ea Concilia receptam, sed & Apostolorum sæculo celebriorem, & frequentiorrem fuisse, varijs argumentis probari potest, quæ nos alibi commemorabimus. Interea obseruandum est, ex Damaso, in Ponticali sub Siluestro, patinas, seu patenas ad 30. libras ponderasse, Scyphos ad 10. dumtaxat, singulos calices ad vnam. Vnde apparet panis vasa ampliora & capaciora fuisse vini poculis, vnde consequens est multo plures communi-

C calle

caste sub vna, quam sub vtraque specie, in eadem Ecclesia. Greg. 3. ad Bonifacium. tom. 2. Conciliorum constituit, ne in Missarum sollempnijs, duo vel tres calices in altari ponerentur, quoniam id parum Christi institutioni conueniret, qui de vno, & eodem calice omnes communicasset. Vnde colligere licet, sanguinem non fuisse sacratum in calicibus ministerialibus, sed in alio quodam, & ex illo deinde transfusum in ministeriales, ad vsum populi. Quod & d. de xantes annotauit 10. repetit. de communione sub vtraque specie. Amplius calices pictura ornatos fuisse Tertull. lib. de pudicit. aperte indicat, ibi: Præcedant picturæ calicum vestrorum. Imaginati calicis meminit S. Remigius in suo testamento. Plane calicibus ornatas Ecclesias, nedum post Constantium, sed & longe ante tempora Diocletiani, & persecutionis ab eo excitatæ, innuit S. August. lib. 3. contra Crescon. Grammat. cap. 29. Ibi enim asserit in Ecclesia Cirtenfi repertos fuisse calices auro, & sex argenteos. Calices in Ecclesia carnis mortificationem, & animum semper ad martyrium paratum significant. S. Hieron. epist. 20. ad Marcellum, vel vt ait, S. German. in Theoria rerum Eccles. Calix est loco vasis, quod recepit effusum sanguinem puncti immaculati lateris. De amulis Cassander in liturgic. & Onuphrius in interpretat. vocum obscuriorum Ecclesiast. scripserunt, Amulam quoddam interpretari phialam, ad similitudinem vrceoli. Itaque quo loco 3. Reg. 7. Græce legitur φιάλας, Interpretes noster vertit, Amulas, expositor ordinis Romani, Amula, inquit, est vas, in quo vinum offertur. Cuius generis vasa fusilia fecit Rex Salomon 8000. sicut Iosephus testatur. Ioannes Cataneus in vitis Pontificum legit, cum h. aitq. plerumque hamas argenteas donatas ministerio diuino. Obtulit, inquit, Damasus in Pontifical. in vita Marci Pontificis hamas argenteas duas librarum viginti: vnde quidam existimant hamulam deductam. Columella in cultu hortorum, de cucurbita: Aut habilem lymphis amulam, Baccho ne lagenam. Amula vulgo appellatur vas vitreum ad vsum aquæ, & vini. Paul. in l. 3. §. sciendum. ff. de offic. præfecti vigiliæ docet, præfectum vigiliæ per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum hamis, & dolabris. Hamas vero interpretatur Turneb. l. 19. aduersariorum cap. 23. Vasa aquaria rotundioris formæ, & ventris globosioris, ex Plinio, & Iuuenali, Infubribus familiare nomen est amula. Coelius Rhodiginus l. 27. lectionum antiquarum, capitulo vigesimo septimo.

DE CANDELABRIS, ET LVCERNIS

CAPVT OCTAVVM.

- 1 Candelabrorum, & lucernarum vsus antiquissimus.
- 2 Candelabri significatio tam litteralis, quam mystica apud patres varia.
- 3 Cereorum vsus approbatus.
- 4 Miracula & veterum liberalitas circa luminaria.
- 5 Candelarum vsus in Ecclesia neque Lactantius, neque Hieronymus, neque Concil. Elibertinum improbarunt.

In veteri testamento Deus diserte iusserat fieri in templo candelabrum ductile de auro mundissimo, vel vt alij volunt, graue & solidum non intus vacuum *קמח* chassah enim apud Hebræos, durum & graue significat. Exod. 26. Leuit. 24. & Numeri 8. & Zach. 4. Philo Iudæus lib. Quis diuinarum rerum vsus sit. Quibus etiam locis lucernæ septem fieri iubentur. Ex quo apparet lucernas distinctas fuisse a candelabro. Lucernæ vero erant lampades aureæ, quæ super extremitates brachiorum, & hastilis candelabri ponebantur. Porro candelabrum aureum solidum, quandoque legem, quandoque Ecclesiam significat, S. Hieronym. ad cap. 4. Zachar. Quandoque Euangelicam conuersationem, in qua Christus lucernæ modo virtutes splendore præcipit. Ischius in Leuit. cap. 7. Semper vero Lucernas super candelabrum, Sancti Patres septem gratias Spiritus sancti interpretantur. Gregor. Nissen. in enarrat. vitæ Moysis. S. Hieron. ad cap. 4. Zachar. Candelabrorum vsus Ecclesia Christianorum perpetuo retinuit, quod ex S. Clemente, & alijs patribus colligere licet. S. Clemens epist. 2. ad Iacob. fratrem Domini: Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum si fuerint vetustate

vetustate consumpta incendio dentur. S. Athanas. epist. ad orthodox. in persecutione, inter nefanda Arrianorum scelera enumerat, quod candelabra Ecclesie ad parietem apponerent, & certis idolis adolerent. S. August. serm. 17. in dedicatione Ecclesie ad finem tomo 10. docet candelabrorum mysticum intellectum, necnon candelabra benedici consueuisse, his verbis: In illo, scilicet Christo, ædificatur Ecclesia, quæ abscondi non potest, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Bene occurrit lectio quando candelabra dedicantur, vt sit, qui operatur, lucerna posita in candelabro. Lucerna est enim homo, qui bene operatur. Quod autem candelabrum: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Qui ergo secundum Christum facit, & propter Christum facit, vt non gloriatur nisi in Christo candelabrum etiam luceat omnibus &c. Lucernas item, lychinos, ac cereos nedum vesperi, sed & lucente sole in Ecclesijs accendi consuetum, ab ipso nascentis Ecclesie initio præclaris testimonijs probatur. Gentiles honoris ergo oleum ac lumina in æde sacra ponebant. si sponfus. §. proinde. ff. de donat. inter vir. & vxor. Quod SS. Apostoli can. 70. diligenter vetant, his verbis: Si quis Christianus oleum tulerit, ad sacra Gentilium, vel Synagogam Iudæorum festis ipsorum diebus, aut lucernas accenderit, de societate pellatur, quia vt ait Zonaras *ὡς γὰρ τινῶν τὰ τῶν ἱεραίων ἢ ἐθνεῶν τῶν ἐλαίς ποιεῖται ποροσάωρη καὶ τῶν λυχνῶν.* Nam velut ea quæ sunt Iudæorum, aut Gentilium honorans oleum offert, & lampadem accendit. At qui ab Ecclesia surripuerit oleum, vel cerâ, can. seq. 71. segregandus est. Ab iisdem quoque Apostolis can. 3. vetitum erat, aliquid offerri ad altare, quam *ἢ ἐλαίον εἰς τῶν λυχνῶν.* Oleum in lampadem seu ad luminare, & thymiana, tempore sanctæ oblationis. Vbi Balsamon notat, oleum offerri ad templi illuminationem, & veræ luci & Deo, gratiarum exhibendam actionem. Hanc Apostolorum constitutionem Melciades Papa laudat & renouat apud Bruchard. lib. 5. c. 7. & Iuonem part. 2. c. 17. Rursus in Concil. Aurel. c. 3. apud Bruchard. l. 3. c. 6. Iuonem lib. 2. de const. Eccles. c. 6. & Gratia. c. nemo de consecr. dist. 1. præceptum fuit, vt is qui vult ædificare Ecclesiam, ante præfinit, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum sufficiunt, quod & a Iustiniano constitutum legimus nouell. 67. §. deinde. Longe ante Constantinus decreto donationis factæ Siluestro, commemorat, se S. Petro, & Paulo Apostolis Ecclesias ædificasse. Additq. *ἀς ἐκκλησίας ὑπὲρ συνχεῖας φεῖσάν; πτῆματα καὶ ἀγρὸς συντηγναιμεν.* Quibus Ecclesijs, vt habeant lumina semper accensa, possessiones & agros adiecimus. Eugub. in Vallam nu. 42. legimus Mauritiū Imperatorem anno Imperij sui 20. ad omnes Patriarchales sedes, & ad Monasteria, quæ sunt in eremo, & in Ierosolymis, & ad lauras, pecunias & cereos, & incensa misisse, vt pro ipso orarent. Paulus Diacon. l. 17. rerum Romanorū in Concil. Bracharen. 1. can. 25. res Ecclesie in quattuor partes diuidi iubentur, quarum tertia in reparatione, vel luminari Ecclesie referuatur. Quod & repetitum fuit in Conc. Bracharen. 2. can. 2. canon. placuit 10. q. 3. Concil. Aquigranen. sub Pipino lib. 1. c. 29. graui poena afficiendos statuit eos, qui luminaria in Basilicis Deo dicatis, quæ ex fidelium oblationibus concinnari debent, auferre præsumunt. Nā si filij Aaron, Nadab, & Abiud, eo quod eorum negligentia ignis, qui iubetur in altari esse perpetuus, extinctus est, & propter ignem alienum coram Domino offerre præsumperunt, ob id igne egresso a Domino, deuorati sunt merito, quod non sine magno animi moerore prosequimur, horribili morte deuorandi sunt ij, qui ignem Domini in Basilicis sibi dicatis & consecratis audacter extinguunt. Vsum lucernarum probat etiam S. Chrysost. hom. 60. ad popul. Antioch. Et argenteas quidem catheras ad lucernas suspendis: ipsum autem in carcere vincitum ne vis quidem visere. Et hæc dico non prohibens in his gloriari, sed hæc cum illis. Epiphanius item ad finem epistolæ, ad Ioannem Episcop. Ierosolymit. narrat se venisse ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidisseq. ibi prætereundo lucernam ardentem, & interrogasse, quis locus esset, didicisseq. esse Ecclesiam, & intrasse vt oraret. S. Hieron. aduersus Vigilantium non improbat eorum deuotionem qui interdum cereos accendunt in Ecclesijs, quin ait ille: Quicumque accendunt cereos, secundum fidem suam habent mercedem. Cerei mystice, auctore eod. Hieron. epist. 20. ad Marcellam, vt accenso lumine, sponsi spectentur aduentus, ostendunt. S. Aug. serm. 215. de tempore, nedum cereorum vsus probat, sed & cereos offerre hortatur his verbis: Qui possint aut cereolos, quod cicindelibus mittatur, exhibeant. Hortatur & S. Chrysost. orat. de occurso Domini & Simeonis ad finem, vt tamq. lucis filij, Christo vero illi luminis cereos offeramus. Extat apud Surium to. 4. oratio Gregorij Cæsareæ Cappadociae de sanctis trecentis decem & octo patribus Nicenæ Synodi: in qua mentio fit,



4 tio fit, cuiusdam tribuni militum, qui & templum, vel potius templi habitatorem Christum honorauerat, & lucernis in templo accensis placauerat. Germanus Patriarcha Constantinop. lib. 7. c. 14. epist. 2. Non offendat, inquit, quemquam, quod ante Sanctorum imagines luminaria, & suaue olentia thymiamata accendantur. Symbolicos enim ista fieri, non lignis, aut lapidibus ipsis, sed in honorem Sanctorum, quorum honor ad Christum recurrit. Narrant Euseb. l. 6. c. 7. histor. Ecclesiast. & Nicephor. l. 5. c. 9. quod cum in die sollempni vigiliarum Paschæ, in Ecclesia Ierosolymitana oleum deesset luminaribus, Narcissus Ierosolym. Episcopus aquam deferri imperauit, eamq. benedixit, & infundi lampadibus præcepit, tum ait Eusebius, repente miro & sæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem versa, splendorem luminum etiam solito reddidit clariorem. Simile miraculum commemorat S. Gregor. lib. 1. dialog. capit. 5. Idem Gregor. libro 3. capit. 30. refert lampades immisso diuinitus lumine accensas fuisse. Alibi etiam cereos cælesti lampade accensos, testatur Gregorius Turonensis, capitulo 57. de gloria martyrum, de Amarantho martyre. Paulinus item cereorum & lucernarum meminit natali 3. felicitis martyris:

*Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur densis altaria lychnis,
Limina ceratis adolentur ad ora papyris:
Nocte, dieq. micant, hic nox splendorq. dici
Fulget, &c.*

Et principio natalis 6. eiusdem diei.

*At alij pictis accendant lumina ceris,
Multiforesq. clauis lychnos laquearibus aptent,
Vt vibrent tremulas funalia pendula flammæ.*

5 Legimus in libro Pontificali, Agathonem Pontif. ad luminaria S. Mariæ ad præsepe, & Apostolorum solidos bis mille centum sexaginta donasse. Eudoxiam Theodosij uxorem in lucernarum rationem decies mille sextarios olei retulisse refert Nicephor. l. 14. capitulo 50. Candelarum usum Tridentina Synodus sess. 16. capitulo 7. probat, earum dumtaxat superstitiosum numerum damnat. Phara Damasus, & Bibliothecarius in Romanorum Pontificum, & præcipue sancti Siluestri vita, necnon Canthara, Cerostata, coronas, delphinos, lychnos, & lychnicos pro diuersi generis lampadibus, & lucernis in Ecclesijs ardentibus acceperunt. Plura de Pharis, & Cantharis Onuphrius in interpretatione quarumdam vocum Ecclesiasticarum. Ceterum de cereis, & lampadibus in baptismo, in Missæ celebratione, in exequijs funeris. Item de cereo Paschali, & lucernari hora suis locis tractabimus. Non defuere, qui candelarum usum in Ecclesia interdium derident, & improbant. Primum ex Lactantio libro 6. capitulo 2. Deinde ex Concil. libert. capitulo 37. Denique ex Hieron. qui aduersus Vigilantium confitetur pro honore martyrum cereos accendere pertinere ad imperitiam, & simplicitatem sæcularium hominum, et religiosarum feminarum, quæ quidem zelum habent, sed non secundum scientiam. Verum Lactant. arguit eos, qui Deo candelarum, ac cereorum lumen offerrent pro munere, quasi Deus dator luminis egeat lumine, quemadmodum, dij terreni egent lumine, & prophani eis lumina offerunt. At Christiani non ea mente eoq. sine lumina offerunt. Concilium vero Elibert. Prouinciale est, vt meminimus in capitulo de Imaginibus. Deinde in dicto capitulo 37. agitur de neophytis, qui more Gentilium lucernas publice accendebant quibus communicatio denegatur. Non vero de ijs, qui ad cultum Dei lucernas, in Ecclesijs accendunt. Ad hæc Hieronym. loquitur de ijs qui cereos accendunt, credentes inde martyres illustrari. Vigilantius siquidem dicebat ironice, quosdam præbere honorem martyribus, quos putabant de cereolis vilissimis illustrari, alioquin S. Hierony. probat pium atque mercede dignum cereos accendere in honorem martyrum, tum aduersus Vigilantium, tum etiam epist. ad Riparium.

DE TURIBULO ET
Thymiamaterio

CAPVT NONVM.

- 1 Thymiamaterium quid sit, & quid Thymiana, & Turibulum.
- 2 Turificatione & incensi oblatione, cur & a quo tempore viatur Ecclesia.
- 3 Tus apud Gentiles quando in usu.
- 4 Libellati.
- 5 Mittentes.
- 6 Turificuli.
- 7 Sacrificati.
- 8 Turificatio varijs ex causis fieri solet, eiusq. utilitas.
- 9 Turibulum corpus Christi significat.
- 10 Incensi oblatio a veteribus tantopere recepta ab hæreticis nostri temporis inepte rejicitur.
- 11 Turificatio ante Sanctorum imagines.

THYMIAMATERIVM, cuius meminit S. Ambros. lib. 4. de sacerdotio c. 1. vas erat, in quo thymiana in sacris incendebatur. Isidorus Pelusiota epistola 247. confectio thymiamatis exaratur Exod. 30. quam tropologice enarrant Helias Creten. & Gregorius Nazianz. orat. quæ apologetice inscribitur, & Anastasius Synaita libro 6. in hexameron. Thymiamatis mentio fit canon. 3. apostol. At ibi thymiana pro incenso. Thymiamatis enim de quo in veteri testamento, vsus antiquatus est. Turibulum vero dicitur vas, in quo tus adoletur. Ceterum turificatione non vtimur, quasi ceremoniali præcepto legis, sed sicut Ecclesiæ statuto, auctore. S. Thom. 3. parte, quæst. 83. art. 5. Sane turificatio, seu incensi oblatio, ab ipsis Ecclesiæ primordijs instituta fuit, & in hunc vsque diem vsu recepta. Sancti Apostoli d. can. 3. vetant aliquid offerri ad altare, præter oleum ad luminare, & incensum tempore oblationis. S. Dionysius cap. 3. docet Pontificem vbi orationem sanctam super altare peregit, ex ipso incensum adolere omnemq. faui ambitum circuire. Soter. 1. 1. Pontifex. ep. 2. ad Episcopos Italiæ, sacras Deo feminas, sacra vasa, vel sacras pallas, & incensum circa altaria deferre prohibet. S. Ambros. in Lucam c. 1. Vtinam nobis, inquit, adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat Angelus. Ipsi Christo in noua lege turis oblatio facta fuit a Magis. Matth. 2. Ture Magi Christum Deum, & sacerdotem professi sunt. Irenæus lib. 3. cap. 20. Cyprian. ferm. de stella, & Magis. Hilarius can. 1. in Matth. Ambros. lib. 2. ad capit. 2. Lucæ. Leo Papa ferm. 1. de Epiphan. Chrysof. Iuuenus. Hieronym. Theophilac. Fulgent. & alij patres. Apud Gentiles etsi initio in vsu non fuerit tus in sacris incendere, quod pluribus probat Arnob. l. 7. vbi tamen ture sacrificare cœperunt, suffitus turis erat sacrificij certum iudicium, adeo vt Christianos vere sacrificare crederent, vbi summis digitis paululum turis iniecerent in acerram, vel turibulum. Quattuor gradibus solebant prophani Christianos ad idololatriam adigere. Primum vt nomen suum darēt, quod scribebatur in libello, seu catalogo. Hi a Christianis contumeliose libellati appellabantur. Sanctus Cyprianus l. 1. epistola tertia, & l. 2. & l. 3. epistola quinta, l. 4. epistola secunda. Vbi vulgo legitur libellaticos, legendum est enim libellatos, ibiq. quis verro qui talia agebant, Mittentes appellabant, eamq. actionem mittere dicebant, vt in Synodo Romana, in qua Marcellinus Papa causam dixit. Tertium qui manu capiebant turibulum, vt adolent, vocabantur Turificuli apud eundem Cyprianum. Quartum, qui pollutis mentibus, manus & ora sacrificantes polluerunt, sacrificati, vel sacrificiati appellantur. Cyprian. in dicta epist. S. Iacobus in principio, & ingressu liturgiæ orationem edidit, dum incenditur tus. In liturgijs quoque Basilij, & Chrysofomi

- 8 forma benedicendi incensum exaratur. Ibiq. plura de vsu incensi legimus in libro Pontificali benedictionem turis, his verbis: Domine Deus omnipotens, cui astat exercitus Angelorum cum tremore, &c. Nec non turibuli his verbis: Domine Deus, qui dum filios Israel, in deserto murmurantes, ob rebellem suam audaciam durum vastaret incendium, Aaron Sacerdotem, tunc orantem arrepto de igne altaris turibulo tibi incensum ponentem exaudire, eosq. de incendio liberare dignatus es, benedic quæsumus hoc turibulum, & præsta, vt quoties tus, in eo adolebitur, votum populi tui tibi boni odoris efficias, sitq. fuga dæmonum, repulsio phantasmatum, & immundarum abscessio cogitationum per Dominum, &c. De his benedictionibus plura in Ordin. Romano de diuinis officijs. Porro turificatio fit primum ad reuerentiam loci, & diuini officij, vt si fuerit in loco, odoris foeditas, ture incenso depellatur, & qui adsunt odoribus lætis mulceantur. Deinde ad repræsentandum effectum gratiæ, qua sicut bono odore Christus plenus fuit, iuxta illud Genes. 37. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, & a Christo deriuatur ad fideles officio ministrorum 2. Corinth. 2. odorem notiæ suæ spargit, per nos in omni loco, & ideo vndique turificato altari, per quod Christus designatur, turificantur omnes per ordinem. Hæc S. Thom. tertia parte, quæstione 83. articulo 5. Præterea per turificationem monentur, qui sacris adsunt, auctore Philone Episcopo in Cant. in illud: Ex aromatibus myrrhæ, & turis, ad cælestia omni desiderio ascendere depulsis a cordis cubiculo importunis cogitationibus, reiectisq. curis omnibus, & studio rerum caducarum, cor suum ignitum, veluti turibulum coram Deo odoratissimum faciens. In quo quidem corde, cum per amorem virtutes colligit, quasi carbones in turibulum congerit, quibus seipsum mens in conspectu Dei igne charitatis accendat, dum feruentes, & mundas orationes ad Deum emittit, quasi fumum aromatum, ex turibulo exhalat, vt coram sponso suaue, redoleat, & proximos quosque ad eius amorem, per bona exempla concitare non desinat. Adde quod turificatio significat deuotionem, & celebrantiam, & eorum, qui assident, ad Deum directam. Psalm. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum. In incenso ait S. Hilarius orationes significantur, & Apocalyp. 8. Data sunt ei incensa multa. Denique suffitus, seu turificatio ad fugandos dæmones efficax est. Innocent. 3. l. 2. de mysterio Missæ. cap. 17. Guillelmus Durantus l. 4. rational. cap. 10. argumento eius quod scriptum est Tobie 6. cum præfertim, & tus, & turibulum benedicantur. Amplius turibulum corpus Christi significat. S. August. homil. 6. in Apocalyp. Turibulum aureum corpus Christi sanctum interpretatur. Ipse enim Dominus factus est, ait S. August. turibulum, ex quo Deus odorem suauitatis accepit, & propitius factus est mundo, quia obtulit seipsum in odorem suauitatis. Idem August. serm. 98. de temp. qui est feria 2. post 4. Dominicam. Vide quo modo verus Pontifex Iesus Christus, assumpto turibulo carnis humanæ, & superposito igne altaris, adiecto etiam incenso, qui est spiritus immaculatus. Amalar. Fortunat. l. 3. capit. 5. præuenit in turibulo thymiamata, quod significat corpus Christi plenum odore bono, & capit. 18. turibulum corpus Christi significat, in quo est ignis, scilicet Spiritus sanctus ex quo bonus odor procedit, quem vnusquisque electorum ad se vult rapere. Per turibulum aiunt Innocent. 3. libro 2. mysteriorum Missæ capit. 16. ac deinde Durantus libro 4. rat. capitulo 10. Verbum accipitur incarnatum: ibique cur turibula tribus catenulis vniantur, enarrant. Ceterum turibula seu thymiamateria aurea, Constantinum plerisque Ecclesijs largitum fuisse, constat ex Pontificali Damasi Papæ. Simeon Metaphrast. in vita sancti Nicolai prodidit Constantinum S. Nicolao turibulum aureum, quo inter sacrificandum vteretur, donasse. Hæretici huius sæculi turificationes in sacris irrident, respuendasq. contendunt. Primum ex primo capit. Isaiæ, ibi: Incensum est abominatio mihi. Deinde ex Arnobio libro 7. aduersus gentes, vbi pluribus turis vsum in sacris, & nouum, & vanum docet. Verum hæc leuia sunt. Nec enim pure Deus apud Isaiam turis incensum aspernatur, ac respuit quemadmodum nec sabbata, & neomenias, sed tum demum, cum ab impijs indigne incensum offertur. Atque ita hunc locum enarrat Gregorius Nazianz. orat. 3. aduersus Iulianum Imperatorem. Arnobius vero suffitum, & turis incensum, in honorem deorum improbat, non autem in honorem Dei viui, cui & tus, & cetera, quæ pura mente a pijs, & religiosis offeruntur grata, & accepta sunt: maxime tus, quod vt supra ex Irenæo, Hilario, Ambrosio, et alijs docui, Deo afferri solet & diuinitatem notat. Accedat in simili S. August. censura epist. 99. ad Deograt. his verbis: Quapropter qui Christianas litteras vtriusque testamenti

scjunt

sciunt non hoc culpant in sacrae legis ritibus paganorum, quod instituant templa, & sacerdotia, & faciant sacrificia, sed quod hæc idolis, & dæmonijs exhibeant. Quare ait 11 Synodus 7. Act. 4. ne quempiam offendat, quod ante Sanctorum imagines, lumina, et suaueolentia thymiamata accenduntur. Quod & Sphilotheus Patriarcha probat in lib. qui ordo instituendi Diaconum inscribitur, symbolicis enim ait Synodus. Ista sunt in honorem illorum, quorum cum Christo requies, quorum honor ad ipsum recurrit: hoc ipsum testante S. Basilio, quod erga conseruos bonos, honor erga ipsum Dominum, commune beneuolentiæ signum exhibet. Sensibilia enim lumina symbolum sunt immaterialis illius & a Deo dati luminis. Aromatum autem incensio, & totum sancti Spiritus afflatum, & sinceram repletionem significat. Vtinam ait Ambros. in Luc. c. 1. nobis adolentibus altaria, sacrificium deferentibus adsistat Angelus, immo præbeat se videndum.

DE MUSCARIIS ET FLABELLIS

CAPVT DECIMVM.

- 1 Flabellum quid significet, & quàm eius vsus in Ecclesia receptus sit.
- 2 Flabellorum & muscariorum apud Hieronymum, & alios patres moralis interpretatio.



ANCTVS Clemens libro 8. constituit. Apostolicarum capit. 12. scriptum reliquit, Episcopo celebrante Missam, duos Diaconos ex vtraque parte altaris, tenere flabella ex tenuibus membranibus, aut ex pennis Pauonis, aut ex linteo, vt parua animalia volitantia abigant, ne in calicem incidant. Addit Turrianus id fieri Romæ consuetum, cum Pontifex Maximus celebrat. S. Hieronym. epist. 20. ad Marcellam interpretando mystice munuscula ei, ac Paulæ, & Eustochio a Marcella transmissa ait: Quod autem & matronis offertis muscaria parua, paruis animalibus euentilandis, elegans significatio est, debere luxuriam cito restringere, quia muscæ morituræ oleum suauitatis exterminant. S. Hildebertus Cænonanensis Episcopus ep. 7. de flabello agit his verbis: Flabellum misi tibi congruum, scilicet propulsandis muscis instrumentum. Est etiam quod in munusculo nostro interpretari te oporteat. Attende ergo quibus muscis immolantes Domino sacerdotes grauius infestentur, quibus frequenter impediuntur salutaria altaris officia. Mille sunt occurfantium phantasmata cogitationum, mille diaboli suggestiones, mille mortalium tentationes animorum. Et paulo post: Talium portenta muscarum Patriarcha Abraham propulsanda præsignauit, cum a sacrificijs aues abegit incurstantes. Scriptum est enim: Descenderunt volucres super cadauera & abigebat eas Abraham. Dum igitur destinato tibi flabello descendentes super sacrificia muscæ abegeris, a sacrificantis mente superuenientium incursum tentationum, catholice fidei ventilabro exturbari oportebit. Aliter de flabellis S. Germanus, in thesaurorum Ecclesiasticarum, his verbis: Flabella vero typum referunt Cherubim. Et eodem libro aliquanto post: Quid vero quispiam dicat de diuinis flabellis, quæ tenent manus Diaconorum, & ab ipsis versantur de repente, & quæ sequuntur.

DE PATENIS SEV PATINIS

CAPVT VNDECIMVM.

- 1 Patena quid & vnde dicta.
- 2 Patena quando cepit esse in vsu, & ex qua materia.
- 3 Vasa sacra ad profanos vsus non conuertenda miraculis ostenditur.
- 4 Vasa sacra varia enumerantur, & quàm etiam ad mores informandos spectent.



PATENA seu patina est vasis genus a patendo dictum. Patina, ait Isidor. libro 20. originum cap. 4. quod Hispanis patentibusq. oris sit. Patenarum meminit Columella l. 12. cap. 43. Columella, inquit, patinus meus ex ea creta, qua fiunt amphoræ,

phoræ, lata vasa in modum patenarum fieri iubebat: nonnulla exemplaria habent patenarum. Inde patella, de quibus apud Varronem, Festum, Aonium, & Isidorum. Zepherinus Papa 16. auctore Damaso lib. Pontificali c. 16. constituerat patenis vitreis Missas celebrari. Vualfred. Strabo de rebus Ecclesiasticis c. 14. Radulphus Tungrensis de canonum obseruantia proposuit. 23. quod postea immutatum fuit in Concilio Triburiensi c. 9. Verum longe ante Concilium Triburiense patenæ, seu patinæ erant ex auro, vel argento. Urbanus Papa 18. fecit ministeria sacra omnia argentea, & patenas argenteas 25. apposuit, auctore Damaso lib. Pontificali c. 28. Idem Damasus, in Siluestro enumerat Calices, patenas, pharos, cantharos, quibus Constantinus Basilicam S. Petri in Vaticano ornauerat: ipsum quoque Damasum legimus, in lib. Pontificali donasse patenam argenteam ponderis 20. librarum. Deinde in Concilio Rhemenfi apud Bruchard. l. 3. c. 96. Iuris. l. 1. c. 38. Gratia. can. vt calix de consecrat. dist. 1. quod Triburiense longo interuallo præcessit. Calices & patenæ ex auro vel argento fieri iubentur. Theophilac. item ad cap. 14. Marci. Pauperes semper habebitis vobiscum. Audiant igitur quo modo Christus præferat sui curam pauperibus. Christi autem corpus proprie, quod in disco aureo, & sanguis qui in poculo. Qui igitur abstulerit discum pretiosum, & cogerit vt corpus Christi viliori ponatur, prætexens scilicet pauperes, sciat cuius partis sit, &c. Adhæc in libro qui ordo Romanus inscribitur, exaratur præfatio ad consecrationem patenæ, eiusq. consecratio seu benedictio chrismate perungendo. Patenæ sacra miraculum commemorat Greg. Turon. in gloria martyrum cap. 85. Patenarum vsus in Ecclesia primitiua, in celebratione Missæ institutus, in hunc vsque diem perseverat. Illud interest, ait Onuphrius, quod hodie parua, antiquitus magnæ erant ex auro & argento ponderis quindecim & triginta librarum, vt apparet ex eodem Damaso, & probauimus supra in cap. de calicibus. Sunt & alia sacrarum ædium vasa, & ornamenta, vt scyphi, metretæ, hydriæ, phialæ, pugillares & quædam alia, quæ enumerat & interpretatur Onuphrius, in interpretatione vocum obscurarum Ecclesiasticarum. Eorum frequens mentio apud Damasum, in Pontificali, & apud Bibliothecarium, & Onuphrium de præcipuis Vrbs Romæ Basilicis: quæ omnia splendore fulgebant, & venerabantur a Christianis. S. Chrysost. homil. 3. ad Ephesios & 61. ad populum Antiochen. Quin perspicis vasorum venerandam illam supellectilem, sic vndique terram, aquis perfusam, & tanto splendore refulgentem. Atque ijs par est nobis animas esse puriores, sanctiores, & virtutum ornamentis splendidiores. S. item Aug. in Psal. 113. concio. 2. sed enim & nos pleraq. instrumenta, & vasa, ex huiusmodi materia, vel metallo habemus, in vsu celebrandorum Sacramentorum, quæ ipso ministerio consecrata Sancta dicuntur, in eius honore, cui pro salute nostra inde seruiuntur. Et postea: Numquid eis supplicamus, quia per ea supplicamus Deo?

DE PALLIS, ET CORPORALIBVS

CAPVT DVODECIMVM.

1. 4. 5. Corporale quid sit, vnde dictum, & quid representet.
2. 3. Corporale cur palla nominetur.
3. Corporale ex qua fieri debeat materia, & quis materiam primus designauerit.
4. Οδοιον, & σινδών, quid apud Euangelistas, & alios significant.
5. 6. Corporalis, & sindonis significationes varia mystica.
6. Eucharistia quam requirat in suscipiente dispositionem.
7. Palla duplex, eiusq. significatio.
8. Corporalium apud diuersas nationes vsus varius est.



CORPORALE dicitur Linteum illud, cui superponitur in sacro Missæ corpus Domini. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebr. Missæ, indeq. puto corporale appellatum, vel vt Durantus scribit l. 4. ration. c. 29. quia sindonem, qua corpus Christi in sepulchro inuolutum fuit, representat. Appellatur & palla sacra, can. sacras dist. 24. Quo loci sacratæ feminæ verantur calicem, vel patenam, vel sacras pallas, hoc est corporalia, tangere. Bonifac. quoque constituit, ne monacha pallam sacratam contingeret, aut lauaret, vt in lib. Pontific. cap. 42. Sigeb. & Martinus Polonus in Bonifac. Radulph. Tangr. de can. obseruantia proposuit. Palla

Palla est vestimēti genus, de qua plura Bacsius de re vestiaria c. 13. Corporale vocatur palla, auctore Durante, quod palliat, vel abscondat sacrum mysterium. Puto corporale, pallam dici, quasi corporis Christi in altari indumentum. Sic & palla altaris dicitur passim apud S. Clem. epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, can. altaris, can. nemo de consecr. dist. 2. quasi altaris vestimentum. Queritur Optatus lib. 6. aduersus donatistas, quod pallas altaris eripuerant, & quasi pollutas lauerant. Queritur & Victor Vricensis libro 1. de perfectione Vuandalorum, quod Proculus de pallijs, pro nefas, camifias sibi & foemoralia faciebat, quem tandem breui frustatim sibi linguam comedentem turpissima consumptum morte testatur. Palla vero auctore Varrone dicitur, quod foris, ac palam sit. Corporale vero ex lino puro textum esse debet, non ex serico, vel purpura, vel ex panno tincto: Rabanus Maurus lib. 1. de Instit. cler. cap. 33. idq. vt putat ex institutione Siluestri. At potius ea Institutio Eusebio Papæ accepta ferenda est. Eusebius siquidem nonnullis annis ante Siluestrum Papam instituerat cap. 51. decretorum suorum apud Bruchard. lib. 3. decret. cap. 99. Iuonem part. 2. cap. 134. & Gratianum de consecr. dist. 2. can. consulto, ne quis sacrificium altaris in serico panno, aut tincto celebraret, sed in linteo ab Episcopo consecrato, sicut corpus Domini in syndone munda linea sepultum fuit. Concil. Rhemen. capit. 3. apud Bruchard. l. 3. cap. 98. Corporale super quod sacra oblatio immolatur ex mundissimo, & purissimo linteo sit, nec in eo alterius generis materia pretiosior, aut vilior misceatur. Beda cap. 44. in Marcum, Ecclesiæ mos obtinuit, vt sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus Domini est in sindone munda sepultum. Item Beda lib. 6. cap. 7. super Lucam. His aduersari videtur, quod apud S. Ioannem cap. 19. Legamus corpus Christi inuolutum fuisse οδοιον cum aromatibus καὶ ἑθνησιν ἀπὸ οδοιον, μετα τῶν ἀρωμάτων οδοιον vero album vestimentum, tenuiq. ex lana, non ex lino confectum, interpretatur Pollux lib. 7. enarrans illud Homeri Illiad. lib. 3. ἀρνευθησιν καλυψαμένη οδοιον. At οδοιον significat subtile laneum, vel lineum, vnde apud Lucia. pro amictu lineo. Quare apud Ioannem οδοιον, lintea interpretor. Nam quod apud Ioan. οδοιον dicitur, apud Matth. Marc. & Lucam σινδών appellatur σινδών autem est amictus e lino Ægyptiaco, ipso Polluce auctore. Corporale itaque significat sindonem, in qua inuolutum erat corpus Christi in monumento positum. Isidorus Pelusiota lib. 1. cap. 123. pura illa sindon, quæ sub diuinorum donorum mysterio expansa est, Iosephi Arimathensis est ministerium, vt enim ille Domini corpus sindone inuolutum sepulturæ mandauit, per quod vniuersum mortaliū genus resurrectionem percipit, eodem modo nos propositionis panem in sindone sanctificantem, Christi corpus sine dubitatione reperimus &c. His adde Euseb. Bedam, & Synodum Rhemen. necnon Raba. Maurum d. cap. 33. S. Germanum in theoria rerum Ecclesiast. & Alex. de Alef. 4. parte quæst. 36. membro 4. Rursus corporali siue sindone admonentur sacerdotes ministri, ac populus, vt sicut illud lintheum castigatum est ab omni naturali viriditate, & humore, ita sit mens offerentium ab omni carnali cupiditate: & sicut illud nitet suo splendore, ita intentio offerentium simplicitate niteat coram Deo. Hæc Amalar. Fortunat. lib. 3. de ecclesiast. offic. cap. 19. vel auctore Alcuino d. cap. de celebr. Missæ. Sicut linum per multos sudores peruenit ad candorem: ita Christus multis affectus passionibus, migrauit ab hoc sæculo, & ad candorem resurrectionis atque immortalitatis perductus est. Similiter qui corpus Christi in se recipere desiderat, per multos bonorum operum labores, & per castitatem mentis, & corporis, debet se reddere mundum, & candidum. In tribus vero quæ perducunt corporale lineum ad candorem, intelliguntur tria, ait S. Th. opusc. 58. de sacram. altaris, quæ pertinet ad nostram mundificationem. Primo enim lauatur. Secundo torquetur. Tertio exsiccat. Si quis ad suscipiendū Dominum mundus fieri vult, primo debet per aqua lacrymarum lauari, secundo per opera poenitentia torqueri, tertio per feruorem amoris Dei, a carnalium desideriorum humore exsicari. Quod idem S. Th. pluribus verbis enarrat. Ille in sindone munda inuoluit Iesum, qui mente pura eum susceperit. S. Hieron. in Matth. c. 27. competit etiam pannus lineus propter sui munditiam, ad significandam conscientia puritatem, & propter multiplicem laborem, quo talis pannus præparatur, ad significandam Christi passionem, hæc S. Th. 3. par. q. 83. art. 3. ad 7. Amplius corporale, auctore Alcuino, c. de celebrat. Missæ, ita plicari debet, vt nec initium, nec finis appareat, sicut etiam Sudarium in sepulchro Domini inuentum est. Sudarium ait Alcu. est ligamentum capitis, per caput diuinitas, quia caput Christi, Deus: Inuolutio autem hoc significat, quia Christus, qui in humanitate habuit initium nascendo, & finem quandam in moriendo, in diuinitate neutrum horum, sed

- 7 sed semper esse habuit. Rursus ex sententia Innoc. 3. lib. 2. mysteriorum Missae, c. 56. Duplex est palla, quae dicitur corporale. Vna, quam diaconus super altare totam extendit. Altera, quam super calicem plicatam imponit: Pars extensa, signat fidem, pars plicata signat intellectum: hic enim mysterium credi debet, sed comprehendi non valet, ut fides habeat meritum, cui humana ratio non praebet experimentum. Sequitur Durant. in ration. d. cap. 29. Illud obseruandum est, Romanos, Italos, & Alemanos duobus corporalibus uti, quorum vtrumque pure lineum esse debet, Gallos vero vno tantum, Radulphi. Tung. de canon. obseruant. propos. vltima:

D E O R G A N I S.

C A P V T D E C I M V M T E R T I V M.

- 1 Organum quid sit, & varia organorum genera.
- 2 Organorum vsus in Ecclesia antiquissimus est, licet de prima institutione non adeo constet.
- 3 Organorum rectus vsus describitur, & notatur abusus.

- 1 **O**RGANVM auctore Aug. in Psal. 56. dicitur instrumentum musicum, non solum quod grande est, & folliis inflatur, verum quidquid aptatur ad cantilenam, & corporeum est. Isidorus lib. 3. orig. c. 20. Organum, inquit, vocabulum est generale vasorum omnium musicorum: hoc autem, cui folles adhibentur, alio Graeci nomine appellant. Vt autem Organum dicatur, magis ea est vulgaris consuetudo. Organorum musicorum varia sunt genera, quaedam neruis intenduntur, quae cruomēna vocantur, vel enchora, siue *ἐντονα* & profunda. Quaedam spiritu inflantur, quae pneumatica. Quae vero aqua propellit, hydraulica sunt, & complura alia, de quibus Caelius Rhodiginus lib. 9. lect. antiquar. c. 6. Itaque quod scriptum est Psal. 150. Laudate eum in chordis & organo, non intelligitur de organis, quae folliis inflantur, quod & Amalar. Fortunatus, lib. 3. de Ecclesiast. offic. c. 3. annotauit. Plura de organis S. Hieron. epist. 28. ad Dardanum. Isidor. lib. 3. originum. c. 19. 20. & 21. Organorum vsus in templis antiquissimum probat Iulianus ad cap. 31. Iob. enarrans verba illa: Si autem ambulauit cum irrisoribus, vel cum vanitate, his verbis: Verū longe res se habet aliter, neque enim organorum vsus prohibitus erat, quandoquidem hoc ipsum cum pietate fieri potest. In templis enim sunt illis ipsi vsi. Is autem Iulianus longo interuallo S. Gregorium antecessit. Ceterum quis primum organa, quibus hodie vtimur, inuenit, in dubium reuocatur. Glicas & Manasses in Theophilo, Imperatori Theophilo inuentum organorum attribuunt. At longe ante Theophilum, Vitalliano Pontifice, vsus organorum in Ecclesia receptum auctores sunt Mart. Polonus, Platina, Ioannettus, & alij complures, ex Pontificali Damasi Papae. Organa primum, Missa Pipino Regi a Constantino Imperatore Graeco, auctor est Marianus Scotus in Pipino. Verum Aymon. monachus lib. 4. de gestis Francorum c. 113. affirmat organa more Graecorum, primum in Francia composita, industria cuiusdam, cui Gregorius nomen erat, Imperante Ludouico pio, eiusq. sumptibus. Quare haerendum non est Nauarro, qui in libro de oratione, & horis canonicis cap. 16. semel atque iterum scripsit, superstitie S. Thoma Aquinate vsus organorum nondum receptum fuisse. Plane etsi organorum vsus necessarius non sit, quare in Cappella Papae non extant organa, vt Caieta. ad S. Thom. & Sotus de iust. & iure, lib. 10. q. 5. art. 2. testantur: non est tamen improbandus S. Th. 2. 2. q. 91. Sotus vbi supra: Nam & tibijs, timpanis, & alijs musicis instrumentis Deum laudandum innumeris scripturae locis expressum est. Plene Democares de obseruanda Missarum celebratione cap. 14. Organorum vsus Ecclesia ait Synodo Senonen. c. 17. a patribus ad cultum, seruitiumq. diuinum recepit: modo nihil praeter hymnos diuinos, & cantica spiritualia organa representent. Item in Concil. Colonensi organorum melodia in templis sic adhibeatur, ne lasciuia magis quam deuotionem excitet, neque praeter hymnos diuinos, ac cantica spiritualia quidquam resonet: quod repetitum fuit in Synodo Diocesana Augustensi, & in Synodo Tridentina sess. 22. de obseruandis, & euitandis in celebratione Missae his verbis: Ab Ecclesijs vero musicas eas, vbi siue organo, siue cantu lasciuium, aut impurum aliquid miscetur, & c. arceant.

DE

D E A E D I S S A C R A E P A R T I B V S
C A P V T D E C I M V M Q V A R T V M.

- 1 Aedium sacrarum partes praecipuae sunt duae.
- 2 *Βήμα* unde dictum, & quam in adibus sacris partem significet.
- 3 Diaconicum quid significet.
- 4 Templum, quod Graece *ναός* dicitur, a sacrario distinguitur.
- 5 Aedem sacram esse symbolum mundi sensibilis.
- 6 Turris, & Torcular Matth. 21. adis sacrae partes denotant.



AE D I S sacrae duae praecipuae partes. Prima quae a Graecis *βήμα* & *ἱερατεῖον* dicitur. *βήμα* autem siue suggestus ideo, auctore Gentiano Herueto, appellatur quod gradibus ad eam ascendatur. *βήμα* pro sacrario apud Graecorum Nazian. orat. 9. partim funebri in laudem patris, vbi Bilius. *ἱερατεῖον* vero, id est sacrarium. Est enim locus sacrificio deputatus, ibique est altare. Dicitur & secretarium in Concil. Arelaten. 2. Can. 15. Appellatur etiam Graece diaconicum can. 21. Concil. Laodicen. *ὅτι ἐδ εἰ ὑπηρετίας ἔχεν χόραν ἐν τῷ διακονικῷ* can. Non oportet, dist. 23. & in Concil. Agathens. can. 66. can. Non oportet, ead. dist. Quoniam non oportet, in sacros ministros licentiam habere in Secretarium, quod Graeci diaconicum appellant, ingredi, & contingere vasa Dominica, vbi vulgo legitur diaconium. Appellatur vero sacrarium, vt conijcio, diaconicum, quia non nisi diacono in sacrarium ingredi licebat. Secunda pars vocatur *ναός*, hoc est templum, in quo vniuersus congregatur populus. S. Maximus de Ecclesiastica mystagogia cap. 3. Ecclesiam diuidit, in locum solis sacerdotibus, & ministris attributum, nempe *ἱερατεῖον* hoc est sacrarium, & eum, ad quem patet introitus omnibus fidelibus, quem ait ille, vocamus *ναός*, id est templum. Idem Maximus cap. 4. Ecclesiam ait esse symbolum, ac signum mundi sensibilis, vt quae caelum habeat diuinum sacrarium, terram autem, quae templi decorem teneat. Similiter mundum esse Ecclesiam, qui caelum quidem habeat sacrario simile: templum autem, eum qui in terra est, ornatum. Rursus cap. 5. notat esse hominem sanctam Dei Ecclesiam: quae animam quidem habeat sacrarium, & mentem diuinam altare, & corpus templum. Has duas Ecclesiae partes Christus illustrat Matth. 21. dum agit de patrefamilias, qui in vinea, quam plantauerat, aedificauit turrim, & torcular extruxit. Turrim siquidem S. Hieron. ibidem & ad cap. 5. Isaiae interpretatur templum: Torcular vero altare.

D E A L T A R I S E V *θυσιαστήριον*

C A P V T D E C I M V M Q V I N T V M.

- 1 Altaria, & ara unde nomen acceperint.
- 2 Aras qui extruxerint insigniores, in vtroque testamento.
3. 4. 5. Altaria ad diuinum cultum pertinent, & magna veneratione semper honorata.
3. 4. 6. Altaria apud patres titulis multis ornata.
- 7 Altaria ius habent asyli.
- 8 Altaria magnifico apparatu ornanda.
- 9 Altaria diebus quibusdam maioris hebdomadae cur nudentur.
- 10 Altaria quas cali plagas spectent.
- 11 Altaria ingredi non nisi sacratis permittitur.
- 12 Altarium eueriores graues instasq. penas persoluerunt.
- 13 Altaria cancellis circumdabantur.
- 14 Cancelli unde dicantur.



AL T A R I A, inquit, Festus, ab altitudine dicta sunt. Antiqui enim dijs superis in aedificijs a terra exaltatis sacra faciebant, Dijs terrestribus in terra, Dijs infernalibus in effossa terra. Seruius Honor. in illud 2. Aeneid. nec quidquam altaria circum, ait, aras & superis, & inferis Dijs consecratas esse. Altaria vero esse tantum

tantum deorum superiorum ab altitudine nominata, & alibi idem Seruius ait: Aras dictas ab ariditate, quia in illis adoleretur ignis. Altaria ab alendo, quia igni adduntur alimenta. Isidor. lib. 13. orig. capit. 4. Aram, ait, quidam vocatam dixerunt, quod incensam ibi victimam ardeant. Alij aras dicunt a precationibus, quas Græci *ἄρας* vocant. Altare autem ab altitudine constat esse nominatam, quasi alta ara. Strabo de rebus Ecclesiasticis. cap. 6. Porro aram etiam dicitur, vel quod area pura sit. Genes. 8. Berof. in tertia, vel ab ardore. Varro lib. 4. de ling. lat. Aras in Ecclesia catholica a purissimo, & incruento sacrificio nomen habere, docet Gregorius Nazianz. orat. 4. quæ est 2. in Iulianum. Altare apud Hebræos appellatur *זבֿח* a *זָבַח* quod est sacrificare, quod scilicet in altari victimam Deo sacrificarentur. Apud Græcos vocatur *θυσιαστήριον* a *θυσία*, quod significat sacrificio. Inde consequens est Eucharistiam esse sacrificium, quod nos in cap. de Missæ sacrificio pluribus probabimus. Altaria non solum Abraham, Isaac, Iacob, & Moyses exerunt: atque ita altaria tabernaculo, & templo antiquiora sunt. Strabo de reb. Eccles. capit. 1. sed & Iosue in monte Hebal. Iosue 8. Gedéon Iud. 6. Samuel in Ramatha. 1. Reg. 8. Saul in Sabaa. 2. Reg. 20. David in area. 2. Reg. 24. Helias in monte Carmeli. 3. Reg. 18. Iesus filius Iosedech. 2. Esdræ. 5. Iudas Machab. 2. Machab. In nouo quoque Testamento altarium vsus probatur. Matth. 5. & 23. & 1. ad Corinth. 9. & ad Hebræos cap. 13. Habemus, inquit Paulus, *θυσιαστήριον*, id est altare, de quo edere &c. Nec non in cap. 3. & 30. apost. & apud Dionys. c. 3. Ecclesiastica Hierarchia. Irenæus l. 4. capit. 20. probat Apostolos veros fuisse Sacerdotes, quia semper altari & Deo seruiebant. Tertull. in lib. de poenitent. docet, Christianos antiquitus venerari aras Dei consueuisse, eisq. adgeniculari. Sorigonia ad altare cum fide se prosternebat, Greg. Nazianz. orat. 11. in laudem Gorgon. vbi miraculum insigne commemorat Alexandrum Constantinopolitanum Episcopum, cum ab Arrianis premeretur, ad altare progressum, in faciem coram sacra mensa se prostrasse, & cum lacrymis orasse. Auctores sunt Epiphanius lib. 2. tom. 2. hæref. 68. Sozomen. lib. 2. cap. 29. Socrates capit. 37. Cassiodor. lib. 3. tripartitæ cap. 10. Nicephor. l. 8. capit. 51. Ambros. quoque aduersus Iustinæ furem sub altari positus per obseruationes, sibi & Ecclesiæ Deum defensorem parabat. Ruffinus lib. 2. cap. 6. Idem Ambros. epist. 33. nec altaria tenebo vitam obsecrans: sed pro altaribus gratius immolabor. Optat. Mileuit. lib. 6. altare appellat sedem & corporis, & sanguinis Christi: Ibidemq. execratur Donatistas, qui altaria frangebant, radebant, & remouebant. Quid enim est, ait ille, tam sacrilegum, quam altaria Dei frangere, radere, & remouere? In quibus vota populi & membra Christi portata sunt, quo Deus omnipotens inuocatus sit, quo postulatus descendit Spiritus sanctus, vnde a multis pignus salutis æternæ, & tutela fidei, & spes resurrectionis accepta est, &c. In altari Deo sacrificatur, ait August. lib. 20. contra Faustum Manichæum c. 21. in altari corpus Domini offertur, sanguisq. Christi pro peccatoribus effunditur. August. ferm. 11. de sanctis. Forma corporis Christi altare est, & corpus Christi est in altari. Ambros. lib. 4. de sacrament. cap. 12. & alibi lib. 5. cap. 2. Quid est enim altare, nisi forma corporis Christi? S. Chrysof. homil. 20. ad 2. ad Corinth. Tu autem hoc quidem altare honoras, quod accipit corpus Christi. Inde sacramentum altaris passim apud Cyprian. & Aug. ep. 50. ad Bonifac. in altari Christus iacere dicitur, Gallice [reposer] S. Chrysof. lib. 6. de sacerdotio loquens de tremendis mysterijs addit: Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus *εις τιμὴν τοῦ νεκρού*. In illius honorem, qui iacet Angelorum choris plenus est: & hom. 41. in 1. ad Corinth. non frustra ait, memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro ipsis, agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentem deprecantes. Adde quod Optatus, vt supra scripsi, altare sedem corporis, & sanguinis Christi appellat. Altaria erigere, ad diuinum cultum perinet, Concil. Aquigranen. can. 21. Perpende ait Synodus, quod pro Dei beneficijs, quibus largiente eius clementia, immeriti & ingrati vbertim in hac mortalitate vtimur, potius debeamus diuinum cultum instar Isaac, & ceterorum Sanctorum Patriarcharum in altaribus erigendis honorare &c. Honorem debitum præstare altari, quod corpus Christi accipit, hortatur Chrysof. ad 2. epist. ad Corinth. hom. 20. veteres Christiani venerationis ergo, altaria osculabantur. S. Ambr. epist. 14. ibi: Certatim hoc nunciare milites, irruentes in altaria, osculis significare pacis insignem. Diaconi osculantur altaris latera. Episcopus osculatur altare. Amalar. Fortunat. l. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 5. Quandoque altare appellatur a Dionys. c. 3. Eccles. Hierarch. *τὸ θεῖον θυσιαστήριον*, & in Concil. Toletan. 12. Quicumque ergo sacerdotum deinceps diuino

diuino altari sacrificium oblaturus accesserit. Appellatur & diuinum ab eodem Dionysio *τὸ θεῖον θυσιαστήριον* ad diuinum altare. Paulinus epist. 12. ad Seuerum:

Sancta Deo geminum velant altaria honorem.

Dicitur & compositum, & sacrosanctum ab Ambrosio capit. 8. lib. de his qui initiantur mysterijs. Reuerendum ab Eusebio Emiseno hom. 4. de Pascha. ibi: Ita & tu cum ad reuerendum altare salutari cibo, potuq. reficiendus accedis, &c. Appellatur & mensa Domini Cassiod. ad Psal. 22. Parasti in conspectu meo mensam. Mensa mystica apud Chrysof. hom. de Eucharist. in Encænijs. Mensa regalis apud eundem Chrysof. hom. 6. ad populum Antiochenum. Prætereo sanctorum Patrum loca innumera quibus varijs titulis altaria ornantur. Ceterum ea erat apud veteres religio altarium, vt ad ea confugientes ius asyli haberent, nec licebat eos inde extrahere. Altare enim erat eis portus atque periculum. Exod. 21. Adoniam & Ioab sibi timentes ad altare domus Domini confugisse legitur. libro 3. Reg. capit. 1. & 2. Ius asyli in sacra mensa indicat S. Gregor. Nazianz. orat. 20. in laudem Basilij Magni his verbis: Illa autem cum nulla ratione hanc vim effugere posset, concilium capit, non maioris audaciæ, quam prudentiæ plenum. Ad sacram etenim mensam confugit, Deumq. aduersus hanc iniuriam propugnatorem sibi adoptat. Plura de iure asyli, in cap. vltimo de ædium sacrarum religione. Legimus item in Ecclesiast. historia feruos quosdam potentum genere barbaros, crudelitatem domini expertos ad altare Ecclesiæ confugisse, neque inde vlllo modo exire voluisse. Socrat. lib. 7. capit. 33. Cassiod. lib. 12. Tripart. cap. 4. Nicephor. lib. 14. cap. 32. Adhæc S. Ambros. epist. 33. asylum altaris indicat his verbis: Vultis in vincula rapere, vultis in mortem, voluntati est mihi, non ego me vallabo circumfusione populorum, nec altaria tenebo vitam obsecrans. Amplius altaria, ait Synodus Rhemen. apud Bruchard. lib. 3. cap. 97. In quibus corpus Dominicum consecratur, sanguisq. eius hauritur, cum omni veneratione honoranda sunt, & mundissimis linteis, ac pallijs cooperienda. Altaria linteamine cooperiri testatur Optat. libro 6. Quis, inquit, fidelium nescit in peragendis mysterijs ipsa ligna linteamine cooperiri? inter ipsa sacramenta velamen tangi potuit, non lignum. Et paulo post: Exterstistis cum codicibus pallas, nisi fallor, has purificare properastis, lauitis procul dubio pallas. Constantino imperante ara in templo Ierosolymitano regijs tapetibus, vasis denique aureis, & gemmatis ornata conspiciebatur. Theodor. libro primo historia. capitulo 30. Histor. tripart. lib. 3. c. 5. Hieron. in epitaphio Nepotiani, laudat Nepotianum, quod curam gereret, vt altare nitidum esset. Itaque in Concil. Toletano 13. canon. 7. canon. quicumque 26. quæst. 5. vetatur altare vestibus sacris exuere. Nudantur solum altaria a 5. Feria vsque in Sabbatum Paschæ ex ordine Romano. Altare enim Christum significat, qui tum nudatus est a vestimentis, hoc est, a discipulis, quando relicto eo, omnes fugerunt. Alcuinus de diuinis offi. cap. de coena Domini plene. Amalar. Fortunat. lib. 1. de Ecclesiast. offi. cap. 12. alij, id fieri in signum tristitiæ crediderunt. Glos. & de Turre cremata in d. can. quicumque. Guiller. Durant. in ration. lib. 1. cap. 2. In fine, & lib. 6. capit. 76. Porro etsi altaria in diuersas plagas quandoque constituta sint, vt apud Heliam in Ecclesia, quam Constantinus cum Helena matre super sepulchrum Domini extruxerat. Itemq. Romæ in templo, quod ab antiquis Pantheon dictum, a S. Bonifacio Papa in honorem omnium Sanctorum consecratum est. In Ecclesia quoque S. Petri Principis Apostolorum altaria non tantum ad orientem, sed etiam in alias partes distributa sunt. Vulfrid. Strabo libro de reb. Ecclesiast. cap. 4. Vfus tamen frequentior, ait idem Strabo, & rationi vicinior habet in orientem orantes conuerti. In Antiochia Syriæ inuersum habet Ecclesia situm. Altare si quidem non ad orientem, sed ad occidentem spectat. Socrat. libro 1. capit. 21. Cassiod. lib. 9. tripart. cap. 38. Quare ait Nicephor. lib. 12. capit. 34. in vrbe Antiochena, quæ in Syria est, altaria diuersum prorsus quam alibi situm habuere. Sacra enim ara non ad orientem, sed ad occidentem versus posita fuerat. Quibus apparet, vbi que fere altaria orientem versus collocata fuisse. Sane in Ecclesia Romana altare maius semper orientem spectat. De qua plura in c. de ædium sacrarum forma. Ceterum altaria ingredi, & mulieribus, & laicis omnino vetitum. Ijs enim solis, qui sacris initiati sunt, altaria ingredi licet, Synodus Laodicensis can. 19. & 44. Synod. Agath. can. 66. Et can. 69. ex Trullanis, qui sub sextæ Synodi nomine circumferuntur, quo sacri Imperatores tum excipiebantur: hi enim, vt ibidem Balsamon notat, quando voluerint, ad sacrum altare accedunt. Quare idem Balsamon ad can. 44. Synod. Laodicen. & 69. Synod. 6. Latinos arguit, apud quos non solum laici, sed & mulieres sine pudore, in-

sanctum altare ingrediuntur, & sedent praesentibus saepe ijs qui sacrificant. Synesius epist. 67. seipsum accusat quod homo in peccatis habens non exercitatus in Ecclesijs, Dei altaria ausus esset contingere *ὅτι ἄνθρωπος ἐν ἁμαρτίας ἀπόπροσ, ἐκκλησίας ἀγωγὴν ἐτέραν ἡμέ-*
 12 *ρος, θυσιαστηρίων ἡψάμην θεῶ.* Ad haec, quanta fuerit altarium religio, ex poenis, quas persoluerunt, qui altaria euerterunt, vel profanarunt, colligere licet. Ezechiel 23. Hoc fecerunt mihi, polluerunt sanctuarium meum in die illa, & paulo post: Adhuc multitudinem, &c. 3. Reg. 19. Domine, inquit, altaria tua confregerunt. S. Chrysof. hom. 53. ad populum Antiochenum, si quis ignem fumens, & fossorium, hanc destruxisset domum, & incendiasset, & hoc suffodisset altare, nonne quilibet lapidibus eum obrueret, tamquam profanum, & impium? Optat. Mileuit. lib. 6. Quid enim est tam sacrilegum quam altaria Dei, in quibus & vos aliquando obrulistis, frangere, radere, remouere? Et postea: Hoc modo Iudaeos estis imitati. Illi iniecerunt manus Christo in cruce. A vobis percussus est in altari. Sufficeret in saniae vestrae, quod membra laniastis Ecclesiae inter haec omnia, vt altari-
 bus parceretis, & desideria hominum, cum ipsis altaribus confregistis, & complura alia, quae grauitatem huius sceleris manifestant. Vbi obiter obseruanda sunt verba illa: vota, & desideria hominum, quasi altaria sint gradus, quibus vna cum sacrificio Christianorum preces in caelum ascendunt. Rursus in Concil. Aquisgranen. capit. 17. Quod si Abraham pro eo quod Dei altaria erexit, cultumque eius veneratus est, tot a Deo prerogatiuis donatur, dubium non est, quin altarium sanctorum euerfores, & sacrarum rerum, quibus in eisdem altaribus famulandum est, subreptores damnentur. Et cap. 25. Etsi Moyses per haec quae promissa sunt Domino, altare erexit, cauendum est illis, qui altaria Domini obruendo dedecorant, & inhonestando obruunt, ne, quando se aduersus hostes suos proripiunt, seipfos eisdem triumphum exhibeant. Legimus in histor. Ecclesiast. Iulianum Praefectum impudenter contra sanctum altare minxisse, statimque poenas dedisse: saeuo enim morbo correptus, visceribus putrefactis interijt. Theodor. lib. 3. cap. 11. & 12. Cassiodor. lib. 6. tripart. cap. 32. Similem animaduersionem narrat Nicephor. lib. 10. cap. 29. Testatur quoque Paulinus in vita Ambrosij, quod cum milites ab Stilicone comite missi Cresconium, qui ad altare confugerat, abtraxissent (quod quidem factum. S. Ambrosius. ante altare prostratus diu fleuit) dimissi Leopardi saltu celeri milites grauius laniatos reliquerunt. Obijciunt haeretici, quod olim Caelius apud Minutium obijciebat Christianos, veteres Christianos, nec aras, nec templa habuisse. Cur etenim occultare, ait Caecilius, & abscondere quidquid illud colunt, nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelerata secreta sint? Cur nullas aras habent, nulla templa? At mentiebatur impius Caecilius, mentiuntur impij sacrilegi haeretici. Templa, & altaria tum habebant Christiani, vt ex canonibus Apostol. Clemente, Tertulliano, & alijs apparet. Verum quia propter tyrannidem Imperatorum Christiani vbique fere in cauernis, cryptis, & cuniculis rem diuinam faciebant, pagani eos
 13 nullas aras, nullaque templa habere credebant. Nouissime obseruandum est altare fecerunt cancellis a reliquis Ecclesiae partibus, quod Synod. Chalcedon. Act. 1. aperte indicat. Ibi enim post orationem Martiani Imp. legitur: Et post haec residentibus magnificentissimis, & gloriosissimis iudicibus, & amplissimo Senatu, in medio ante cancellos Sanctissimi altaris, & ex laeva quidem parte sedentibus. Et paulo ante: Ecce aduenientibus omnibus ante cancellos sancti altaris, &c. Et in Synodo Turo. can. 3. c. 1. de vita & honestate clericorum, ibi: Sed pars illa quae cancellis ab altari diuiditur. Auctor orationis panegyricae apud Eusebium lib. 10. histor. Ecclesiast. cap. 4. templum a Paulino Tyri Episcopo extructum describere docet: altare tanquam sancta sanctorum situm fuisse in medio sanctuarij. Quod autem eo accedi non posset a plebe & multitudine, cancellis ex ligno fabricatis altare circumdatum, Cancelli, ait Germanus in theoria rerum Ecclesiast. locum orationis designant, quousque populus extrinsecus accedit. Intrinsecus autem sunt sancta sanctorum solis sacerdotibus praemia. Sunt autem re vera ad piam memoriam cancelli aenei ne quid simpliciter, & temere ingrediatur. Quibus locis apparet cancellos alibi aeneos, alibi ligneos fuisse. Canc-
 14 cri ab antiquis dicebantur auctore Festo, qui nunc per diminutionem cancelli, vel vt auguratur Strabo de reb. Ecclesiast. cap. de expositione nominum quorundam sacris rebus adiacentium. Cancelli dicuntur a cubito, qui Graece *ἀγκών*. Solent enim plurimi non altius costrui, quam vt stantes desuper inniti cubitis possint.

DE ARCVLA SEU PIXIDE,
 in qua corpus Christi asseruatur, quae *κιβώριον*, seu
κιβώριον Graece, vulgo ciborium ap-
 pellatur.

CAPVT DECIMUM SEXTVM.

- 1. 6. 10. & 11. Eucharistiam asseruari in arcula, vetustissima est Ecclesiae consuetudo, & quas ob causas.
- 2. Ciborij, quod Graecis *κιβώριον* est, frequens apud patres mentio fit.
- 3. Ciboria Ecclesijs donata.
- 4. *Κιβώριον* turris a quibusdam patribus appellatur.
- 5. Columba aurea in Ecclesijs ad Eucharistiam asseruandam olim fiebant.
- 6. Ciborij locus in templis.
- 7. Eucharistia diligenter, non tamen diu asseruanda.
- 8. *Πασοφορία* quid significant?
- 9. Eucharistia sacramentum est extra usum.
- 10. Eucharistia asseruabatur quo aduenientibus peregrinis alijsq. Catholicis porrigeretur.
- 11. Eucharistia quondam in priuatis domibus asseruabatur.
- 12. Eucharistiam domum deferendi consuetudo antiquata.



ET VETUSTISSIMA Ecclesiae catholicae consuetudine receptum fuit, propter infirmorum communionem, nec non ob alias magnas, & necessarias causas, Eucharistiam asseruari in arcula seu pixide. Clemens epist. 2. ad Iacobum fratrem Domini, ibi: Reliquias fragmentorum corporis Domini custodire debent, ne qua putredo in sacrario inueniatur, ne cum negligenter agitur, corpori Domini grauis inferatur iniuria, & paulo post: Qui autem residua corporis Domini, quae in sacrario relicta sunt, consumunt. Idem Clemens. l. 8. confit. apost. capit. 13. Sumant Diaconi reliquias, & inferant in tabernaculum, & diaconus postquam finem fecerit, &c. Leo Papaq. ad Michaellem Imperatorem, scribit Ierosolymis Eucharistiam in pixide pro aduenis, & quotidie eam sumere volentibus asseruari solitam. Hanc pixidem Graeci vocarunt *κιβώριον* quam vocem & Latini & Galli de Graecis retinuerunt, ciboriumque Latine Gallice, (ciboire,) nuncuparunt. Perionius de lingua Gallica origine, Ciborij, & Graeci, & Latini auctores meminerunt. E Graecis, S. Germanus in theoria rerum Ecclesiast. Ciborium, inquit, est vbi est crucifixio, & paulo post: Est item, & secundum arcam illam testamenti Domini, in qua dicunt, Sancta sanctorum, & eius sanctificatio, in qua praecipit Deus fieri duo Cherubim vtrinque tornatilia. Nam cib. est arca, orium illuminatio Domini. S. Chrysof. hom. 42. in Acta Apostolorum enarrans verba illa: Faciebat delubra argentea Dianae, ait, Et quo modo possibile erat fieri delubra argentea fortassis parua ciboria, quae vocant. Zonaras item tomo 3. scribit Imperante Iustiniano Ecclesia magna iam absoluta, & consecrata partem collapsam terramotu, eoq. casu *κιβώριον* sacrae mensae contritum. E latinis legimus in libro Pontifical. Symmachum Papam altaribus duarum Basilicarum S. Andreae, & Siluestri argentea ciboria destinasse, quae quidem Vascula, ait auctor libri Pontific. in sacramento huius conseruationem habebantur, & hodie ciboria vocantur. S. Gregor. vt in eodem lib. Pontific. & apud Diaconum, in eius vita, in Basilicae S. Petri super altare ciborium fieri iussit, auctor tractatus de reuelatione capituli Sancti Ioannis Baptistae. Igitur, inquit, Sanctus Felix, & socij eius, cum venerando rege inter cetera dominum deprecabantur, vt eis salubre consilium suggereret, quo nam in loco sancta membra locarent, aedificantesque basilicam, & in ea ciborium, & paulo post caput Sancti Ioannis Baptistae almi praecursoris Christi, & beatorum trium Innocentium corpora simul in hoc ciborio concluderunt. Hanc etiam pixidem nonnulli auctores turrem appellat. Gregorius Turon. l. 1. in gloria martyrum capitulo 86. ibi: Acceptaq. turre Daconus, in qua ministerium Dominici corporis habebatur, ferre coepit ad ostium,

- 4 ostium, ingressusque templum, ut eam altari superponeret. Ea vero arcula, antequam in ea Eucharistia recondatur benedici, & consecrari debet. Benedictio vero formula legitur in ordine Romano. Porro Eucharistia quandoque in columba aurea, vel argentea super altare appendebatur. De columbis aureis, vel argenteis
- 5 in formam Spiritus sancti, sup. in capit. de imaginibus. Aliquando ad basim Crucis, medio in altari erectae collocabatur. Synod. Turonica 2. sub Pelagio. 1. canon. 3. ut corpus Domini in altari non in armario sub Crucis titulo componatur. Frequentius pixis, seu arcula Eucharistica in armario super altare includebatur, Syn. Turonen. capitulo 4. apud Bruchard. libro 5. decret. capitulo 9. ut omnis presbyter habeat pixidem, aut vas tanto sacramento dignum, ubi corpus Dominicum diligenter recondatur; ad viaticum recedentibus a saeculo. Quae tamen sacra oblatio, & paulo post semperq. fit super altare obseruata propter mures, & nefarios homines, & de septimo in septimum diem mutetur, id est nulla a presbytero sumatur, & alia quae eodem die consecrata est, in locum eius subrogetur, ne forte diu seruata mucida (quod absit) fiat. Item in Concil. Lateranen. sub Innocent. 3. capitulo 20. statutum fuit, ut in cunctis Ecclesijs Eucharistia sub fidei custodia clauibus adhibitis, conseruaretur, capitulo 1. de custod. Eucharist. ubi Innocent. agit, qua poena afficiendus sit presbyter, qui non curiose, & diligenter Eucharistiam custodit, de quo plura in canon. si per negligentiam, canon. qui bene de consecratione distinct. 2. Capell. Tolosa. quaestione 218.
- 7 Hunc locum ubi arcula includitur *πασοφόριον* non improprie veteres appellarunt. Reliquae Eucharistiae in pastophoria inferebantur Clementis saeculo, eo ipso teste libro 8. constituit. Apostol. capitulo 13. Idem Clemens libro 2. constituit. Apost. capitulo 57. in extrucone Ecclesiae, pastophoria vtrinque fieri in orientem iubet. Sane *πασοφόριον* thalamum significat. S. Hieronymus ad capitulum 40. Ezechielis: Quare sacrarium in quo iacet corpus Christi, qui verus est Ecclesiae, & animarum nostrarum sponus, proprie thalamus seu *πασοφόριον* appellatur. Pastophoriorum mentionem facit Iosephus libro 5. de bello Iudaico capitulo 5. Plane illius loci, in quo pixis includitur, religionem &c. Renerus S. Laurentij, libro de viris Illustrib. monasterij sui, insigni miraculo illustrat his verbis: Paracitanam vero Ecclesiam depasta sunt incendia, sed ibi nihilominus Christi gloriose magnificata est dextera. Cum fuerit namque tanta conflatio, ut etiam campanas liquefecerit eiusdem Ecclesiae, armariolum tamen ligneum, quo in pixide clausum corpus Dominicum habebatur, corrupti aduersione non potuit, sacrosanctum scilicet seruante sanctosanctorum, cuius caro requieuit, in spe cuius non derelicta fuit anima in inferno, cui datum est non videre corruptionem.
- 8 Quibus palam fit Eucharistiam sacramentum esse extra usum, nec non perfecta consecratione adorari super altare, & seruari etiam perfecta communione. Quod amplius probari potest, primum Lucae 22. Et accepto calice gratias agens, &c. Quem locum pluribus enarrat Turrianus libro 4. pro epist. Pontific. capitulo 19. Deinde conciliorum, ac sanctorum Patrum testimonijs Synod. Nicæna inter diatypothes in eiusdem Synodi fragmentis libro 3. ex editione Alphonfi Pisani, hortatur mentem attollere, ac fide intelligere situm in sacra illa mensa agnum illum qui tollit peccata mundi incruenter a sacerdotibus immolatum. At cum est super altare ait Turrian. nondum sumitur. Est igitur corpus Domini extra usum in sacramento. Eodem pertinet canon. eiusdem Synodi Nicænae 20. apud Ruffinum libro 10. historia. capitulo 6. ut Diaconi presbyteris praeferantur, neue sedeant in confessu presbyterorum, aut illis praesentibus Eucharistiam diuidant, sed illis agentibus solum ministrent. Si vero presbytero nullus sit in praesenti, tunc demum etiam licere ipsis diuidere. Ecce corpus Domini a presbytero consecratum, absente presbytero a diaconis distribuitur. Perfecta ergo consecratione extra usum corpus Domini seruatur, & vere sacramentum est. Non me latet ea postrema Synodi verba: Si vero nullus presbyter, non legi in Concilio. Nicæno apud Balsamonem nec in Codice Vaticano, nec apud Gratian. can. peruenit dist. 93. & Bruchard. par. 5. cap. 26.
- 10 Iuo part. 2. capit. At non modica est Ruffini auctoritas. Non iniuria Synod. Trid. sess. 13. c. 6. diserte asserit, consuetudinem asseruandi sanctam Eucharistiam in sacrario, adeo antiquam esse, ut eam etiam saeculum Nicæni Concilij agnouerit. Eandem consuetudinē probat Syn. Vuormacien. in cap. lib. 6. cap. 161. & apud Bruchard. lib. 5. cap. 10. Concil. Aurel. apud Bruchard. lib. 5. cap. 51. can. presbyter, can. qui bene de consecrat. dist. 2. Synod. Rhemen. can. 2. quibus locis

locis ad communionem infirmorum, ne viatico fraudulentur, Eucharistiam asseruari conflat. Gregor. Nazianz. orat. in laudem Gorgoniae, desperatis aliorum omnium auxilijs Gorgonia ad mortalium omnium medicum confugit, noctisq. intempestae caligine obseruata, cum leuius aliquanto morbus vrgeret, ad altare cum fide procumbit, eumq. qui super illud colitur, cum magno clamore obtestans, &c. Ecce Gorgonia ad altare, super quod asseruabatur Eucharistia, procumbit, nam & paulo post, ac sicuti quidpiam signorum pretiosi corporis, aut sanguinis manus condidit, id lacrymis admiscens, o rem admirandam, protinus liberatam se morbo sentit. Nota est Serapionis historia apud Eusebium, ex Dionysio Alexan. libro 6. capitulo 38. huic enim aegroto presbyter per puerum exiguam quandam Eucharistiae particulam transmisit, quam ubi puer madefactam, ut presbyter iusserat in os senis infudit, illico Serapion extremum spiritum edidit. In Mariae Aegyptiacae vita, quam Paulus Ecclesiae Neapolitanae diaconus conscripsit, legitur, Mariam Aegyptiacam sanctissimam feminam grauius aegrotantem Zosimum Abbatem rogasse, Eucharistiam sanctis vasculis inclusam sibi deferre, quam cum simbolo, & dominica oratione recitatis sumpsisset, dixerit: Nunc dimittis seruam tuam in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum. Beda libro 4. histor. anglic. capitulo 14. refert presbyterum infirmanti puero de sacrificio dominicae oblationis particulam deferri mandasse. Paulinus in vita S. Ambrosij: Honoratus, inquit, sacerdos Ecclesiae Vercellensis cum in superiori domo, se ad quietem composuisset, tertio vocem vocantis se audiuit dicentis sibi: Surge, & festina: quia est modo recessurus, qui descendens obtulit Sancto Ambrosio Domini corpus, quod ubi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum secum ferens. Asseruabatur etiam Eucharistia, quo aduenientibus peregrinis, & alijs catholicis praeberetur. S. Hieron. lib. de septem gradib. grad. 6. Eucharistiam iam pridem per presbyteros benedictam si vsus exegerit, Episcopi accipere debent, & paulo post: nam si quis ad iniuriam reuocet, aut putet se accipere non debere Eucharistiam, quam presbyter benedixit, &c. Eam quandoque Episcopis transmissam probat S. Irenaeus in epist. ad Victorium apud Euseb. lib. 5. cap. 24. & Nicephor. lib. 4. cap. 39. iam supra scripsimus Leonem Papam. q. ad Michaellem Imperatorem testari Ierosolymis Eucharistiam in pixide pro aduenientibus, & quotidie eam sumere volentibus asseruari solitam. Eucharistia quondam imminente persecutione, cum non liceret Christianis libere, & passim ad frangendum, & commanicandum panem, vna conuenire fideles, ab Ecclesiarum Praefectis Eucharistiam consecratam in manus sumebant, eamq. nitido linteamine inuolutam domum deportabant, & asseruabant, eam cum opus esset sumpturi: eoq. pertinet quod scripsit Tertull. lib. 2. ad uxorem: Non sciet maritus quid secreto ante cibum gustes, & lib. de monogamia, ibi: Sic dabunt viros, & uxores quo modo buccellas. De illis enim buccellis conijcit Pamelius, quas domum ferendas ab Ecclesiae ministris accipiebant. Item libro de orat. in fine, ibi: Accepto corpore Domini, & reseruato, eius etiam consuetudinis meminerunt. S. Cyprianus sermone de lapsis, ibi: Cum femina quaedam arcam suam, in qua Domini sanctum fuit, tulerat, illud secum ex Ecclesia manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente territa est, ne auderet attingere: & quidam alius, & ipse maculatus sacrificio a sacerdote celebrato partem cum ceteris ausus est latenter accipere, sanctum Dei edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se, apertis manibus inuenit. Documento vnius ostensum est Dominum recedere cum negatur, nec immerentibus ad salutem prodesse quod sumitur, cum gratia salutaris in cinerem sanctitate fugiente, mutetur. Idem Cyprianus libro de spectaculis, dimissus & adhuc gerens secum, ut assolet, Eucharistiam inter corpora obscena meretricum tulit, ubi Pamel. -item epistola 56. Armenius, & dexteram gladio spirituali, ut sacrificia funesta fortiter respuat, & Eucharistiae memor, quae Domini corpus accepit, ipsum complectatur, & de bono patientiae nec post gestatam Eucharistiam manus gladio, & cruore maculatur. Clemens Alexandr. circa initium libri primi Stromatum: Eucharistiam, inquit, cum quidam, ut mos est, diuiserint, permittant vnicique ex populo eius partem sumere. S. Basilius in epistolam, ad Caesariam Patritiam: Illud, inquit, in persecutionis temporibus necessitate cogit quempiam non praesente sacerdote, aut ministro, communionem propria manu sumere, nequaquam esse graue superuacaneum est demonstrare. Propterea quod longa consuetudine hoc ipso rerum vsu confirmatum est. Omnes enim in eorum vitam solita-

riam agentes, vbi non est sacerdos, communionem domi seruantes, a seipsis communicant. S. August. serm. 252. de tempore, testatur suo sæculo mulieres nitida linteamina exhibere consueuisse, vbi corpus Christi accipiebant. Hinc puto manasse consuetudinem, quam in hunc vsque diem retinimus, vt communicaturi nitidum linteamen ante pectus induamus. S. Hieron. in Apologia aduersus Iouinianum hunc morem cœptum persecutionis temporibus etiamnum Romæ retineri annuit his verbis: Scio Romæ hanc esse consuetudinem, vt fideles scilicet corpus Christi accipiant, quod nec reprehendo, nec probo: vnusquisque enim in suo sensu abundet. Sed ipsorum conscientiam conuenio, qui eadem die post coitum communicant, & iuxta Persium, noctem flumine purgant. Quare ad martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur Ecclesias? An alius in publico, alius in domo Christus est. Quod in Ecclesia non licet, domi non licet. Pijssimus ille Satyrus Ambrosij. Frater eodem Ambrosio auctore in orat. funebri de obitu Satyri, priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus cum ea, qua veheretur, nauis scopuloso illisa vado, & vrgētibus hinc atque inde fluctibus solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret e vita, quos initiatos esse cognouerat ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos infereret arcanis, sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in orario, & orarium ligauit in collo, atque ita se deiecit in mare, & quæ sequuntur, quæ tum a Satyro, sacram Eucharistiam orario inuolutam, & a collo pendentem gestatam fuisse manifeste probant. Maximum & stupendum miraculum Eucharistiæ in domo priuata asseruatæ commemorat Sophronius in prato spiritali cap. 39. Iustin. nouell. 123. §. in omnibus, indulget sacris virginibus eligere presbyterum seu diaconum *εις τὴν ἀγιάν ἀντὶς κοινῆς φέρον* ad sanctam eis communionem portandam S. Hieron. ad Rusticum monachum de S. Exuperio: Nihil illo diutius, qui corpus Domini vimineo canistro, sanguinem portat in vitro. Ioannes diaconus in vita S. Gregorij lib. 1. cap. 32. Fideles, inquit, cum Maximiano Syracusano Episcopo iam iamq. naufragium facturi videbantur sibi metipsis pacem dederunt, & corpus, sanguinemq. Redemptoris acceperunt. Ceterum hæc consuetudo, Eucharistiam domum deferendi, quam persecutionis tempestas introduxerat, tandem antiquata fuit, tum ex Concilio Toletan. 1. can. 14. Si quis autem a sacerdote acceptam Eucharistiam non sumpserit, velut sacrilegus propellatur. Cæsaraugust. can. 3. his verbis: Eucharistiæ gratiam si quid probatur acceptam, non consumpsisse in Ecclesia, anathema sit in perpetuum: tum ex Concil. Rotomagen. can. 2. quo cautum est, vt Eucharistia non nisi in os sumentis immittatur a sacerdote, quod hætenus obseruatum fuit. Amplius in die Parasceues non conficitur corpus Domini, verum Eucharistia in cœna Domini referuatur. Innocent. 1. epist. 1. capit. 4. Amalar. Fortunat. lib. 1. de diuinis offic. cap. 15. ex ordine Romano. Rabanus lib. 2. de institut. clericor. cap. 37. Alarimus de diui. offic. & nos alibi plenius. Neque his aduersatur quod S. Clemens epist. 2. vetat reliquias Dominici corporis asseruari iubere eas in sacrario consumi. Has & Isichius lib. 2. in cap. 8. Leuit. ait igne comburendas. S. enim Clemens agit de exiguis fragmentis & micis, quæ innocentibus pueris, & Concil. Matifcomensi dari consueuerat Gregor. Turon. in gloria martyrum cap. 9. Nicephorus lib. 17. capit. 25. Isichius autem loquitur de reliquijs illis quæ vel tempore, vel alia de causa corruptæ fuerant. Hanc tractationem concludat S. Cyrilli Ierosolymitani censura epist. ad Calosirium Episcopum Arcinoitem. Insaniunt, inquit, dicentes mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, si quæ reliquiæ remanserint eius in diem subsequentem.

DE CHORO ET SVBSELLIIS

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

- 1 Chorus unde dicatur & quid sit.
- 2 Presbyterium locus est canentium choro designatus.
- 3 Clericos a laicis in Ecclesijs cancellis secernere, vetus mos est, & Cancelli, quid significent.
- 4 Episcopi solium.

5 Impe-

- 5 Imperatorum in Ecclesijs locus, dum diuinis rebus interfunt.
- 6 Subsellia in Ecclesijs fieri solita.



HORVS, ait August. ad Psal. 149. est consensus cantantium: ve. auctore Isidoro lib. 1. de Ecclesiast. offic. capit. 3. Chorus est multitudo canentium. Chorus autem eodem Isidoro auctore ab imagine ductus est coronæ, & ex eo ita vocatus. Quod planius & apertius explicant Rabanus Maurus lib. 1. de institut. clericor. cap. 33. & Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. offic. c. 3. his verbis: Dicitur esse chorus, quod initio in modum coronæ, circum aras starent, & ita psallerent. Vnde & Ecclesiasticus liber scribit, stantem sacerdotem ante aram, & in circuitu eius coronam fratrum. Chorus hac in parte pro loco, in quo clerici psalmos, hymnos, & laudes diuinas cantare & psallere solent, vt alibi sæpe, continens pro contento, & ab altari, necnon ab ea parte templi in qua populus adstat, secerni solet, vt in Concil. Toletan. 4. can. 17. eo videlicet ordine, vt sacerdotes & leuitæ ante altare communicent. In choro clericus, extra chorum populus, & in Concil. Turon. 2. cap. 3. pars illa quæ a cancellis versus altare diuiditur, choris tantum psallentium pateat: clericorum locus iste presbyterium appellatur, in can. sacerdotum de consecrat. distin. 2. Presbyterium enim ibi referri non potest ad sacrarium, seu altare. Nam ibi expressim agitur de loco, in quo sacerdotes, & reliqui Clerici consistunt. Reliqui enim clerici non ingrediuntur ad altare, seu diaconium. Solis enim presbyteris & diaconis, id concessum fuerat. can. 21. Laodic. Concil. can. non oportet dist. 23. Ceterum vetus mos fuit clericos a laicis, cancellis secernere in Ecclesia d. can. sacerdotum, qui S. Clementi ascribi solet Synod. Turon. 2. c. 4. c. 1. de vita & honest. cleric. Bruchard. lib. 3. decret. c. 102. Ansel. lib. 5. c. 78. Iuo parte 2. c. 137. can. 69. qui sub Synodæ Trull. nomine circumfertur, prohibet eos qui sunt in laicorum numero ad altare ingredi. Hieron. item lib. 13. ad Ezechielem c. 43. enarrans verba illa: Fabricati limen suum iuxta limen meum, addit, vt nihil interesset inter sacrum & prophanium, & postes suos, iuxta postes meos vt vnus laicorum, & clericorum esset introitus. Vnde & Apostolus dicit: Probet autem se homo, & sic accedat ad corpus & sanguinem Domini, & vt grauius faceret quod dicebat, sequentem iungit versiculum: Et murus erat inter me & eos, vt sacerdotalia sacrificia, & loca sacramentorum corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi vnus breuissimus murus diuideret. Et postea: Quid prodest habitationis vicinia, & medius inter cellulam nostram & altare domini paries? Gregor. Nazianz. in carne ad Episcopos præclare, & grauius enarrat quid cancelli in templo significant, in hæc verba:

*Hos quoque qui mundos dirimunt (quorum effluit alter
 Alter at vsque viget stabilisq. in sacula durat)
 Diuosq. atque homines discludunt limite certo,
 Cancellos, talis nimirum erat hic locus olim,
 At nunc ridiculis contra discrimine nullo
 Cum quisque haud clausis irrumpit ad intima portis,
 Vt mihi tam medio in cœtu ingentiq. corona.
 Stans præco hæc alta videatur dicere voce.*

S. Clemens lib. 2. constit. Apostol. cap. 57. sit solium Episcopi in medio positum, & ex vtroque eius latere, sedeant presbyteri, & adstant diaconi, succincti & expediti, sine multa veste. Et paulo post: Sit autem eorum cura, vt laici in altera parte, ordine, decore, & quiete sedeant. Quare errat Martinus Polonus, qui Bonifacium secundum auctorem facit secernendi clericos a laicis. Theodosius Imperator cum dona, vti solebat, obtulisset, intra sacros cancellos permansit. Moris enim erat vt Imperatores, dum sacris interessent, in sacrario sederent. Quod & canon 69. qui sub Trull. Syn. circumfertur, vbi Balsamon hanc consuetudinem Ambrosij considerans, vel ex assentatione, vel ex ordinis inscitia esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignauit, ante sacrarij cancellos, ita vt populum Imperator, ait Sozomenus, Imperatorem sacerdotes, sedis ordine antecederet. Nam purpura dicebat Ambrosij Imperatores non sacerdotes efficit. Hanc Ambrosij admonitionem excepit lubens Imperator felicissimus, eumq. ordinem vt optimum, tum laudauit, posteaq. confirmauit, idq. inde vsque ad hæc tempora seruetur. Sozomenus lib. 7. hist. Eccles. c. 24. Theodor.

Theodor. lib. 5. cap. 17. Niceph. lib. 12. cap. 41. Paulus diaconus lib. 13. rerum Romanarum. Porro in choro extant sedilia, seu subsellia, quod & S. Clemens indicat dum presbyteros ex utroque latere Episcopi sedere scripsit. S. Athanas. epist. ad solitariam vitam agentes, dolentes commemorat Arrianos, thronum, subsellia, mensam ligneam, tabulas Ecclesiæ Alexandrinæ, &c. Quæ poterant foras elata combussisse ante vestibulum in magna platea, & postea, o quis hæc audiens non fleuerit. Subsellia fidei consueuisse in Ecclesiis, testis est Julianus apostata, qui ut referunt Sozom. l. 5. c. 15. & Nicephor. l. 10. c. 20. Instituerat delubra gentilium, tum apparatus, tum ordine religionis Christianæ adornare. Itaque in idolorum templis, & subsellia, & primarios suggestus fieri curauit.

DE ALTERA PARTE AEDIS

facræ quæ *Nabos* appellatur.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

1. *Nabos in Ecclesiis quid proprie sit.*
2. *Viri a mulieribus in Ecclesiis segregandi.*
3. *Virginum locus, a mulieribus separatus in templis.*
4. *Marie Virgini, inter Virgines, etiam post partum, locus assignatus est.*
5. *Virgines sine matribus ad basilicas martyrum ire eant.*



BXTRA chorum & sacrarium, est locus ad quem patet aditus omnibus fidelibus, quem inquit, S. Maximus de Ecclesiast. mystagogia capit. 3. Græci *Nabos* appellant, quo loco, mulieres a viris segregari, & fecerni vetustissima Ecclesiæ consuetudine receptum fuit. Philo Iudæus de vita contemplat. seu supplicum virtutibus, vitam, moresq. veterum Christianorum depingens: Id commune, inquit, femineum in quod septimo quoque die conueniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum coetibus. Nam mulieres quoque simul auscultant ex more, dumtaxatq. idem institutum sectantur, medicis autem paries a solo surgit tribus quattuorve cubitis, in modum lorice, superiora vsque ad rectum patent: vnde gemina prouenit commoditas, & quod pudori feminei sexus consulatur, & quod verba doctoris exaudiantur facile, absque vllis obstaculis, quæ vocem eius intercipient. S. Clemens. l. 2. constit. apostol. c. 57. ibi: Horum cura laici sedeant, cum omni quiete, & ordine. Mulieres quoque separatim sedeant. S. Aug. lib. 3. de Ciuit. Dei. cap. 28. quia populi confluunt ad Ecclesiis, casta celebritate, honesta vtriusque sexus discretionem, vbi audiant, quam bene hic viuere ad tempus debeant. Idem Aug. l. 22. de Ciuit. Dei. c. 8. In Carthagine Innocentia religiosissima femina, in mamilla cancrum habebat, admonetur in somnijs appropinquante pascha, vt in parte feminarum obseruanti ad baptisterium &c. ecce pars feminarum in Ecclesia. S. Chrysost. hom. 74. in cap. 13. Matth. in opere perfecto: Oportet, inquit, in interiore pariete a mulieribus viros separari. Verum quoniam non vultis, necessarium esse, patres nostri putauerunt ligneis parietibus separari. Audiui autem ego a senioribus non fuisse hos parietes ab initio. S. Cyrillus in præfat. cathecheseon: Si conclusa est Ecclesia, & vos omnes intus, separentur viri, vt sint cum viris, & mulieres cum mulieribus, ne studium salutis sit, perditionis occasio. Etsi enim pulchrum sit institutum proximum assidere proximo, sed tamen procul sint affectiones. Sane vt ait Aug. ad Psal. 50. & lib. hom. 50. hom. 21. Mulier longe, libido prope. Separantur viri & feminae in Ecclesia, ait Amalar. Fortunat. non solum ab osculo carnali, sed etiam situ locali & eod. lib. c. 2. Masculi stant in australi parte, & feminae in boreali, vt ostendatur per fortiores sexum firmiores sanctos constitui, in maioribus tentationibus æstus huius mundi. Ordo Romanus de offic. Missæ. Ipse vero diaconus stat versus ad meridiem ad quam partem viri solent confluere. Plenius Micrologus de Eccles. obseruat. c. 9. & Radulphus Tugren. de canon. obseruat. proposit. 23. Porro Balsamon ad Synod. 6. cap. 69. Latinos arguit, quod apud eos non solum viri laici, sed & mulieres, in sanctum saepe tribunal ingrediuntur & sedent, & alibi ad Synodi Laodic. cap. 44. In latinorum, inquit, religionibus mulieres sine pudore ad altaria quando volunt, ingrediuntur.

Rursus

Rursus inter mulieres in Ecclesia, virgines separantur a corruptis. S. Clemens. d. cap. 57. l. 2. constit. Apostol. Origenes tract. 26. in Matth. commemorat traditionem vsque ad sua tempora peruenisse, quæ talis erat: Quasi sit aliquis in templo, vbi virginibus quidem consistere licebat, & orare Deum. Expertæ autem thorum virilem, non permittebantur in eo consistere. S. Ambros. in lib. ad virginem lapsam capit. 6. Quo modo in actu illo ignominioso tibi non venit in mentem habitus virginitatis, processus in Ecclesiam inter virgineos choros, & paulo post: Nonne vel illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia stabas, recordari debuisti, Virgines tamen sine matribus adire Basilicas martyrum, & Ecclesias prohibet. S. Hieron. epist. ad Lætam de institut. filia.

DE BAPTISTERIO, ET SACRO FONTE

CAPVT DECIMVM NONVM.

1. *Baptizabantur initio Christiani in fluminibus, & fontibus.*
2. *Baptisteria progressu temporis amplissima, in baptisimi honorem instituta.*
3. *Baptisterium, olim vnicum per singulas Ciuitates fiebat.*
4. *Baptisteria antiquitus extra Ecclesias extruebantur.*
5. *Baptisterium lapideum esse debet.*
6. *Constantinianum, seu Lateranense baptisterium describitur.*
6. 7. *Baptisterij ornandi studium, & Religio tempore Constantini.*
8. *Constantinus Roma, in baptisterio Lateranensi baptizatus.*
9. *Baptisteria in Ecclesiis quando fieri ceperunt.*
10. *Baptisterij, & baptisimi varia nomina.*
11. *Baptisteria veneranda sunt, item consecranda.*
12. *Aqua in baptismum parata, nisi urgeat necessitas, consecranda est, & quo demum ritu.*
13. *Aquam in baptisterio consecratam solebant veteres in vasculis accipere, ad spargendum in domibus, vel agris.*
14. *Baptismo conferendo statuta olim duo tempora sollempnia, & quando postea immutari ceperunt.*
15. *Baptizandis dandi sunt susceptores, seu patrini, & deinceps baptisimi ritus, & ceremonia.*
16. *Patrinorum officium, & nomina varia apud Patres, & cur adhibeantur.*
17. *Susceptores a filijs spiritualibus diligendi, contrahuntq. cognationem spiritalem, qua matrimonium impedit.*
18. *Mulieres etiam possunt esse susceptrices, & quot tum viri, tum mulieres suscipere debeant.*
19. *Baptizato, vt olim tempore circumcisionis nomen imponitur, & cur quadam sint nomina Christianis familiaria, magis, quam alia.*
20. *Nominum imponendorum varij ritus.*
21. *Baptizandorum nomina monumentis mandabantur.*
22. *Exorcismus baptizandorum ex antiquissima Ecclesie traditione explicatur, & defenditur.*
23. *Hæreticorum nostri temporis circa exorcismum impudentia.*
24. *Osculandi baptizatum vetus Ecclesia consuetudo nunc exoleuit.*
25. *Sal consecratum in os baptizandi immittitur, & quæ sit huius ceremonie significatio spiritualis.*
26. *Manuum impositio ceremonia est baptisimi, ab ipsis Apostolis deriuata.*
27. *Manus impositio reconciliationem in Ecclesia factam significat.*
28. *Crucis signum baptizandis cur insigendum.*
29. *Baptizandi aures, & nares tanguntur, vt qui spiritu surdi sunt, audiant Dei magnalia, & vite bonum odorem proferant.*
30. *ΠΝΑΞ epheta in Euangelio, quo ad litteram, est adaperire, mystice quid significet.*
31. *Baptizandus abrenunciat Satanae, & quam fuerit antiquis Patribus familiaris iste ritus.*
32. *Cathechismus in adultis antecedit baptismum, & de scrutiniorum sollempnitate olim vsitata.*
33. *Vnctio baptizandorum in pectore, & scapulis.*
34. *Symboli, & fidei professio in baptismo.*
35. *Baptizati paruuli an fidem vere profiteantur, & fideles sint, & obiter paruulorum baptismus defenditur.*
36. *Triplex immersionis ritum cur Ecclesia approbauerit, & quæ sit mysterij huius significatio.*

Immersione

- 37 Immersione ne, an vero asperione utendum sit, & quam necessaria sit in baptismo irina hęc vel aspersio, vel immersio.
- 38 Vnctio baptizati in vertice, ritus est baptismi in Ecclesia usitatus, & ab vnctione confirmationis longe diuersa.
- 39 Vestis candida baptizatorum innocentiam vite denotat, & ministerium resurgens Ecclesia.
- 40 Dominica in Albis vnde nomen acceperit.
- 41 Cereus ardens datur baptizato.
- 42 Igne cur passim utatur Ecclesia in ceremonijs suis.
- 43 Altare cui astat baptizatus, futura vite gloriam designat.
- 44 Baptizandi ritus aliquot antiquati.
- 45 Baptismus non est differendus, & morientium sine baptismo pœna.

I N LITIO, ait Vualfredus Strabo lib. de rebus Ecclesiast. cap. 26. simpliciter in fluuijs, vel fontibus baptizabantur credentes: Christus ipse, vt in nobis idem consecraret lauacrum, in Iordane baptizatus est a Ioanne, Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3. Lydiam in flumine baptizatam legimus ait Act. 16. Eunuchus Cădacijs Reginę, in viā cum venisset ad aquam baptizatur. Act. 8. Custos carceris, cum domo sua in ipso carcere baptizatur. Act. 16. Tum in fluminibus, in fontibus, in domibus, in carceribus, in vijs baptismus administrabatur. Crescente vero ait Strabo rerum progressu, ac temporum, religionis honore, institutionum Ecclesiasticarum, vsque ad plenitudinem, decus creuit, creuit & huius mystici lauacri gradatim in maius celebratio. Itaque baptisteria amplissima instituta fuere, in quibus, statim sollempnibus ceremonijs, presbyteri sacramentum fidei exhiberent. Antiquitus vnum tantum per singulas vrbes fontem, siue locum, quem baptisterium appellabant, prope maiorem Ciuitatis Basilicam, maiores nostri condiderunt, quod ad hęc vsque tempora obseruatum Pisis, Florentiæ, Bononię, Parmę, & alijs plerisque Italię vrbibus intueri licet, in quo vno tingebantur iuuenes, senes, diuites, & pauperes. Quamobrem Gregor. Nazian, orat. 40. in sanctum baptismum monebat diuites patritios, & dominos, ne alienum dignitate sua ducerent, vna cum pauperibus, ignobilibus, & seruis baptizari: secernebantur tamen feminę a viris, quod ex S. Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. cap. 13. colligere licet. Ibi admonebatur in somnis appropinquante Pascha, vt in parte feminarum obseruanti ad baptisterium, quęcumque illi baptizata primitus accurrisset, &c. Ea vero baptisteria moris erat extra basilicas extruere, quod tum ex baptisterio Lateranen. quod prope Basilicam Lateran. extat, tum ex S. Cyrillo cathechesei mistagogica prima, ibi: Primum ingressi estis in porticum baptisterij. Gregor. Turon. lib. 5. hist. cap. 11. ibi: Ad baptisterium foras muraneum egressus est. Paulin. epist. 12. ad Seuerum. ibi: Tu vero etiam baptisterium Basilicis duabus interpositum condidisti: & Bibliothecario in vita Papę Adriani, dum ait Carolum Magnum Francorum Regem, cum Clero, & Populo Romano, sabato Sancto stetit in Ecclesia Lateranensi quousque in baptisterio Sacramentum baptismatis Pontifex conferret, necnon ex Concil. Antioch. circa tempora Deusedit Papę. can. 14. quo vetatur sepelire in baptisterio, colligere licet. Etsi Prudentius contra Symmachum, baptisterium intra ædes Lateranas fuisse innuat.

*Aut Vaticano tumultum sub monte frequentat,
Quo cinis ille latet, genitoris amabilis obfes
Cœtibus, aut magnis Lateranas currit ad ades
Vnde sacrum referant regali chrisimate signum.*

- 5 Verum Prudent. baptisterium Lateranas ædes appellat, quia prope Lateranam ædem conditum fuerat. Ad hęc baptisterium lapideum esse debet, vt in Concil. Ilerdensi apud Bruhard. lib. 4. cap. 15. Gratian. in can. omnis presbyter de consecrat. dist. 4. Durant. in rationali. capit. 82. lib. 6. Baptisterium illud Lateranense ex lapide porphyretico ex omni parte cooptum, extrinsecus, foris, ac desuper Constantinus extrui curauerat. Huius pars illa, quę aquam continet, ex argento erat, in medio baptisterij columna porphyretica posita, erat, in qua aurea phiala 50. librarum balsamo plena, in labro frontis stabat agnus auri purissimi, vnde aqua fundebatur: ad dexteram agni erat statua Saluatoris, argenti purissimi 170. librarum. Ad læuam, signum Ioannis Baptistę argenteum, librarum 100. in cuius manu erat Index, Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Erant & septem cerui argentei fundentes aquam, singuli, librarum 80. Damasus in lib. Pontif. in vita Siluestri.

Eccc

Ecce quanta cura, & sollicitudine Religionis nostrę Principes, sacro fontes, seu Baptisteria exornabant. Moris etiam erat aureas, & argenteas columbas in figura sancti Spiritus supra diuinos fontes suspensas collocare, vt apparet ex Synod. 2. Nicæna. Act. 5. Onuphrius de præcipuis Vrbis Romę Basilicis, cap. de Baptisterio, ornamenta Lateranens. baptisterij, necnon quę in eo a summis Pontificibus instaurata deinde fuerant, & quam in formam hodie baptisterium illud redactum fuerit pluribus enarrat. Constantinum in eo baptisterio baptizatum apparet, tum ex lib. pontif. in vita Siluestri, ibi: Fontem sanctum, vbi baptizatus est Augustus Constant. ex lapide porphyretico: tum ex Theophane, qui ante septingentos annos historiam ab orbe condito conscripsit τέτα τὰ ἄγρια, ὡς φασί τινες, Κωνσταντίνος ὁ μέγας σὺν Κρίστω τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐν Ρώμῃ ὑπὸ Σουλβέριου Ἐβαπτίσθη, ὡς οἱ κατὰ τὴν παροισυτέρων Ρώμην μέχρι σήμερον, τὸν Βαπτιστῆρα ἔχουσιν εἰς μαρτυρίαν, ὅτι ὑπὸ Σουλβέριου ἐν Ρώμῃ Ἐβαπτίσθη μετὰ τὴν ἀνάβρεσιν τῶν τυράννων. Hoc anno, vt nonnulli ferunt, Constantinus Magnus cum Crispo filio Romę a Siluestro baptizatus est, quemadmodum hi, qui Romę habitant vsque ad hanc diem, in testimonium ostendunt locum baptismi, siue baptisterium, quod Romę sit a Siluestro baptizatus post sublatos tyrannos. Post hęc: Baptisteria in Ecclesijs fieri ceperunt prope πρόναον, id est templi vestibulum. Baptisterium, in quo Clodoueus a S. Remigio sacro rore tinctus est, in Ecclesia compositum, testatur Greg. Turon. lib. 2. histor. cap. 21. Porro baptisterium S. Dionysius de Eccles. hierarch. τὴν μητέρα τῆς ἰσοθεσίας matrem adoptionis vocat, Socrates lib. 7. histor. cap. 17. Zonaras in Leone Tauro, ac nonnulli alij κολυμβήθραν appellant. S. Ambros. Damas. & alij complures ex sacris patribus, fontem sacrum, & regenerationis sacrarium appellatur, & βαπτιστήριον apud Georgium Patriarcham Alexandr. in vita S. Chrysost. Idq. apposite. Baptismus enim illuminatio appellatur ad Hebræos capit. 6. Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati. Et cap. 10. Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen sustinistis. Immo, vt inquit Gregor. Nazianz. orat. in sanctum baptismum, alias illuminationes sanctitate superat. Cultu vero, & honore baptisteria veneranda docet Anast. epist. ad orthodoxos in persecutione, his verbis: Vbi enim apud priscos talis tragædia, aut quid simile in bello, & persecutione factum est vniquam siquidem, & Ecclesijs, & baptisterijs flammę iniectæ: magnus igitur luctus, & paulo post in sacrum baptisterium: Proh superi, Christicidas Iudæos, & atheos ethnicos, nulla cum reuerentia ingressos, eam verborum, factorumq. turpitudinem, nudatis corporibus designare. Baptisteria veneranda sunt, quia in his, ait Gregor. Alex. Patriarcha in vita Chrysostomi, condonatur peccatorum remissio. Plane baptisteria consecrantur. Sidonius apollinaris lib. 4. epist. 15. ibi: Nam baptisterium, quod olim fabricamini, scribitis iam posse consecrari: agit autem ibi de baptisterio Ruthenens. Ritus autem dedicandi baptisteria, exaratur in libro, qui ordo Romanus inscribitur. Ceterum aqua ad baptismum parata in baptisterijs consecrari, & sanctificari debet, addito oleo vnctionis mysticę. S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. capit. 2. par. 2. Pontifex, inquit, aquas sancta prece, atque inuocatione sanctificat, terq. in eas ad Crucis effigiem, sanctissimum fundit oleum. S. Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. Benedicimus, ait, aquam baptismatis: ex qua autem Scriptura, nonne a tacita, & secreta traditione? S. Cyprianus. lib. 1. ep. 12. Oportet vero mundari, & sanctificari aquam prius a sacerdote, vt possit baptismum suo peccata hominis, qui baptizatur, abluere. S. Ambros. de ijs, qui inuocantur mysterijs cap. 3. Aqua sine prædicatione Dominicę Crucis ad nullos vsus futurę salutis est. Cum vero salutaris fuerit Crucis mysterio consecrata, tunc ad vsus spiritualis lauacri, & salutaris poculi temperatur: sicut ergo in illum fontem Marath. Exod. 15. Moyses misit lignum, hoc est propheta, & in hunc fontem sacerdos prædicationem Dominicę Crucis mittit, & aqua fit dulcis ad gratiam. Item lib. 1. de sacramentis cap. 5. Quare prior Christus descendit, postea spiritus cum forma baptismatis, & vsus hoc habeat, vt ante fons consecratur, & tunc descendat, qui baptizandus est: Nam vbi primum ingreditur sacerdos, exorcismum facit, secundo super creaturam aquę inuocationem, postea, & precem defert, vt sanctificetur foris, & adsit præsentia Trinitatis æternę: Christus autem ante descendit, &c. canon. per aquam de consecrat. dist. 4. Rursus lib. 2. cap. 6. Venit sacerdos, precem dicit &c. In ordine Ambrosianę Missę extat oratio S. Ambrosij in benedictione Fontium. S. August. ex dictis Basilij de Spiritu sancto, can. Ecclesiasticarum dist. 11. Benedicimus fontem baptismatis, oleo vnctionis. Et ferm. 181. de tempore cap. 3. Hoc enim Crucis signo consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis. Item ferm. 19. de sanctis, huius

huius Crucis mysterio rudes catechizantur, eodem mysterio fons regenerationis consecratur. Et de utilitate poenitentiae cap. 1. Baptismus est, sed quia baptismus, id est aqua salutis, non est salutis nisi Christi nomine consecrata, cruce ipsius aqua signatur. August. item libro 6. de baptismo contra Donatistas, ait, in Ecclesia aquam sacerdotis prece sanctificari. Et libro 6. contra Iulianum Pelagianum, capitulo 8. Signo Crucis consecratur vnda baptismatis. Victor Vricensis libro secundo, de persecutione Vuandalica, de Eugenio Episcopo agens, & illa hora, qua benedicit fontem, ut baptizentur accedentes ad fidem: haec tamen non obtinent quoties maxima premit necessitas, tunc enim etiam aqua non consecrata, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, siue in stagno, baptizari licet. Ex decreto Victoris apud Damasum in Pontificali, tomo primo Concil. Consecrationis vero aquae ritum enarrant, Albinus Flaccus de diuinis officiis cap. de Sabbato Paschae, Amalar. Fortunat. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 25. solebant veteres, ut testantur Gregor. lib. sacramentorum, ordo Romanus, & Albinus Flaccus de Sabbato Paschae, de aqua in baptisterio consecrata, in vasculis accipere, ad spargendum in domibus suis, siue agris. Quod etiam hodie passim fieri solet: Initio baptismi non erant definita, distinctaque tempora. Itaque parentibus quocumque tempore conferri solebat. S. Ambros. ad cap. 4. epist. ad Ephes. Tandem patres duo statuta, & sollempnia baptismi tempora definierunt, Paschae scilicet, & Pentecostes, extra quae tempora non licebat baptizare, nisi adesset mortis & naufragij periculum, vel vrgeret persecutio. Tertullianus libro de baptismo, capit. 19. & de corona milit. capit. 3. vbi Rhenanus, Ciricius Papa, epist. ad Himerium Tarraconensem can. non ratione, de consecrat. dist. 4. S. Hieron. ad cap. 14. Zachar. Aquas viuientes multi ad baptismum referunt, quae in vere, & aestate, hoc est in Pascha, & Pentecoste sitientibus largiendae sunt: & epist. 61. ad Pammachium. cap. 16. An non tu scindis Ecclesiam, qui praecipisti Bethleem presbyteris suis, ne competentibus nostris, in Pascha, baptismum traderet, & postea. Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses, circa dies Pentecostes, cum obscurato Sole, omnis mundus iam iamq. venturum iudicem formidaret, quadraginta diuersae aetatis & sexus, presbyteris tuis obtulimus baptizandos. Item Leo Magnus epist. 4. ad vniuersos Episcopos per Siciliam constitutos canon. cum duo tempora, de consecrat. dist. 4. & epist. 68. ad vniuersos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, his verbis: Admonemus igitur, & non sine periculo status eorum, qui haec faciunt, protestamur, ut ab hac praesumptione cessetur, & summam hanc, potentissimamq. Dei gratiam, non nisi in Paschali, & Pentecostes die desiderantibus, & credentibus conferatis, manente quolibet tempore grauius necessitatum, ac periculorum consideratione, secundum quam oporteat subuenire, ne conditione mortali coarctata, infirmitas necessaria liberatione fraudetur. Et paulo post: Propter multa pericula sit cauendum, ne cuiquam aut in desperata aegritudine, aut in hostilitatis incurfu, aut in timore naufragij per sacerdotem Domini regeneratio denegetur. Gelasius item epist. ad vniuersos Episcopos per Lucaniam, &c. can. 12. can. baptizandi de consecrat. dist. 4. Concilium Gerunden. cap. 4. cap. de catechumenis, de consecrat. dist. 4. Alcuinus de Ecclesiast. offic. cap. de baptismo Domini, & cap. de Sabbato Sancto Paschae. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 26. magister Sententiarum in 4. dist. 6. vbi Thom. Bonauentura, & ceteri. Thomas 3. parte quaest. 66. hunc morem vsque ad tempora Caroli Magni, & Ludouici pij conseruatum indicant. Eorum Leges apud Ansegisum Abbatem. Opt. Friginferensis lib. 6. cap. 1. Gregor. Turonen. lib. 5. cap. 11. Aymon. lib. 3. de gestis Francorum. cap. 49. plene, & luculenter Briffonius ad l. Dominico. De spectaculis. In Cod. Theodosiano plane iisdem temporibus quibus baptismus conferebatur, fons consecratur. Tandem quocumque tempore, etiam si nulla premit necessitas, baptismus passim conferri coepit: abrogata ea consuetudine, qua baptizarentantum licebat in Pascha, & Pentecoste, propter communis vitae pericula: Plerique enim absque baptismo vita fugebantur. Quam rationem consideraſſe videtur Socrates lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 19. Dum refert, in Thessalia complures obijſſe absque baptismo, quod diebus Paschae dumtaxat baptismata fieri consueuissent. Deinde, aucta fidelium multitudine, necesse fuit baptismum quotidie conferri. Rupert. lib. 4. de diuin. offic. cap. 18. Nihilominus aqua baptismi in Pascha, & Pentecoste consecratur, quae tamen habilis est, & sanctificata ad baptizandum per totum annum. De columna cerea quae benedicatur, & deinde ad fontem baptismi deferatur, extat Prudentij hymnus. Nos plura in Sabbato sancti Paschae. Ceterum cum de baptisterio agamus, extraneum non erit, de ritibus, quos Ecclesia

Ecclesia Catholica in baptismo ab ipsis Apostolis, & religionis nostrae primarijs acceptos colit, & seruat, accurate differere, cum praesertim haeretici huius saeculi eos repudient, & irrideant. Prima itaque caeremonia est, ut qui baptizandus est, habeat susceptores, quod ab ipso Apostolorum tempore vsu receptum Dionys. Areopag. cap. de baptismo, & Tertull. de coron. milit. cap. 3. aperte indicant. Hos susceptores Dionys. *αιδουχοι* vocat, hoc est, fidei iutores. Iustinus offerentes, quaest. 56. ad orthox. Tertull. de baptismo. cap. 18. Sponsores. S. August. in serm. 116. 163. & 215. fidei iutores, alibi epist. 23. ad Bonifac. fidei doctores, quo loci legendum Danesius credebat fidei datores: Ego communem lectionem probabo. Susceptores enim apposite fidei Doctores nominantur, quia symbolum, & orationem Dominicam, atque ita fidem, filios quos de fonte susceperunt docere iubentur. S. August. serm. 215. de tempore can. Vos ante omnia, de consecrat. dist. 4. Idem August. de rectitudine Cathol. conuersi. Quos, inquit, ex baptismo suscepistis, docete & castigare. Susceptus quoque (vt ex Dionysio de Ecclesiast. hierarchia apparet) respondebat, iuxta quod a suo susceptore fuerat edoctus. In Synod. Moguntiana. can. 47. iubentur compatres spirituales filios suos catholice instruere. Higinus Papa susceptores appellat paternos, can. in cathichismo de consecrat. dist. 4. Alcuinus quoque de diuin. offic. cap. de Sabbato in albis. Iuo serm. de sacramento dedicationis in principio. Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 26. Patrini, ait Hugo libro 6. 2. parte, de sacrament. capitulo 12. illi vocantur, qui paruulos ad baptismum offerunt, & pro ipsis respondendo, quasi fidei iutores ad Deum fiunt. Propterea hi patrini vocantur, quia dum regenerandos ad vitam nouam offerunt, quodam modo adiutores fiunt ipsius regenerationis nouae. Adhibentur autem patrini, seu susceptores tribus potissimum rationibus. Prima, quo Ecclesia de suscepto securior sit, acceptis fidei iutoribus. Susceptores enim, vt iam docui, fidei iutores & sponsores appellantur. Altera, vt nullus sit Christianorum, qui non habeat pedagogum. Susceptor siquidem, vt iam ex August. dixi, susceptos erudire tenetur. Debet, ait Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 26. Spiritalis pater, vel mater ei, quem de fonte regenerationis suscepit, cum ad aetatem peruenerit, insinuare confessionem quam pro eo fecit, vt qui aliena confessione, sicut paralyticus fide portantium, meruit a peccatorum solui languore, studeat saluti praestita viuere non indigne, & sua impleat executione, quod illorum confessus est ore. Magnum sane onus atque munus susceptorum *αιδουχοι*, ait Aelianus metropolitanus Cretae in responsis ad Dionysium monachum, de diuersis eius interrogation. libro 3. iuris Orient. *ει ακριβως ηδεσαν, τατα μεγαλα Διονυσια διαρισμενα, και η δ η την μεριμναν και φυλακην απαιτουσι, περι τον εβα πινδ μαππης κολυμβησας αραι θυομιθμον, & υπο τατων αναδηχμιθμον, χρονη γδ αι προς τινε απλυτωρ & θερμωτερον προς καλε μεροι.* Susceptores, si nossent, quae a magno Dionysio definita sunt, & quatenus curam, & sollicitudinem habere debent eius, qui per spiritale lauacrum regeneratur, & ab illis suscipitur, vix quidem ad susceptorum munus prodirent, etiam ardentius accersiti, seu inuitati. Tertia, vt expressius referatur generatio spiritualis, adhibitis spiritualibus parentibus. Patres enim dicuntur, & suscepti filij. S. August. serm. 116. ibi: Et ideo, tam illi qui excipiunt, quam qui excipiuntur, id est, tam patres, quam filij. Quare ait Nicolaus Papa ad consultationem Bulgarorum. cap. 2. ita diligere debet homo eum, qui se suscepit ex sacro fonte, sicut patrem: quinimmo quanto praestantior est spiritus carne, tanto magis spiritualis pater in omnibus est a spiritali filio diligendus. Et postea: Est tamen alia inter eos gratuita, & sancta communio, quae non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritalis proximitas. Vnde inter eos non potest esse coniugale connubium, sicut nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij sunt, venerandae Romanae leges matrimonium contrahi permittunt, &c. quod plenius vetitum legimus in Concilio Nicano can. 21. & canon. 23. apud Turianum, & Alfonso Pisanum, & canon. 53. Et canon. 69. ex Trullanis, qui sub sextae Synodi nomine circumferuntur. Vbi Balsamon, & Maguntia canon. 56. can. peruenit. 35. quaest. 1. Zonaras in Nicephoro Phoca scriptum reliquit, Patriarcham Constantinopolitanum Nicephorum omni consecrato solo prohibuisse, quod Theophanonem duxisset, cuius liberos e sacro baptismo suscepit. Hinc susceptores non improprie compatres appellantur, quasi simul patres, quemadmodum competentes, confidentes, & concurrentes apud August. serm. 116. plura de susceptorum necessitate. S. Thom. 3. parte, quaest. 47. art. 7. de mulieribus, an susceptrices esse queant, nonnulli dubitarunt. Verum S. August. serm. 163. cuius initium est: Pascha Christi, aperte indicat, feminas de sacro fonte filios spiritaliter excipere, his verbis: Quicumque viri, quaecumque mulieres de

sacro fonte filios spiritaliter exceperunt, cognoscant se pro ipsis apud Deum fideiuffores
 extitisse, d. canon. Vos ante, de consecr. dist. 4. Urbanus 2. in can. quod autem 30. q. 4. Quod
 autem vxor cum marito in baptisate simul non debeat suscipere puerum, nulla auctori-
 tate reperitur prohibitum: sed vt puritas spiritalis paternitatis ab omni labe, & infamia
 conferretur immunis, dignum esse decernimus, vt vtrique insimul ad hoc aspirare minime
 præsumant. Ecce mulieres non prohibentur suscipere nisi simul cum marito, quod tamen
 hodie antiquatum est. Vualfrid. Strabo d. cap. 28. patrinarum, & matrinarum meminit his
 verbis: Ex hac igitur occasione inuentum est, vt patrini, vel matrinæ adhibeantur susce-
 pturi paruulos de lauacro. Hoc amplius decisum extat in canon. non plures de consecrat.
 dist. 4. cap. Quamuis, de cognat. spirit. in 6. & in Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. volens itaque
 sancta Synodus huic incommodo prouidere, & a cognationis spiritalis impedimento in-
 cipiens, statuit, vt vnus tantum siue vir, siue mulier, iuxta sacrorum canonum instituta,
 vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant. Immo in Concil. Nicæno
 can. 22. apud Turianum, & Pisanum, viri prohibentur tenere in baptismo feminas, & mulie-
 res tenere mares, sed potius ait canon, mulieres teneant feminas, & viri teneant mares. Se-
 cunda baptisati ceremonia versatur in nominis datione. Sicut enim in circumcisione nomi-
 na dabantur, ita in noua lege baptizando ante fores Ecclesiæ oblati, sacerdos nomen eius
 rogat, & suscipitur. Dionys. lib. Ecclesiast. hierarch. Susceptus vero nomen dare debet, si adul-
 tus sit. In Concil. Carthag. 4. c. 85. sancitum fuit baptizandos nomen suum dare. Bruch. lib.
 3. decret. c. 1. can. baptizandi 2. de consecr. dist. 2. S. Clemens epist. 3. Accedat qui baptismum
 vult ad sacerdotem, & nomen suum det. S. Aug. lib. de cura pro mortuis agenda: Pascha iam ap-
 propinquabat, dedit nomen inter alios competentes. Et lib. vnico de fide, & operibus, hoc fit
 multo diligentius, & instantius his diebus quibus competentes vocantur, cum ad percipiend-
 um baptismum sua nomina iam dederunt. Et epist. 155. Et te nomen dedisse inter compe-
 tentes, vel daturum esse, iam iamq. cognoscere, &c. Dum vero paruuli infantes baptizan-
 tur, nomen dare nequeunt, quare hæc cura incumbit susceptoris, qui ab ipso Ecclesiæ
 exordio, propter suam in Apostolos propensionem, Apostolorum nomina baptizandis im-
 ponebant. Nicephorus lib. 6. cap. 22. Pauli, & Petri, ac Ioannis nomina fidelium liberi crebro
 ferunt, ait Euseb. lib. 7. Ecclesiast. histor. cap. 20. Quandoque prophetarum quoque nomina,
 pro nominibus idolorum, quæ forte erant a parentibus ipsis imposta, adulti baptismum
 suscepturi sibi asciscebant. Euseb. lib. 8. hist. Eccles. cap. 21. In Synodo Nicæna canon. 30. veti-
 tum diligenter legimus, ne fideles nomina Gentilium filijs suis imponant. Baptizando-
 rum nomina recitabantur in Ecclesia, vt est in ord. Rom. & in sacramentario. S. Greg. dum
 agit de ordine ad cathecumenum faciendum. Consignabantur etiam nomina litteris, &
 monumentis mandabantur, ex conc. apud S. Medard. can. legum 2. quæst. 1. Cyrill. cathec. 1.
 de baptismo loquens: Intraisti eo loco dignum habitus, nomen tuum inscriptum est. Mo-
 ris erat apud Rom. natos liberos profiteri nomine imposito. Huius professionis complures
 auctores meminerunt, Capitol. in Antonino philosopho, & in Gordiano Halicarnassensibus lib.
 4. Iuuenal. Satyr. 9. leges quoque Iurifconsultorum, ac Imperatorum eiusdem professionis
 mentionem faciunt. l. fin. ff. de probat. & l. 1. C. si minor se maiorem dixerit. Extat quo-
 que in eadem sententiam, edictum Francisci Gall. Regis. Verum ea professio nominis
 alio nomine, alioq. fine, fieri consuevit. Professio enim nominis seu datio in baptismo
 fieri solet, quod debeant qui baptizantur, cum abrenunciatione prioris dominationis, Deo
 dare nomen suum, & cathalogo eius militiæ inscribi. Tertio in baptismo adhibetur exor-
 cismus, qui verbo, & sufflatione peragitur, idq. ex antiquissima, & catholica Ecclesiæ
 traditione S. August. de Ecclesiast. dogmat. capit. 31. Illud etiam, quod circa baptizandos
 in vniuerso mundo sancta Ecclesia vniiformiter agit, non otioso contemplamus intuitu,
 cum siue paruuli, siue iuuenes ad regenerationis veniunt sacramentum, non prius fontem
 vitæ adeant, quam exorcismis, & exsufflationibus clericorum, spiritus ab eis immundus
 abigatur. Et de nuptijs & concupiscent. libro 2. capitulo 17. & 18. Accusat, inquit, Eccle-
 siam toto orbe diffusam, in qua vbique omnes baptizandi infantuli non ob aliud exsufflan-
 tur, nisi vt ab eis princeps mundi mittatur foras, a quo necesse est vt vasa iræ possideantur,
 cum ex Adam nascantur. Et paulo post: Contra istam fundatissimam veniens veritatem,
 ne vniuersam Christi Ecclesiam oppugnare videatur, quasi me vnum alloquitur. Et libro 5.
 hypognosticon ad finem: Paruuli propterea cathechizantur, & exsufflantur, ac bapti-
 zantur, vt princeps mundi huius foras mittatur: Aut si non illis diabolus exsufflatur,
 cuius

cuius opere, id est, vitio peccati per Adam tenentur obnoxij. Et paulo post: Exsufflatur ergo
 & increpatur in eis in catholica Ecclesia opus diaboli, nõ quod ipsi sint, sed quod in ipsis est:
 & lib. 6. contra Iulianum Pelagia. c. 2. Verum est quod antiquitus veraci fide catholica præ-
 dicatur, & creditur per Ecclesiam totã, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exsufflaret, si
 non eos de potestate tenebrarum, & a principe mortis erueret exorcismos, & insufflationes
 rerum occultarum, secreta signa appellant plura in eandem sententiã. Idem Aug. de gratia
 Christi, & peccato origin. c. 40. & serm. 10. de verbis Apost. Longe ante Aug. exsufflationis in
 baptismo vsus in Ecclesia fuisse, ex Dionys. in Ecclesiast. hierarch. c. ibi: Ac insufflare illum ter
 Satanã iubet, & præterea abrenunciationem profiteri. Tertul. lib. 2. ad vxor. c. 5. Cum aliquid
 immundũ flatu expuis. S. Cypr. lib. 4. ep. 7. enarrans verba Pauli ad Cor. 10. Et omnes in Moy-
 se baptizati sunt, in nube, & in mari, & postea: Hæc autẽ omnia figuræ nostræ fuerunt, quod
 hodie etiã geritur, vt per exorcistas voce humana, & potestate diuina flagelleretur, & vratur,
 & torqueatur diabolus. S. Greg. Nazianz. orat. 40. in sanctum baptismum: Ne exorcismi medici-
 nam respuas. Synod. quoque Constantinop. sub Theodosio exorcismi, & insufflationis memi-
 nit, his verbis: Secundo cathecumenus, deinde tertio exorcizamus, siue adiuramus ipsos, ter
 simul in faciem eorum, & aures insufflando. S. Chrysof. hom. de Adam, & Eva: Non prius in
 vniuerso mũdo fontem vitæ ingrediemur, siue adulti, siue infantuli baptizandi, quã exorcis-
 mis, & insufflationibus clericorũ spiritus ab eis immundus abigatur. Quam Chrysof. senten-
 tiam Cælestinus pont. in ep. ad Gallic. Episcopos iisdem verbis commemorat. Opat. Mileuit.
 lib. 4. contra Parmenia. loquens de excludendo diabolo ante salutare lauacrum: Hoc, inquit,
 exorcismus operatur, per quem spiritus immundus depellitur, & fugatur, & postea: Vos bap-
 tizando exorcizatis hominem fidelem, & dicitis: Maledicte exi foras. Quibus palam fit, vsus
 hunc tanquam Apostolicum per vniuersam Christi Ecclesiam vniiformiter obseruari. Quod
 & Cælestinus, qui paulo post Aug. tempora floruit, ad omnes Gallic. Episcopos c. 2. Idẽ Aug.
 lib. 2. de nuptijs, & concupiscent. damnat Iulianum, quod Cyprianum, & Ambr. Manichæos
 audebat dicere, & antiquissimam Ecclesiæ traditionem isto nefario crimine aspergere, qua
 exorcizantur, & exsufflantur paruuli, vt in regnum, a potestate diaboli, & angelorum eius
 eruti, transferantur. Denique exorcismi, & insufflationis meminit. S. Seuerus Patriar. Alex.
 in lib. de ritibus baptisati, vbi & formulas exarauit, plura de exorcismo in baptismo. Cyril-
 lus Ierosolymit. cathecesi prima, & S. Tho. 3. part. q. 71. art. 2. & 3. & ad 4. sent. dist. 6. Qui-
 bus insignis Caluinistarum impudentia detegitur, qui exorcismi, & exsufflationis in bap-
 tismo morem, ab ipsis Apostolis, vsque ad hæc tempora in vniuerso mundo, vna voce, vnaq.
 mente conseruatum, irridit: Iulianum illum impurum apostatam imitantes, qui auctore
 Greg. Nazianz. orat. 4. aduersus Iulianum, sufflationes symbolicas in baptismo in calumniã
 & risum trahebat τὰς δὲ inquit, φουσίους τὸ ἀντιφουσίους ἀς ὁ θαυμαστος ἐκείνος καὶ τὰ ἡμέτερα
 διασύρων τοῖς γρηγόριοις ἀντιπεδέειν το τὸ ἐπιβώμιον πῦρ ἀπάντων πᾶς λόγου θήσομεν. Itaque ait Elias
 Creten. Iulianus nostra irridere tentans, ridiculum se præbuit, quod ad Caluinistas, & Hu-
 gonotos referri potest: dum enim ipsi apud plebẽ, & imperitos ac deliros, necnon apud fa-
 mosos latrones sese ostentant, apud eruditos & pios homines se ridiculos exhibent. Quarto,
 post exsufflationem antiquitus dabat sacerdos pacem cum osculo, hoc est, sacerdos oscula-
 batur baptizandum, dicens: Pax tibi. Quod ex S. Cypr. libro 3. epist. 8. colligere licet. Illius
 hæc sunt verba: Nam etsi adhuc infans a partu nouus est, non ita est tamen vt quique illum
 in gratia danda, atque in pace facienda, horrere debeat osculari, quod in osculo infantis
 vniuersum nostrum, pro sua religione, ipsas adhuc recentes Dei manus debeat cogitare,
 quas in homine modo formato, & recens nato, quodam modo exosculamur, quando, id
 quod Deus fecit, amplectimur. Verum mos iste osculandi infantem in desuetudinem
 abiit. Quinto benedicatur sal, illudq. consecratum in os baptizandi datur, vt per sal ty-
 picum conditus, iniquitatis foetore careat, id est, carere significetur. Ad hanc ceremo-
 niam videtur allusisse Orig. hom. 6. in Ezechiel. vbi cathecumenos alloquitur, hortaturq.
 vt se præparent ad hoc, vt fiant sal Domini, & non baptizentur quemadmodum Simon
 ille magus: neque in aquis terrenæ Ierusalem, quæ non fuerat sale salita, neque digna
 sale Dei. Quibus verbis innuit salem habere spiritalem significationem. S. August. libro
 primo confess. capitulo 11. Signabar iam signo eius, & condiebar eius sale. Beda quo-
 que in Esdr. a m libro secundo, capitulo 9. Cathecumenos initiari sale sapientiæ, diserte pro-
 fitetur canon. sal de consecrat. distinctione quarta. Ritus iste veteris Ecclesiæ consuetudine
 confirmatur. Cathecumenis enim adultis in die Paschæ, loco Eucharistiæ sal consecratum
 dabatur

dabatur can. 5. Concil. 3. Carthaginen. cui S. Aug. interfuit, ad significandum, eos nondum capaces esse Eucharistiae, sed adhuc debere in sapientia proficere. Plura de hoc ritu immittendi sal in os baptizandi Isidor. lib. 2. de Ecclesiast. offi. c. 20. Alcuinus de diuinis offi. de Sabbato sancto Paschae. Rabanus Maurus lib. de instit. cleric. cap. 27. can. Exhinc de consecrat. dist. 4. Iuo Carnoten. serm. de sacrament. neophit. Petrus Damian. epist. 15. c. 20. Benedictionem
26 falis eandem, qua nunc vtimur, legimus in ordine Rom. & sacrament. S. Gregorij. Sexto sacerdos capiti baptizandi manum imponit. Quod & Apostolorum tempore fieri auctor est S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. *Ἐποσειροτήσας εἰ οὐτω πολιτεύσαντο μὲν ἢ ὁμολογήσαν ἑπιτάδιον αὐτῶν τῆ κεφαλῆ ἢ χεῖρας, Ἐσφραγισάμενος ἀπογράψαμι καλεῖται τοῖς ἱερεῦσι τὸν ἀνδρα Ἐ τὸν ἀνδρόγον.* Sci-
ficatur an ita velit deinceps viuere, quod vbi ille pollicitus fuerit, imponit capiti eius manum, consignansq. illum, sacerdotibus mandat, vt virum susceptoremq. describant. Et paulo post: *Ἐ πάλιν αὐτῶν εἰς ὁμολογήσαντος ἐπὶ τὸν ἄμφοτερον, εὐλογεῖ Ἐ χειροδοτεῖ.* Et rursus: Trina confessione peracta, orans benedicit, eiq. manus imponit. Huiusce impositionis manus meminit Vincentius a Thibari in concil. Carthaginen. cui S. Cypr. interfuit sentent. 37. Habemus itaque regulam virtutis, quam Dominus præcepto diuino mandauit Apostolis, dicens: *Itē* in nomine meo, manum imponite: daemonia expellite, & paulo post: Ergo primo, per manus impositionem in exorcismo, secundo, per baptismi regenerationem. Ista vero manus impositio significabat reconciliationem, qua qui fuerat extra Ecclesiam, in Ecclesia, in gratia Ecclesiae redeat. Reconciliatio enim, vt in absolutione eius qui peccata confessus est, vel fuerat excommunicatus, per quandam manuum impositionem, fieri solet. Septimo crucis signum in fronte catechumeni infigitur. S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. c. iam citato, his verbis: Imponit eius capiti manum, consignansq. illum. S. Cypr. epist. 56. muniatur frons, vt signum Dei incolome seruetur. Et lib. de passione Christi circa finē: Denique quicumque sint sacramentorum ministri, qualescumque sint manus, quae vel mergunt accedentes ad baptismum, vel vngunt qualescumque peccus, de quo sacra exeunt verba, operationis auctoritas, in figura Crucis, omnibus sacramentis largitur effectū. Idem Cypr. serm. de lapsis, circa principium, martyrum constantiam tribuere videtur quod frons, cum signo Dei (hoc est Crucis signo) pura diaboli coronam ferre non potuit. Et de vnitate Ecclesiae loquens, de rege Ozia ait, cum leprae varietate in fronte maculatum, eaq. parte corporis notatum, offenso Domino: vbi signantur qui Dominum promerentur. S. Basil. de Spiritu sancto cap. 27. inter consuetudines quae non scripto prodita sunt, enumerat eam, quae signo Crucis eos, qui spem collocant in Christum, signamus. Et paulo post: Consecramus autem aquam baptismatis, & oleum vnctionis: praeterea eum qui baptismum accipit: idq. ait Basil. a tacita secretaq. traditione. S. Aug. de symbolo ad catechumenos cap. 1. Nondum quidem adhuc per sacrum baptismum renati estis, sed per crucis signum in vtero sanctae matris Ecclesiae iam concepti estis. Idem Aug. ad psal. 30. can. 3. Non sine causa signum suum Christus in fronte nobis figi voluit, tanquam in sede pudoris, ne Christo opprobrio Christianus erubescat. Et serm. 181. de temp. cap. 3. crucis signo, per manus impositionem, baptizati dona gratiarum accipiunt. Plura de Crucis signo in baptismo Aug. hom. 18. in Apocal. Ioan. Chryso. contra gentiles, & in orat. quod Christus est Deus. Hieronym. epist. ad Heliodorū. Cyrillus Ierosol. cathec.
29 4. Octauo sacerdos tangit accedentis ad baptismum nares, & aures cum digito, & sputo, dicens ad aurem dextram: Epheta quod est adaperire, ad nares: In odorem suauitatis, ad aurem sinistram: Tu effugare diabole, vt in sacramentar. S. Greg. Ceremoniam istam in Ecclesia vetustissimā probat S. Ambr. de ijs qui initiatur mysterijs c. 1. Aperite ergo aures, & bonū odorem vitae aeternae, in allato vobis munere sacramentorum, carpite, quod vobis significamus, cum apertionis celebrantes mysteriū, diceremus Epheta, quod est adaperire. Et paulo post: Hoc mysteriū celebravit in Euāgelio Christus, sicut legimus cum mutū curaret & surdū. Planius & apertius idē Ambr. lib. 1. de sacr. c. 1. Ergo quid egimus sabbato? nepe apertionē. Quae mysteria celebrata sunt? apertionis. Quādo tibi aures tetigit sacerdos, & nares, quod significat in Euāgelio Dominus, cū ei oblatuisset mutus, & surdus, & tetigit aures eius, & os eius.
30 Aures, quia surdus erat: Os, quia mutus. Et ait *Ἐφῆτα* quod est, inquit ille, Hebraicū verbum, & Latine dicitur adaperire. Ideo ergo tibi sacerdos aures tetigit. Sed dicis mihi. Et paulo post: Quare nares? vt bonū odorem accipias pietatis aeternae. Christi enim bonus odor sumus Deo, & sit in te fidei deuotionisq. plena flagrantia. Quibus locis, et si Ambr. nihil de sputo dicat, amplectitur tamen hanc ceremoniā, dum in hanc sententiam laudat exemplū Christi, qui sputo aperuit os muti. Ad hanc ceremoniam videtur allusisse Tertull. lib. ad scapulam.

scapulam. Ibi enim de exorcismo loquens, ait: Dæmones autē non tantum respuimus, verū etiā reuincimus. Verbū enim illud *respuo*, non potest significare nisi, vel reprobare, vel sputo detestari. Non significat autem eo loco reprobare, tum quod de exorcismo agit, tum etiam quod Christiani non negabāt esse dæmones. Consequēs ergo est significare ibi detestationē, quae sputo fiebat. Huius etiam ceremoniae mentionem facit S. Aug. tract. 44. in Euangelium Ioānis: Ecce modo loquor, vt fidelibus & catechumenis, quod dixi de sputo, & luto, quia Verbum caro factū est, & hoc catechumeni audiunt, sed non eis sufficit, ad quod inuncti sunt, festinent ad lauacrū, si lumen inquirunt. Item Synod. Constantinop. can. 7. Et nares, & os, & aures, & eos signantes, dicimus: Signaculum donū Spiritus sancti. Plura de hoc mysterio, eiusq. significatione Alcuin. lib. de diuin. offi. de Sabbato sancto Paschae. Raba. Maurus lib. de instit. cleric. c. 27. Beda in cap. 7. Marci hom. 19. Amalar. Fortun. lib. de Ecclesiast. offi. c. 8. Nono baptizandus abrenunciat Satanæ, & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius. Hanc renunciationem a traditione apostolica fluxisse probant Clemens lib. 7. const. Apostol. cap. 41. & 42. & Dionys. de Ecclesiast. hierarch. *ἔτα σήσας ἐπὶ δυσμαῖς προσέχοντα καὶ τὰς χεῖρας ἀπαθῆντα πρὸς τὸ αὐτὸ ἀπετραμμένας χάραν ἐμφυσῆσαι μὲν αὐτῶ τρεῖς διακελεύεται τῶ Σάτανᾳ καὶ προσέτι τὰ τῆς ἀποσταγῆς ὁμολογήσαι.* Deinde occidentem versus illum stans, intendentem manusq. impingentem ad eandem regionem conuersus, insufflare illum ter satanam iubet, & praeterea abrenunciationem profiteri. Tertull. de coron. milit. c. 4. Aquam adituri ibidem, sed & aliquanto prius in Ecclesia, sub antistitis manu, contestamur nos renunciare Diabolo, & pompae, & angelis eius. Eodem refertur quod idem Tertull. c. 13. scribit his verbis: Semel iam in sacramenti testatione eierata. Hae enim erant pompae diaboli, & angeli eius. Idem Tertull. de spectacul. c. 4. cum aquam ingressi Christianam fidē, in legis suae verba, profiteremur, renunciauimus nos diabolo, & pompae, & angelis eius, ore nostro contestamur. Et de Idolatria c. 8. Tu si diaboli pompam eierasti, quidquid ex ea tetigeris, id scias esse idolatriam. S. Cypr. in lib. de duplici martyr. quem tamen librum non esse Cypriani existimo, cum Diocletiani, & Maximiani, nec non Turcae illic mentio fiat, est tamen liber lectu dignus. Auctor illius ita loquitur diabolo: Denunciauisti perpetuas inimicitias, renunciauisti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exufflasti, exsibilasti, iurasti in verba Redemptoris. Origenes hom. 10. in Numer. Recordetur vnusquisque fidelium, cum primum venit ad aquas baptismi, cum signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutaris accessit. Quibus ibi tunc vsus sit verbis, & quid denūciauerit diabolo, hoc est non se vsurū pompis eius, neque operibus eius. Arnob. in psal. Tunc vota tua reddes Domino quae in baptismo positis promissisti, renunciare te diabolo, & omnibus pompis, & criminibus eius, & in psal. 54. Si quod votum fecit Deo, se renunciaturum Diabolo & pompis eius, impleuerit & in psal. 75. Nam in baptismatis consecratione vouerunt se ipsos tradere, & omnibus operibus diaboli renunciare. Eodem pertinet quod scribit Gregor. Nazianz. orat. 32. in praesentia 150. Episcoporum: Scis haec quisquis initiatus es, quippe qui impietatis abiuratio, & diuinitatis confessio sit. S. Chryso. hom. 21. ad popul. Antioch. Vocis illius recorderis, quam, dum sacris institueris, emisisti. Abrenuncio tibi Satana, & pompae tuae, & cultui tuo. Vbi plura de hac voce S. Ambr. lib. 1. de sacra. c. 2. Quando te interrogauit sacerdos: Abrenuncias diabolo, & operibus eius? quid respondisti? abrenuncio. Abrenuncias saeculo & voluptatibus eius? quid respondisti? abrenuncio: memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuae series cautionis. Si chyrographum homini dederis, teneris obnoxius, vt pecuniam eius accipias, & postea vbi promiseris considera, vel quibus promiseris: Leuitā vidisti, sed minister est Christi. Vidisti illum ante altaria ministrare: ergo chyrographum tuum tenetur, non in terra, sed in caelo. Et in lib. de ijs, qui initiatur mysterijs cap. 2. Ingressus es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, recognosce quid responderis, renunciauisti diabolo & operibus eius, mundo & luxuriae eius, ac voluptatibus: tenetur vox tua non in tumulto mortuorum, sed in libro viuientium. Et lib. comment. 9. in cap. 20. Lucae scribit: Dum baptizamur nos renunciare mundo: additq. quam grauius vincula, promittere Deo & non soluere. S. Hieron. libro 1. comment. in capit. 5. Matth. can. 6. Quidam differunt in baptismo, singulos pactum inire cum diabolo, & dicere renuncio tibi diabole, & pompae tuae, & vijs tuis, & mundo tuo, qui in maligno positus est. Et ad psal. 128. Pactum fuit Israeli cū Deo quando dixit ad Moysen: Omnia quaecumque dixerit Dominus faciemus. Sed & nūc nos paciscimur in baptismo, vt abrenunciemus diabolo & operibus eius. S. Aug. in lib. ex dictis Basilij de Spiritu sancto c. 27. Huc accedit, quod ter oleo inungimus quos baptizamus, verbis abrenunciare satanae, & angelis eius informamus.

Idem Aug. de symbolo lib. 2. c. 1. Si adiutorium nostrum in nomine eius est, renūciemus diabolo, pompis, & angelis eius. Videte dilectissimi, quia hanc professionem vestram in curiam profertis Angelicam nomina profitentium in libro excipiuntur vitæ, non a quolibet homine, sed a superiore cælitus potestate. Et lib. 3. c. 1. enarrat, quæ sint pompæ diaboli quibus renunciamus in baptismo. S. Cyrill. Ierosol. totus est 1. cathec. mystagog. in enarratione huius 32 ceremoniæ. Decimo baptismum in adultis antecedeat catechismus. S. Dionys. capit. 2. Ecclesiast. hierarch. S. Clemens epist. 3. ad vniuersos. S. Hieronym. lib. 4. comment. in capit. 28. Matth. Solebant autem veteres per quadragesimam de ijs, quæ ad fidem pertinebant, catechumenos instituire, & erudire. S. Hieronym. ad Pammachium. Beda in comment. Esdræ libro 2. necnon eos ad humanitatem, & bonos mores informare. S. Ambros. initio libri de ijs qui initiatur myster. De moralibus quotidianum sermonem habuimus, &c. Quare S. August. libro de fide & operibus. capit. 9. & 11. arguit eos qui catechumenis fidei tantum, non etiam morum præcepta docenda credebant. Fiebant vero septem scrutinia, ut sapius exploraretur, an post renunciationem Satanæ, sacra verba datæ fidei radicitus corde defixissent. Plene & luculenter Rupert. de diuin. offic. libro 4. capitulo 17. Alcuin. libro de diuin. offic. capitulo de Sabbato sancto Paschæ. Ordo Rom. pag. 31. vsque ad pag. 35. in his vero tertium maximum. Amalar. Fortunat. libro primo de Ecclesiast. offic. capit. 8. Durant. lib. 6. ration. capitulo 56. & de Turrecremata in canon. Ante viginti de consecrat. distinct. 4. Quæ tandem scrutiniorum sollempnitas, succedente baptismo paruulorum, negligi cœpit. Huius vice in baptismo paruulorum Ecclesia catholica hac formula vsa est: Primum legitur Euangelium Marc. 10. In illo tempore offerebant Iesu paruulos, &c. Deinde iubet sacerdos, ut susceptores seu patrini manus suas imponant capiti baptizandi, ac nomine eius profiteantur symbolum, & orationem Dominicam pronunciant. Deinde sacerdos susceptores monet, ut paruulum quàm primum ad intelligentiæ, & rationis vsum peruenerit, doceant symbolum, & Dominicam orationem, hoc enim eorum curæ incumbit: ut supra ex August. & Strab. docui. Vndecimo vngitur baptizandus. Duplex vnctio intercedere solet, auctore S. Thom. ad 4. sentent. dist. 6. altera ante baptismum in pectore, & scapulis, eaq. oleo catechumenorum. Altera post baptismum chrismate in vertice, de qua infra post baptismum. Vnctionis quæ fit ante baptismum, meminerunt S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. capitulo 4. Tertull. libro 1. aduersus Marcionem: Illum, inquit, nec aquam reprobasse Creatoris, qua suos abluit, nec oleum quo suos vngit. Origen. homel. 7. in Ezechiel. Oleum quo vngitur vir sanctus, oleum Christi, oleum sanctæ doctrinæ, & paulo post, id est scripturam instituentem quo modo oporteat baptizare in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, & pauca commutans: Vnxit quempiam, & quodam modo dixerit, iam non est catechumenus, consequutus es lauacrum secundæ generationis: talis homo accipit oleum Dei, &c. S. Basil. de Spirit. sancto capitulo 27. Benedicimus aquam baptismatis καὶ τὸ ἔλαιον τῆς κρίσεως, & oleum vnctionis, & ipsum baptizatum. Ex quibusnam scriptis! nonne a tacita, & mystica traditione? τὸ δὲ αὐτὸ τὸ ἔλαιον τῆς κρίσεως γρηγορημῆτος ἐστὶν ἀξίον. Quid quæso ipsam olei vnctionem quænam scriptura docuit. can. Ecclesiasticarum distinct. 11. S. Ambros. lib. 1. de sacrament. capit. 2. occurrit presbyter, vnctus es quasi athleta Christi, quasi luctamen huius sæculi luctaturus, professus es luctaminis tui certamina, qui luctatur habet quod speret, vbi certamen, ibi corona. S. Hieronym. lib. 1. comment. in capit. 2. lament. Ierem. Maledicit Deus sanctificationi suæ, quando Christianum nomen, in quo gloriabamur, & quod in sacro baptismo per sancti chrismatis vnctionem suscepimus, pollutum dixerit: & lib. 2. comment. in capitulo 3. Abacuc. ac ne forte qui chrisma baptismi perdidit, desperent de chrismate reparando. S. Aug. in Euangel. Ioan. tractat. 44. Si autem dixerit non sum adhuc quæris ab eo catechumenus, an fidelis? si responderit tibi catechumenus inunctus est, nondum lotus, & paulo post: Et hoc catechumeni audiunt, sed non eis sufficit: ad quod inuncti sunt festinant ad lauacrum, si lumen inquirunt. Et ferm. 206. de temp. Omnes qui ad salutare baptismi consequendum Ecclesiæ offeruntur, & chrisma, & oleum benedictionis accipiunt: ut iam non vasa vacua, sed Deo plena, & templi Dei esse mereantur. Rabanus Maurus libro 1. de institut. cleric. capit. 27. Vngetur illius tunc pectus de oleo sanctificato, cum inuocatione sanctæ Trinitatis, ut nullæ reliquæ latentis inimici in eo resideant: sed in fide sanctæ Trinitatis mens eius confortetur. Vngetur & inter scapulas de eodem oleo, ut vndique muniatur, & ad bona opera faciendâ per Dei gloriam roboretur. Iuo Carnaten. ferm. de sacram. dedicat.

Accepistis

Accepistis & oleum sanctum in pectore, ut vigeret in corde vestro sapientia: Accepistis & in humero vestro, ut in exercitu bonorum operum indeficiens seruetur patientia, neque aliquando nouerit sinistra vestra quid faciat dextra vestra. Quia vero in humeris vigor constat portandi oneris, huius partis vnctione Christi athletæ dedicati estis, ut sciatis vos ad certamen esse vocatos. S. Gregor. in sacram. Post hæc tangat ei pectus, & inter scapulas, de oleo sancto Crucem faciendo cum pollice, dicens: Vngo te oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, quæ sacramentarij verba laudat, & enarrat Amalar. Fortunat. lib. 1. de Eccles. offic. capit. 23. Plura Innocent. 3. capit. 1. §. quia vero de sacra vnctione. S. Thom. 3. parte. quæst. 66. artic. 10. Duodecimo accedentes ad baptismum, si adulti 34 ti fuerint, symbolum Apostolicum palam ore proprio recitare debent: si vero infantes fuerint, sciscitetur sacerdos a paruulo: Credis in Deum patrem omnipotem? patrini vero seu susceptores respondent: Credo. Huius obseruationis testes sunt S. Dionys. Areopag. de Ecclesiast. hierarch. cap. vlt. Vbi tum etiam fuisse, qui mysteria nostra irridebant, quod qui infantes offerunt, pro eis abrenunciant, & fidei sacramenta profitentur, quos arguit, cum addit: Non quod, ut illi ridentes dicunt, alium pro alio diuinis sacris initiet: Non enim hoc ait, ego pro puero abrenuncio, aut promitto, sed puer abrenunciat & profitetur, id est, profiteor, &c. S. Ambros. lib. 2. de sacrament. cap. 7. Interrogatus es: Credis in Deum patrem omnipotentem? dixisti: Credo, & miseristi, &c. S. Hieron. in capit. 2. Prouerb. ait baptizandos profiteri se symbolum, credituros. Et aduersus Luciferianos: Præterea, inquit, cum sollempne sit in lauacro post Trinitatis confessionem interrogare, credis sanctam Ecclesiam catholicam? credis remissionem peccatorum? S. August. de fide & operib. cap. 11. Cur ergo baptizandis vel symbolum tradimus, vel reddendum reposcimus? & lib. 4. de symbol. ad catechumenos: Accepistis & symbolum, protectionem parturientis contra venena serpētis. Idem August. epist. 23. ad Bonifac. circa finem: Nihil est autem aliud credere, quàm fidem 35 habere, ac per hoc, cum responderetur paruulum credere, qui fidei nondum habet affectum, responderetur fidem habere propter fidei sacramentum, quia ut ipsa responsio ad celebrationem pertinet sacramenti. Et paulo post: Itaque paruulum, etsi nondum fides illa quæ in credentium voluntate consistit, iam tamen ipsius fidei sacramentum fidelem fecit: nam sicut credere responderetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum excipiendo, & postea: Hoc qui non credit, & fieri non posse arbitrat, profecto infidelis est. canon. Nihil de consecrat. dist. 4. & lib. 4. de baptismo contra Donatistas cap. 24. cum ex ætatis indigentia pueri nec corde credere ad iustitiam possint, nec ore confiteri ad salutem, ideo alij pro eis respondent, ut impleatur erga eos celebratio sacramenti: quod valet ad eorum consecrationem, quia ipsi respondere non possunt. Accedit quod idem August. scribit epist. 23. Offeruntur quippe paruuli ad excipiendam spiritualem gratiam, non tam ab eis quorum gestantur manibus, quamuis & ab ipsis, si & ipsi boni fideles sint, quàm ab vniuersa societate sanctorum atque fidelium, ab omnibus namque, &c. Plura de eo ritu in sacrament. Gregorij. Alcuin. Amalar. Fortunat. & Raba. Maur. & Magister sentent. ad 4. sentent. dist. 6. Decimotertio baptismus confertur, trina submersione, vel 36 aspersione, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Initio siquidem ad imprimendum in animis omnium, vnum Deum, in tribus distinctis personis, Ecclesia trina immersione utebatur. can. Apost. 50. Si quis Episcopus, vel presbyter non tria vnus mysterij baptismata perfecit, hoc est, ut Zonaras, & Balsamon interpretantur, non tres vnus initiationis immersiones, sed vnum baptismum, qui datur in mortem Domini, hoc est vnam immersionem, deponatur: τρις μὲν αὐτὸν ὁ ἱεράρχης βαπτίζει τὰς τριὰς τὰ τελειώματα κατὰ ὄρασι, καὶ ἀλλὰ ὄρασι τὰ τρία τῆς θείας μακαριότητος ἐπιβοήσας ὑπόστασι ter illum Pontifex mergit, hac trina illius mersione, & emersione tres beatitudinis diuinæ personas in clamans. Tertull. lib. aduersus Praxeam cap. 26. Et nouissime, inquit, de Christo loquens, mandans discipulis, ut tingerent in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, non in vnum. Nam non semel, sed ter, ad singula nomina, in personas singulas tingimur. Idem Tertull. de corona militis: Dehinc ter mergimur. S. Athanas. quæst. 125. Nam quod infantem ter in aquam immergimus, & ter educimus, mortem, & triduanam resurrectionem significat. In eandem sententiam Gregor. Nyssen. in cathec. maior. cap. 35. Quemadmodum, inquit, ille cælestis homo assumpta mortalitate, tertio post subterraneam sepulturam die, ad vitam denuo resiliit, ita quisquis ei naturalis corporis intermedio coniunctus est, is ad eandem regulam intuetur vitæ, in quam terminum atque aqua loco terræ inspergitur, tribusq. vicibus, elementum

mentum subeundo triduanam illam resurrectionis gratiam imitatur. S. Ambros. lib. 2. de sacrament. cap. 7. Interrogatus es: Credis in Deum patrem omnipotentem? dixisti: Credo, & miseristi, hoc est, sepultus es. Iterum interrogatus es: Credis in Dominum nostrum Iesum Christum, & in crucem eius? dixisti: Credo, & miseristi. Ideo & Christo es consepultus. Tertio interrogatus es: Credis & in Spiritum sanctum? dixisti: Credo, tertio miseristi: vt multiplicem lapsum superioris ætatis, absolueret trina confessio. S. Aug. ho. 3. apud Gratian. can. postquam dist. 4. & Magist. sent. in 4. dist. 3. Postquam vos credere promissistis, tertio capita vestra in sacro fonte demersimus: qui ordo baptismatis, duplici mysterij significatione celebratur, recte enim tertio meristi, &c. & serm. 91. de tempore. Quando in salutari lauacro, ter Christiani merguntur, tunc Ægyptij, id est originalia peccata, vel actualia crimina, quasi in rubro mari sepeliuntur. Rursus serm. 201. de temp. Hoc etiam mysterij Trinitatis in sacro baptisinate demonstratur, dum tertia vice homo mergitur, vt nouus surgeret meretur. S. Hieron. aduersus Lucifer. Nam & multa alia, quæ per traditionem in Ecclesijs obseruantur, auctoritatem sibi scriptæ legis usurpauerunt, velut in lauacro ter caput immergitare, immersionis, & emersionis in baptisimo meminit S. Chryso. hom. 24. in Ioan. Synod. Constantinop. 1. canon. 7. damnat Eunomianos, quod in vnam demersionem baptizabant, huncq. ritum baptizandi, sub trina immersione, vel asperione hætenus Romana seruauit Ecclesia, vt ex Romanæ Ecclesiæ sacerdotali apparet. Legimus. S. Greg. lib. 1. epist. 41. can. de trina de consecrat. dist. 4. Leandro Episcopo rescriptisse, non esse reprehensibile, infantem in baptisinate, vel ter, vel semel immergere: quoniam & in tribus immersionibus personarum Trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Quartum quoque Concil. Tolet. can. 5. can. propter de consecr. dist. 4. non improbat, quod apud eos tum receptum conijcio, propter Arrianorum hæresim, qui sanctam Trinitatem non personis tantum, sed natura & substantia distinctam esse docebant, hacq. ceremonia ter mergitandi abutebantur. Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 26. Hodie ramen, non sine peccato ministraretur baptismi sacramentum, absque trina immersione, vel asperione præsertim in Ecclesijs, in quibus ea iam recepta est consuetudo, a quarum certe instituto, non potest sine graui peccato discedere minister, maxime quando scandali subest periculum. S. Tho. 3. part. quæst. 66. art. 8. De Turrecremata in can. si quis de consecr. dist. 4. & constat quod in Ecclesijs Romanæ prouincijs, asperione seu perfusione aquæ baptismus confertur, quod nec nouum neque recens est. Legimus quendam a S. Laurentio, dum ad mortem ducebatur, vrceo allato baptizatum fuisse. S. Cypr. epist. 76. ad Magnum: Nec quemquã, inquit, mouere debet, quod aspergi, vel perfundi videntur, ægri enim gratiam Dominicam consequuntur, quando scriptura sancta per Ezechielem & c. Et paulo post: Vnde apparet asperionem quoque aquæ, instar salutaris lauacri obtinere. & postea: Aut si aliquis existimat, eos nihil consequutos, eo quod ab aqua tantum salutari perfusi sunt. Notandum ait Vualfrid. Strabo de rebus Eccles. cap. 26. Non solum mergendo, sed etiam desuper fundendo, multos baptizatos fuisse, & adhuc posse baptizari. Decimoquarto baptizatus inungitur sacro chrismate, a presbytero in vertice capitis, Dionys. de Eccles. hierarch. Tertull. de baptisimo cap. 7. Exinde egressi de lauacro perungimur benedicta vnctione. Huius vnctionis, expressim meminerunt Basil. lib. de Spiritu sancto cap. 27. Iustinus martyr. quæst. 137. Gregor. Nazian. orat. in sanctum baptismum. Ambros. lib. 2. de sacrament. cap. 5. & de ijs qui inuoluntur mysterijs cap. 6. August. lib. 15. de Trinit. cap. 26. & lib. 4. de symbo. cap. 1. Optat. Mileuit. lib. 4. Damas. lib. 4. orthodox. fid. cap. 10. & alij innumeri: postquam ascenderit baptizatus de fonte ait Raba. Maur. lib. 1. de instit. cleric. c. 28. statim signatur in cerebro a presbytero cum sacro chrismate. Quod si quis hæreat, cur vnget presbyter baptizatum chrismate, cum postea in confirmatione illiniat Episcopus chrismate frontem? Legimus in gestis patrum, eodem Rabano auctore, S. Siluestrum constituisse, vt presbyter baptizatum illiniret chrismate, ne si mors inexpectata accideret, baptizati absente Episcopo sine hac saltem ceremoniali vnctione, vita fungerentur. Illa vero quæ postea ab Episcopo fit vnctio, non ab Ecclesia, sed a Christo, ad alium effectum instituta est, neque baptismi, aut alterius vllius sacramenti est ceremonia, sed ipsa confirmationis essentia. Decimoquinto baptizatus, alba veste induitur, ad significandum, eum exuisse veterem hominem, & induisse innocentiæ casta velamina. S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. c. 1. & 2. S. Ambr. lib. de ijs qui inuoluntur myster. Accepisti post hæc, vestimenta candida, vt esset indicium, quod indueris inuolucrum peccatorum, & indueris innocentiam casta velamina, de quibus dixit propheta: Asperges me Domine hyssopo, & mundabor: lauabis me, &

super

super niuem dealbabor. Eo referri debet, quod scribit Arnob. ad finem psal. 104. Ideoq. inquit, eduxit populum suum in exultatione, in alleluia, in albis vestibus. Socrat. in histor. tripart. lib. 11. cap. 14. præparabatur inquit baptismus, & vestis conueniens baptizato. Theodoretus lib. 3. hist. c. 3. de Constantino loquens: Proinde oportere singulos stolam illam pretiosam induere, quæ in illa altera vita nobis omnibus cum primis necessaria est. Quod si quis eam vestem accipere recuset, cum iam Dominum inde abire iubet. Nam se nolle cum hominibus minime initiatis bellum gerere Lactantius de Resurrectionis dominicæ die.

Rex sacer, ecce tui, radiat pars magna trophæi,

Cum puras animas sacra lauacra beant.

Candidus egreditur nitidis exercitus undis,

Atque vetus vitium purgat in amne nouo.

Inde parens sacro ducit de fonte sacerdos

Infantes niueos, corpore, corde, habitu.

Paulinus item.

Gregor. Turon. lib. 5. histor. cap. 11. Quidam ex ijs ad sanctum pascha vt baptizaretur expetijt, renatusq. Deo per baptismi sacramentum, cum albatis reliquis, in albis & ipse procedit: & circa finem: Albicabat tota ciuitas de grege candido. S. Laurentius Episcopus Nouarum episcopo homilia de poenitentia: Mox vt ascendisti de sacro fonte, vestitus ea veste alba, & vnctus eo vnctuamento mystico. Postea eadem homilia: Nam in fonte baptismi, quid aliud est, quàm aqua, & chrisma, & vestis alba? Paul. Diacon. lib. 6. histor. Longobard. c. 15. meminit Codrati Regis Anglosaxonum, qui Romæ a Sergio primo Papa baptizatus, Petrusq. appellatus, adhuc in albis constitutus, vita functus est. Raba Maur. lib. 1. de instit. cleric. cap. 29. Post baptismum traditur Christiano vestis candida, designans innocentiam, & puritatem christianam, quam post ablutas veteres maculas studio sanctæ conuersationis immaculatam seruare debet ad præsentandum ante tribunal Christi. Cuncti vero renati, albis induuntur vestibus ad mysterij resurgentis Ecclesiæ, sicut ipse Dominus coram discipulis transfiguratus est. Olim baptizati in Pascha per septem dies albis utebantur vestibus. Raba Maurus lib. 2. de instit. cleric. cap. 39. Amalar. Fortunat. lib. 1. cap. 29. Quare Dominica prima post pascha dicitur Dominica in albis, S. August. serm. ad competentes. Dominica in octaua Paschæ, quo die alba tolluntur vestimenta a nuper baptizatis, pascha clausum dicitur, auctore Alcuino epist. ad Carolum Magnum: idem in hebdomada Pentecostes, Amalar. Fortunat. lib. 1. cap. 38. Huius rei adhuc vestigia manent in paruulis: post baptismum enim, & vnctionem, vestis linea candida, seu album sudariolum capiti baptizati imponitur: quo symbolo sancti patres significari admonent, tum resurrectionis gloriam, tum nitorem, & pulchritudinem animæ, dilutis peccatorum maculis, tum innocentiam, quam baptizatus dum superstes est, seruare debet. Decimosexto, baptizato datur cereus ardens. Gregor. Nazian. orat. in sanctum baptismum ad finem. Statio hæc quæ confestim a baptisimo ante magnum sacrarium stabis, futura vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantilatio, cum qua acciperis. Illius hymnodicæ præludium est: Lampades quas accendes, illius luminum gestationis figuram gerunt, cum qua splendide, & virgines animæ splendidis fidei lampadibus Christo sponso obuiam prodibimus. S. August. ad psalm. 65. enarrans verba illa: Transiuimus per ignem, & aquam, ait: Propterea & in sacramentis, & in catechizando, & in exorcizando adhibetur prius ignis. Nam vnde plerumque immundi spiritus clamant, adeo si ille ignis non est: verum ibi de igne exorcismi. Gregor. Turon. lib. 5. hist. cap. 11. ibi: Gaius autem Pontifex, nuncio nocte sancta Pentecostes, vigilijs celebratis, ad baptisterium foras muraneum egressus est, ibiq. omnis multitudo coram eo prostrata, baptismum flagitauit: at ille præ gaudio lacrymans, cunctos aqua ablucens, chrismate liniens, in sinu matris Ecclesiæ congregauit: flagrabant cerei, lampades refulgebant. Honorius in gemma animæ lib. 3. de sabbato sancto Paschæ, Mox de fonte eleuatis, lumen dare solent. Nicephor. Callist. lib. 3. cap. vlt. recitans ceremonias in baptisimo obseruari solitas, ait, Deinde pro cereo dextrâ ligno tenui armantes, quæ eius sacri & ritus sunt. Solebant antiquitus neophyti cereos accensos gestare manibus, Alcuin. de diuin. offic. cap. de sabbato sancto Paschæ. Amalar. Fortunat. lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 26. Decimosextimo, baptizatus ante altare adducebatur. Gregor. Nazian. orat. in sanctum baptismum: Statio hæc, qua confestim a baptisimo ante magnum sacrarium stabis, futura vitæ gloriam præsignat: vbi Nicetas hos omnes fere baptismi ritus paucioribus verbis enarrat. Buchard. Vuormaciensis lib. 6. de sacram. Eccles. his verbis: Accipit cathecumenus sal, vt putrida, & fluxa eius peccata, sale sapientiæ diuino munere mudentur: deinde

deinde symboli Apostolici traditur ei fides, vt vacua domus, & a prisco habitatore derelicta fide ornetur, & vt præparetur habitatio Deo: tum fiunt scrutinia, vt exploretur certius, an post renunciationem satanæ sacra verba datæ fidei radicatus corde defixerit. Tanguntur & nares, vt quamdiu spiritum naribus trahat, in fide accepta perduret. Pectus quoque eodem perungitur oleo, vt signo sanctæ crucis diabolo claudatur ingressus. Signantur & scapula, vt vndique muniatur. Item in pectoris & scapula vnctione, signatur fidei firmitas, & operum bonorū perseuerantia, & sic in nomine S. Trinitatis, trina submerensione baptizatur. Et paulo post: Tum albis induitur vestimentis propter gaudium regenerationis ad castitatem vitæ, & angelici splendoris decorem, tum sacro chrismate caput perungitur, & mystico tegitur velamine, vt intelligat se diadema regni sacerdotij dignitatem portare, & reliqua. Erant & quidam alij ritus, qui iure & merito ab Ecclesia antiquati sunt: baptizati enim lac & mel prægustabant. Tertul. de coron. milit. Inde suscepti lactis & mellis concordiam prægustabant. S. Hieron. ep. aduersus Luciferianos. Deinde egressos, lactis ac mellis prægustare concordiam ad infantia significationem. In occidentis Ecclesijs vsque ad Hieronymi sæculum renatis in Christo vinum lacq. tribuebatur, eodem Hieron. teste ad c. 65. Ista. Mediolani, in susceptione baptismi pedes lauabantur teste S. Ambr. lib. 3. de sacram. cap. 1. quam tamen consuetudinem, ait ibidem Ambrosius, Ecclesia Romana non habebat. Hanc pedum lotionem vbiq. abrogatam testatur S. August. ep. 119. cap. 28. Accedentes etiam ad baptismum peccata confitebantur, quāuis confessio ista sacramentalis non esset. S. Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum baptisma: Ne peccatum tuum confiteri graue dicas, sciens quo pacto Ioannes baptizauerit. Pedes quoque lauabant, August. ep. 139. c. 18. Solebant & baptizati statim post baptismum sacram Eucharistiam accipere, quod ex Tertul. lib. 4. aduersus Marcionem. Ambros. lib. 3. de sacram. cap. 1. & de ijs qui sacris myster. initiantur c. 7. & 8. Hieron. aduersus Luciferanos. Aug. epist. 23. & lib. 5. hipognost. Manifestum est, eaq. communio in paruulis vsitata erat, vt apparet ex ordine Romano, ex quo Alcuin, lib. de diuin. offic. c. de sabbato sancto Paschæ notat cauendum esse, ne infantes latentur, aut vllum cibum capiant, antequam communicent, eamq. consuetudinem adhuc Græci obseruant. Verum postquam cessauit adulatorum baptismus, & certa illa baptizandi tempora immutata sunt, consuetudo illa communicandi post baptismum in paruulis in Ecclesia Latina antiquata est. Hi enim neque Eucharistiam a sacro pane diiudicare & discernere sciunt, neque ad eam accipiendam animi pietatem & probationem, cuius maximam rationem habendam esse diserte præcipit S. Paulus: Probet autem seipsum homo 1. ad Corinth. 11. Afferre valent: adde quod ea consuetudo a Christi institutione aliena videretur, ait enim Christus: Accipite, & comedite. Infantes vero idonei non sunt, qui accipiant & comedant. Ceterum diligenter obseruandum est ne baptismi tempus protrahatur. S. Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum baptisma: Baptizemur hodie ne cras vi aliqua cogamur, ne beneficium tanquā iniuriam differamus vrgente morbo, vel alio periculo, ait Nicetas, ibiq. Gregor. enarrat quali poena afficiantur qui baptismum prorogantes vita functi sunt. Quod maxime in paruulis locum habet: hi enim etsi eodem Gregor. Nazianz. auctore, sine baptismis morientes, poena sensus non afficiantur, cælesti tamen gloria minime fruuntur. Fuere qui credebant, paruulum non esse baptizandum intra secundum vel tertium diem, nec intra octauum natiuitatis, quos arguit S. Cyprian. ep. 89. ad Fidum quem nominatim laudat, & sequitur S. August. ep. 18. ad Hieron. cap. 20. Alibi idem August. de Genesi ad litteram lib. 10. c. 11. ait ecclesiasticā fidem docere cum paruulis ad percipiendam baptismi gratiā esse currendū, ne, vt ille ait, de corpore sine baptismis exeant: & vt ait Nazian. Gloria cælesti fraudentur. Monendi itaque & hortandi sunt parētes, vt cum primū sine periculo facere possunt, liberos suos ad Ecclesiam deferant, & sollempnibus ceremonijs baptizandos curent, cum præsertim propter ætatis imbecillitatem, infinita vitæ pericula illis emineant.

DE VASCVLIS ET AMPVLLIS CHRISMALIBVS

CAPVT VIGESIMVM.

- 1 *Chrysmalis vasculi meminerunt antiquissimi Patres permulti.*
- 2 *Chrysmalis vasculi miraculum.*
- 3 *Oleum duplex in Ecclesia quodammodo principale dicatur.*
- 4 *Chrysmata quid significet.*

5 *S. Chrysmata*

- 5 *S. Chrysmata principale.*
- 6 *Chrysmata principale, ex qua materia fit.*
- 7 *Chrysmata quotannis conficiendum, in die cæna Domini.*
- 8 *Confirmationis sacramentum, quo sensu apud Patres, perfectum reddat Christianum, & nominetur τελευωσις, obligatio, manus impositio, chrysmatis sacramentum, & chrysmata supercaeleste.*
- 9 *Confirmationis sacramentum a Christo institutum fuit, & inter Ecclesiæ sacramenta semper numeratum.*
- 10 *Hereticorum signum est, Augustino esse tantum duo sacramenta.*
- 11 *Confirmationis materia & forma que.*
- 12 *Confirmationis ordinarius minister Episcopus.*
- 13 *Confirmandus nemo, nisi baptizatus.*
- 14 *Confirmandorum ætas, & dispositio.*
- 15 *Confirmationis fructus, & effectus.*
- 16 *Confirmationis ceremonia.*
- 17 *Confirmandi vnguntur in fronte.*
- 18 *Confirmandis cur dentur patrini, & qui non possint hoc munus obire.*
- 19 *Confirmatio ab Episcopo, manu leniter in maxilla caduntur.*
- 20 *Extrema vnctio sacramentum est, & non ab alio, quàm a Christo instituta, ibidem de eius materia.*
- 21 *Hereticorum dogma de extrema vnctione refellitur.*
- 22 *Vnctio saepe diuersa a sacramento extrema vnctionis, reperitur ad recuperandam sanitatem adhibita.*
- 23 *Extrema vnctionis minister, quibus item conferri debeat, & prius Eucharistia administranda.*
- 24 *Extrema vnctionis plures effectus, & quis precipuus.*
- 25 *Reliquia peccatorum, quo sensu tollantur, per vnctionem extremam.*
- 26 *Extrema vnctio etiam mortalia tollit peccata, repeti potest, & plures habet ceremonias.*



CHRISMALIS vasculi mentionem facit Iuo epist. 3. Vasculum, inquit, 1
chrysmale, cuius forma artificibus nostris ignota erat, &c. Chrysmalis item 2
ampullæ meminit Optat. Mileuit. lib. 2. vbi & insigne miraculum memo-
riæ mandauit his verbis: Ampullam quoque chrysmatis, per fenestram, vt 3
frangerent, iactauerunt, & cum casum adiuuaret abiectio, non defuit ma-
nus Angelica, quæ ampullam, spiritali subiectione deduceret proiecta, ca-
sum sentire non potuit, Deo muniente, illæsa inter saxa confedit. In Concil. Melden. cap. 4
1. apud Bruchar. lib. 4. cap. 75. & Iuonem part. 1. cap. 268. Constitutum est, tres ampullas, a
presbytero, quinta feria in cæna Domini deferri, vnā ad oleum cathecumenorum, al-
teram ad chrysmata, tertiam ad oleum infirmorum. Duplex quippe erat oleum, 3
Alterum, quod oleo, & balsamo etiam nunc conficitur, idq. principale appellatur. Eo autem
vnguntur, qui baptizantur in vertice. Illi etiam qui confirmantur in fronte, denique qui
ordinantur. Alterum vero est simplex oleum ab Episcopo consecratum quo vnguntur
cathecumeni in pectore, & scapulis, & in fronte antequam abluantur. Infirmi quoque,
& energumeni eodem oleo vnguntur. Sancti porro chrysmatis, & sacri cathecumeno-
rum olei vascula, in Ecclesiæ certo loco, quem Episcopus comprobavit, religiose asseruari
debent. Sacrum vero oleum infirmorum in alio vase, ab aliorum sacrorum oleorum va-
sculis distincto, in eadem Ecclesia custodiri debent. Concil. Mediolan. 4. p. 2. capit. Quæ ad 4
sacramentalia pertinent. Plane etsi *χρῖσμα* apud Græcos, vnctionem generaliter, seu quod-
libet vnguenti genus significet, vt docent August. tract. 33. in Ioan. & Ierm. 47. de verbis Do-
mini, Cassiodor. ad 1. Cantic. Isidor. lib. 7. origin. cap. 2. Raba. Maur. lib. 1. de institut. cleric.
cap. 30. Vnde Christus a chrysmate, vel potius chrysmata a Christo, eo quod singularis ex-
cellentia oleo vnxit eum Deus, S. Cypr. de vnctione chrysmatis; Nihilominus sancti patres,
communi consuetudine, ad illam vnctionem, quæ ex oleo, & balsamo, sollempni Episcopi
consecratione conficitur, accommodarunt: Illudq. chrysmata principale appellat ordo Ro-
manus. Principale vero dicitur quattuor de causis, quas percenset Bonauentura ad 4. sen- 5
tent. dist. 23. circa princip. de oleo, seu chrysmate cathecumenorum, fatis superq. supra de
baptismo. Illius vero conficiendi ritus exaratur, tum in lib. ordinis Rom. tum in lib. Pon-
tificali,

6 tificali. Quod vero ad chrisimatis amputationem pertinet, obseruandum est, chrisma illud principale fieri ex oleo & balsamo. S. Cyr. de vnctione chrisimatis: Sacrum chrisma conficitur, in quo mixtum oleo balsamum, regie, & sacerdotalis gloriæ exprimit vnitatem. Fabianus martyr, & Pontifex epist. 2. ad omnes Orientales Episcopos cap. 1. ibi: Et non per singulos annos, in cœna Domini chrisma conficere, sed duos, aut tres annos, confectioem sancti chrisimatis, semel actam conseruare. Dicunt enim, vt in memoratis apicibus reperimus, nec balsamum per singulos annos posse reperiri, nec necesse esse per singulos annos chrisma conficere. Errant, inquit, qui talia cogitant, & mente vesana potius quam recta sentientes, hæc dicunt. Et postea: Sicut igitur ipsius diei sollempnitas per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, & vetus chrisma in sanctis Ecclesijs cremandum: additq. Ista a sanctis Apostolis, & a successoribus eorum accepimus, vobisq. tenenda mandamus. Qua constitutione discrete constitutum est singulis annis chrisimatis confectioem instaurandam, & renouandam in die cœnæ Domini, vetusq. chrisma cremandum. Idq. Romanam, Antiochenam, Ierolymitanam, & Ephesinam Ecclesias a temporibus Apostolorum custodire. S. Gregor. in cap. 1. Cantic. In Engaddi, inquit, balsamum gignitur, quod cum oleo, pontificali benedictione, chrisma efficitur, quo donati sancti Spiritus exprimuntur. Idem in Concil. Bracaren. 2. can. 4. Placuit vt modicum balsami, quod benedictum pro baptismi sacramento, per Ecclesias datur, quia a singulis tremisses pro ipso exigi solent, nihil vltius exigatur, ne forte, quod pro salute animarum, per inuocationem sancti Spiritus consecratur, &c. Consecratio autem chrisimatis fieri debet in die cœnæ Domini, Missam celebrando; capit. referente de celebrat. Miss. S. Eligius Nomonei. Episcopus homil. 8. in die cœnæ Domini, ad clerum, & plebem. Eodem denique die cœnæ Domini, proinde sanctum chrisma conficitur, quia ante biduum Paschæ Maria, caput Domini, ac pedes vnguento perfudisse perhibetur. Huius vero chrisimatis vnctio, quæ fit ab Episcopo, in fronte eorum, qui iam baptizati sunt, quandoque appellatur *τελείωσις* siue perfectio. S. Dionys. Areopag. de Eccles. hierarch. *ἡ δὲ μύρε τελεωτική χρίσις εὐωδὸν ποιεῖ τὸ τελεωσάμενον, ἢ ὅτι ἱερά τὸ θεοχρηστίας πλείωσις, ἐν οἷ τὸ ἐλευθέρου τῶν θεαρχῶν πνεύματι.* Enimvero illa perficiens vnctio facit perfectum, quippe diuinæ generationis perfectio, diuino spiritui, quæ fuerint perfectâ, coniungit. S. quoque Ambr. lib. 3. de sacrament. capit. 2. perfectionem appellat his verbis: Sequitur spiritale signaculum, quod audistis hodie legi, quia post fontem superest vt perfectio fiat, quando ad inuocationem sacerdotis, Spiritus sanctus infunditur. Inde S. Clemens epist. 4. ait eum qui confirmatus non est, non esse perfectum Christianum, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria, aut voluntate remanserit: idq. S. Petrum, ceterosq. Apostolos, præcipiente Domino docuisse. Ecce mysterium confirmationis a Petro, ceterisq. Apostolis traditum, præcipiente Domino, qui illud instituit. Item Rabanus lib. 1. de instit. cleric. cap. 30. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum accipere debent Spiritum sanctum, vt pleni Christiani inueniantur. Et postea: Nec mirum si homo bis eodem chrismate ad accipiendum Spiritum sanctum vngatur, cum idem spiritus bis ipsis Apostolis datus fuerit, id est, in terra semel, quando post resurrectionem suam Dominus insufflauit in eos, & dixerit: Accipite Spiritum sanctum. Et de cælis semel, quando post Ascensionem Domini, in die Pentecostes in linguis igneis super Apostolos venit. Quæ tamen intelligenda sunt non de perfectione seu plenitudine simpliciter, sed roboris, & amplioris gratiæ. Bonauent. ad 4. sentent. dist. 7. quæst. 2. ad 3. artic. Nam, vt docet Thom. 3. part. quæst. 72. artic. 1. quemadmodum in corpore, præter motum generationis quo aliquis accipit vitam corporalem, est motus augmenti, quo aliquis ducitur ad perfectam ætatem, vt perfectas actiones hominis agere possit: ita homo vitam spiritalem accipit per baptismum, quod est spiritualis regeneratio. In confirmatione vero accipit, quasi quandam perfectam ætatem spiritualis vitæ, & confirmatio quodam modo perficit baptismum, auctore eod. Thoma, ad 4. sentent. dist. 7. & 3. part. quæst. 65. art. 4. post Melchiadem. Quare ait idem Tho. illius prætermissio periculosa est, nec sine periculo confirmationis Sacramentum negligitur. plene & luculenter Amalarius Fortunat. lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 27. Appellatur item a Simone Thessalonicensi, & a Cornelio apud Eusebium, lib. 6. histor. capit. 35. & a nonnullis Græcis, *σφραγίς*, siue obsignatio. Dicitur & sigillum promissionum. S. Clemens, libro 7. cap. 34. S. Cyr. epist. 73. ad Iubaianum, eam appellat signaculum Dominicum, quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per

per nostram orationem, ac manus impositionem, Spiritum sanctum consequantur, & signaculo Dominico consummentur. S. Ambr. lib. de his qui sacris initiantur mysterijs, c. 7. & lib. 1. de Spiritu sancto, & lib. 3. de sacram. cap. 2. appellat signaculum spiritale. Vocatur & manus impositio. August. lib. 3. contra Donatistas, cap. 16. & lib. 6. cap. 14. & de Ecclesiast. dogmat. cap. 52. Eusebius Pontifex & martyr, qui floruit anno 310. epist. 3. ad Episcop. Tusciæ, & Campaniæ: Manus impositionis sacramentum, magna veneratione tenendum est. Melchides quoque martyr, & Pontifex, epist. ad Hispaniæ Episcopos, vtrum maius esset sacramentum, manus impositio, aut baptismus: Scitote, &c. Est autem triplex manus impositio, de qua plenius S. Tho. ad 4. sentent. dist. 6. Appellatur etiam chrisimatis sacramentum, ab eodem August. lib. 2. contra litteras Petilian. & in hoc vnguento, sacramentum chrisimatis, vult interpretari. Quod quidem, in genere visibilium signaculorum, sacrosanctum est, sicut ipse baptismus. Vocatur item, chrisma supercæleste, Synod. Laodic. canon. 48. ibi: Inungi supercælesti chrismate, &c. Denique sacramentum istud appellatur confirmatio, S. Clemens, dist. epist. 4. ibi: Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum, septiformi Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus. Idem Clem. libro 3. constit. apost. capit. 17. Chrisma confirmationem confessionis appellat, *τὸ μύρον βαπτωσις τῆς ὁμολογίας* id est, vnguentum est confirmatio confessionis, scilicet fidei. Vbi Turrianus duo præclara exempla profert, effectus confirmationis. Melchides Papa, qui sedit Maximino imperante epist. ad Hispaniæ Episcopos. Sed quia, inquit, diximus, quod manus impositio, & confirmatio ad baptismi perfectionem pertinent, & qui iam regeneratus in Christo est, confirmare aliquid possit, forte cogitat sibi aliquis: Quid mihi prodest, post mysterium baptismatis, mysterium confirmationis? Et paulo post: Sicut exigit militaris ordo, & rursus paulo post: In baptismo abluimur, post baptismum roboramur, can. de his de consecrat. dist. 5. quæ ipsa Melchidis verba Euseb. Emissenus, homil. in die Pentecost. ex scripsit. S. Ambr. lib. de ijs qui initiantur myster. cap. 7. Signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis. in Concil. Terracon. can. 6. apud Gratian. canon. datum est de consecrat. dist. 5. & Iuon. lib. 4. cap. 6. Visum est nobis eandem confirmationem, sicut nec baptismum, iterari minime debere, &c. Porro confirmationis nomen non huc spectat, quod fidei professionem, quam in baptismo fecimus, per nos, vel susceptores, velut infirmam, ac debilem, in hoc sacramento ipsi confirmare, & renouare teneamur, quod hæretici quidam impie commenti sunt. Vis enim baptismi sola, ei qui tinctus est, in suis ipsius aquis, si eum migrare contingat, nondum naufragium passus, per letale peccatum, cæli aditum patefacit. Verum inde ductum est confirmationis nomen, quod huius sacramenti virtute, Deus in nobis confirmet, quod baptismum operari coepit, nosq. ad Christianæ soliditatis perfectionem adducit: nec vero confirmat solum, sed auget, & nouam gratiam tribuit, sicut & cetera sacramenta. Nam & confirmationem a tempore Apostolorum inter sacramenta, in catholica Ecclesia, habitam fuisse constat, ex Dionys. de Eccles. hierar. cap. 4. Clement. epist. 4. Synod. Laodicen. can. 48. Urbano Papa 1. in epist. decret. ad finem, can. omnes fideles de consecrat. dist. 5. Fabian. ep. ad Orient. Episcop. can. litteris de consecr. dist. 5. Melchiade Papa ad omnes Hispaniæ Episcopos, can. Spiritus sanctus, de consecr. dist. 5. Tertulli. in lib. de carnis resurrectione, & in libro de baptismo. Cyprian. epist. 73. ad Iubaianum, & lib. de vnctio. chrisimatis, Basil. de Spiritu sancto cap. 27. Origen. homil. in Leuit. Synod. Rom. sub Siluestro, can. 5. August. lib. 2. contra litteras Petilian. cap. 104. & lib. 3. contra Donatistas, cap. 16. & libro 5. capitulo 19. & 20. & tract. 6. in epist. Ioan. & tract. 118. in Io. Optato in libro 2. contra Donatistas, Leone Papa, epistola 78. Cyrill. Ierolymit. catech. 3. mystagogic. Concil. Carthag. 2. canon. 3. Et Carthag. 3. can. 36. Et Charth. 4. can. 36. Conc. Aurisic. can. 1. Nullus ministrorū. de consecrat. distinct. 4. In Concil. Constantien. sessione 25. mentio fit septem sacramentorum. In Concilio item Florentino plane, & aperte constitutum fuit confirmationem esse sacramentum. Denique Concil. Trid. sess. 7. anathema pronunciat aduersus eos qui affirmant confirmationem baptizatorum non esse verum, & proprium sacramentum: aut olim nihil aliud fuisse quam cathechesim quandam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant. Plene S. Thom. 3. parte, quæstione 72. Osius, Lindanus, Turrianus, Canisius, & alij innumeri. Quod vero hæretici obijciunt, sacramenta non nisi a Christo institui posse, confirmationem vero non esse a Christo institutam, negamus minorem. Clemens enim epistola quarta, Sanctum Petrum, & ceteros sanctos Apostolos præcipiente

cipiente Domino confirmationis necessitatem docuisse diserte testatur. item Fabian. epistola ad Orient. In illa enim die Dominus Iesus postquam coenauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut a sanctis Apostolis praedecessores nostri acceperunt, nobisq. reliquerunt, chrisma conficere docuit, &c. Eodem pertinet quod Lucas Euangel. semel atque iterum Act. 8. & 19. testatur, Apostolos super baptizatos manus imposuisse, hoc est signo visibili nouam, & ampliorem gratiam Spiritus sancti iam initiatis collatam fuisse. Plane ab omni iudicio sano alienum est, Apostolos sine praeepto Christi hanc manus impositionem ita exercuisse, vt putarent neminem perfectum esse Christianum, antequam manus illis imposuissent. Quare vt Thom. & ceteri docent, institutum fuit hoc sacramentum a Christo, non exhibendo, sed promittendo. Promisit enim cum dixit: Ego mittam promissum patris mei in vos. Luc. 24. & Ioan. 14. & alibi Ioan. 16. Si non abiero, paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Itaque non per se, sed per Apostolorum ora, hoc sacramentum nobis patefacere voluit. Nam cum sacramentum hoc contineat plenitudinem sancti Spiritus, quae non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem, iuxta illud Ioan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus non erat glorificatus. Christus sacramentum istud non exhibuit, sed exhibendum ab Apostolis promisit, & instituit. Obijciunt item haeretici, Augustinum duo tantum sacramenta agnoscere, baptismum scilicet, & Eucharistiam, libro tertio, de doctr. Christ. capitulo 9. & epistola 108. ad Ianuar. capitulo 1. At in priori loco August. non enumerat sacramenta, sed exemplum eius quod dixerat proponit in his duobus sacramentis, quod vox (sicuti est) aperte demonstrat. In altero vero, eadem voce, sicuti, vitur, atque addit: Et si quid aliud in scripturis canonicis commendatur, quae verba indicant alia esse sacramenta, quod apertius idem August. affirmat ad Psal. 103. Conc. 1. Respice ad munera ipsius Ecclesiae, munus sacramentorum in baptismo, in Eucharistia, in ceteris sanctis sacramentis, quale munus est. Et de baptismo contra Donatistas libro 5. capitulo 20. Si ad hoc valet quod dictum est in Euangelio: Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem sacramenta non celebrentur: quo modo exaudit homicidam deprecantem, vel super aquam baptismi, vel super oleum, vel super Eucharistiam, vel super capita eorum, quibus manus imponitur. Ecce quattuor sacramenta. Item contra Faustum libro 19. capitulo 14. Si Machabæos cum ingenti admiratione praefereamus, quia escas, quibus nunc Christiani licite vtuntur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore prophetico non licebat, quanto magis nunc pro baptismo Christi, pro Eucharistia Christi, pro signo Christi ad omnia perferenda paratior debet esse Christianus? cum illae fuerint promissiones rerum complendarum, haec sint indicia completarum. En apud August. hoc loco tria sacramenta: per signum enim Christi intelligitur confirmatio. Quod vero centuriatores obijciunt ex Irenæo libro 1. capitulo 18. Turrianus libro 2. pro Epist. Pontific. capitulo 18. acute refellit. Ad haec in hoc sacramento quattuor praecipue considerantur, materia, forma, minister, & denique is, qui confirmatur. Materia, est chrisma ex oleo, & balsamo, vt supra ex Cypriano, Fabiano, Gregor. & Concil. Bracaren. probauimus, quibus addendus est Thom. 3. part. quaest. 72. & ad 4. sentent. distinctione 7. vbi ceteri. Addenda quoque sunt, quae diserte catechismus ex decreto Concilij Tridentini, docet capitulo de confirmationis sacramento. Forma vero haec est: Consigno te signo Crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. hac forma semper vsa est Ecclesia, vt in Concil. Florent. Ad hanc alludere videtur Ambros. de ijs qui initia. myster. cap. 7. Repete, quia accepisti signaculum spirituale, Spiritum scientiae, Spiritum sapientiae, & intellectus, spiritum consilij atque virtutis. Et paulo post: Signauit te Deus pater, confirmauit te Christus Dominus, & dedit pignus Spiritus in cordibus tuis sicut Apostolica lectione didicistis. Et lib. 1. de Spiritu sancto capit. 6. Sancto igitur Spiritu signati sumus, non natura, sed a Deo quod scriptum est: Vnixit nos

12 Deus, & qui signauit nos, & dedit pignus Spiritus, & reliqua. Minister vero huius sacramenti solus est Episcopus. Act. 8. capit. Miserunt ad eos Petrum, & Ioannem, qui cum venissent, &c. Nec enim otiose soli Apostoli manus imponebant, & ad remota loca mittebant eos Apostolos, qui manus initiatis imponebant. Apostolis autem non presbyteri ait Aug. ad psal. 44. sed Episcopi successerunt. S. Clemens lib. 3. constit. Apostol. cap. 16. Postea Episcopus, ait, vngat baptizatos chrismate. Idem Clemens. epistola 4. Cum autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformis Spiritus gratia ab Episcopo, vt memoratum est, confirmatus est, quia aliter perfectus esse Christianus non potest. Urbanus 1. Pontifex epist. ad

omnes

omnes Christianos, canon. omnes fideles de consecrat. distin. 5. Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum Spiritum sanctum post baptismum accipere debent. Melchisedes ep. ad Hispaniae Episcopos, vtrum maius esset sacramentum, manus impositionis Episcoporum, aut baptismus: Scitote, vtrumque magnum esse sacramentum, & sicut vnum a maioribus fit, id est a summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, &c. Damasus epistola 4. de Chorepiscopis: Quod vero eis non liceat chrisma conficere, nec chrismate baptizatorum frontes signare &c. Et postea: Quae omnia solis Pontificibus debent, tam ex superioribus, quam ex alijs patrum constitutis, &c. Hoc ipsum totidem verbis affirmat Leo Magnus epist. 88. ad Episcopos Germaniae, & Gall. & Concil. Vuermatien. can. 8. Eusebius Pontifex & martyr epist. 3. ad Episcopos Tusciae, & Campaniae: Manus impositionis sacramentum magna veneratione tenendum est, quod ab alijs perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab alijs, quam ab ipsis Apostolis legitur aut scitur esse peractum. Innocentius 1. epist. 1. ad Decentium Eugubinum capitulo 3. De consignandis vero infantibus manifestum est, non ab alio, quam ab Episcopo fieri licere: nam presbyteri, licet sint sacerdotes. Et postea: Haec autem Pontificibus solis debent, vt vel consignent, vel paraclitum Spiritum tradant, & reliqua, canon. presbyteris de consecrat. distinctione 4. in Concil. Hispalen. canon. 7. inter cetera prohibetur chorepiscopis, & presbyteris chrisma conficere, vel chrismate baptizatorum frontem signare. Hoc ipsum confirmatur ab August. quaest. noui testam. 42. & de Trinitate libro 15. capitulo 26. Concil. Roman. sub Siluestro canon. 5. Concil. Carthagin. 2. canon. 3. canon. Si iubet 26. quaestione 6. Carthagin. 3. can. 36. Toletan. 1. capitulo 20. S. Thom. 3. parte quaestione 72. articulo. Sane, ait ille, vt in extruendis aedificijs, etsi fabri, qui inferiores ministri sunt, cementa, calcem, ligna, & reliquam materiam parant, atque componunt: absolutio tamen operis ad Architectum spectat. Ita & hoc sacramentum, quo veluti spirituale aedificium perficitur a nullo alio, quam a summo sacerdote administrari debet. Quibus conuincitur Armenorum error, qui asseriebant, licere sacerdotibus quibuscumque baptizatos in fronte chrismate consignare. De quibus Armacanus de quaest. Armenorum libro 11. capitulo 5. Aegyptiorum quoque quorum meminit S. Ambros. ad 4. caput epist. ad Ephesios. Apud eos enim presbyteri consignabant baptizatos, si non erant praesentes Episcopi: Nec non Graecorum, qui eo nomine Latinos accusabant. Nicolaus 1. epist. ad Ignatium. Hoc loco quaeri potest, an sacerdos ex delegatione summi Pontificis confirmationis sacramentum conferre possit. Fuere ex scholasticis qui negant presbyteros ex delegatione confirmare posse: et si confirmant, non esse sacramentum. Glossa in can. peruenit, distinctione 96. Durandus plenissime ad 4. sentent. distinctione 7. quaestione 4. vbi incaute sanctum Gregorium erroris insinuat, quem securus videtur Adrianus in quaestione de confirmatione, articulo ultimo. At verius est dicere, presbyterum ex dispensatione apostolica confirmationis sacramentum conferre posse. Primum ex S. Gregor. libro 3. epistola 26. vbi Gregor. indulget presbyteris, vbi Episcopi defunt, baptizatos in frontibus chrismate tangere. Non me latet, in vulgatis exemplaribus legi (baptizandos) quasi Gregor. concesserit, non baptizatos in frontibus consignare, sed baptizandos. Verum apud Gratianum, canon. peruenit, distinctione 95. vbi Gregorij verba exarantur, legimus (baptizatos.) Deinde Gregor. concedit quod prohibuerat epistola 9. eodem libro. In qua epist. vetat ne presbyteri confirmant. Addo, quod baptizandi non consignantur in fronte chrismate, sed in vertice. Quare conijcio, Gregorij verba corrupta fuisse. Haec item sententia confirmatur in Concil. Florentino, & Trident. sess. 7. quibus declaratur solum Episcopum esse confirmationis ordinarium ministrum. Expendenda est vox (ordinarium,) quae indicat, presbyterum huius sacramenti ministrum esse posse ex delegatione Apostolica. Huius sententiae inter alios assertores, habemus Alexandrum de Alef. S. Thom. 3. part. quaestione 72. articulo 11. vbi Caietan. Gratian. distinctione 95. Nauarrum in Manuali capitulo 22. Glos. & doct. in capitulo, Quanto de consuetud. Petrum de Palude ad 4. sentent. & plenissime de Turrecrem. in canon. Manus impositio de consecrat. distinctione quinta. Vbi argumenta Durandi recenset, & diluit, & Guilhelmus Vuideford. aduersus Ioannem Vuicel. articulo 5. Quod ad personam, quae confirmatur exigitur. 13 Primo, quod confirmatus baptizatus sit. Nemo enim, nisi antea baptizatus fuerit, confirmationis sacramentum suscipere debet. Post baptismum enim confirmatio conferatur, vt ex Synodo Laodicen. Clemens. Fabia. Cyrillo cathec. 3. mystagog. & alijs patribus,

quos supra laudauimus, perspicuum est. Quinimmo, vt Theologi concludunt, si non baptizatus confirmaretur, inutilis esset confirmatio. Character enim confirmationis, vt scholasticorum verbis vtatur, supponit ex necessitate characterem baptismi, arg. can. nouissime de consecrat. dist. 5. Plene S. Thom. 3. part. quæst. 72. art. 6. De Turrecremata in can. dictum.

14 de consecrat. dist. 5. Cuius vero ætatis confirmandi esse debeant, obseruandum est. Initio Ecclesiæ, statim post baptismum confirmationem conferri consuetum, S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. cap. 4. Clemens epist. 4. Tertul. de baptismo. Cyprian. epist. 70. & 72. Deinde summa ratione receptum est, quidquid Gerson censeat, hoc sacramentum minime conferri, antequam pueri rationis usum habuerint, & fidem suam confiteri possint. Quare in cath. chismo Concil. Trid. monentur fideles duodecim annuum expectare: aut, si non expectandus videatur duodecim annus, vsque ad septimum annum hoc sacramentum differri conuenit: Pie & religiose Synodus Mediolanensis anno 1565. decreuit minori septennio confirmationis Sacramentum minime præbendum. Ceterum qui adulta iam ætate confirmandi sunt, ieiuni esse debent, & prius peccata sua confiteri. Concil. Aurelan. can. 3. apud Gratian. canon. vt ieiuni de consecrat. distinct. 5. Ioan. de Turrecremata post Petrum de Palude in d. can. vt ieiuni. hæc facile persuaderi fidelibus existimandum est, si huius sacramenti admirabiles fructus intellexerint. In baptismo, ait Melchisedes Papa ad Hispaniæ Episc. regeneramur ad vitam post baptismum, in hoc sacramento confirmamur ad pugnam. In baptismo abluimur, hoc vero post baptismum roboramur. Item in Concil. Florent. In eo datur spiritus sanctus ad robur, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, vt Christianus audacter Christi confiteatur nomen. S. Cypr. ep. 72. ad Iubaianum: Quod nunc quoque apud nos geritur, vt qui in Ecclesia baptizantur, præpositis Ecclesiæ offerantur, & per nostram orationem, ac manus impositionem Spiritum sanctum consequantur. S. Aug. tract. 6. in epist. S. Ioannis: Numquid modo quibus imponitur manus, vt accipiant Spiritum sanctum, hoc expectatur, vt linguis loquatur? S. Hier. aduersus Luciferian. Quod si hoc loco, inquit, quaeris, quare in Ecclesia baptizatus nisi per manus Episcopi non accipiat Spiritum sanctum, quem nos asserimus in vero baptismo tribui? discite, hæc obseruationem ex ea auctoritate descendere, quod post ascensum Domini, Spiritus sanctus descendit ad Apostolos. S. Ambros. libro 3. de sacrament. capitulo secundo: Quando ad inuocationem sacerdotis infunditur Spiritus sanctus, &c. Et: Vt breuiter perstringam, in confirmationis sacramento imprimitur character, in eoq. confertur gratia, qua ad pugnam armamur. S. Thom. ad 4. sentent. distinctione septima, & tertia parte, quæstione 72. articulo quinto, & septimo. Et de Turrecremata in canon. Spiritus sanctus, & canon. dicto de consecrat. distinctione quinta. S. Bernard. in vita Malachiæ prodidit, puerum mente captum, ex ijs, quos lunaticos vocant, inter-

16 confirmandum sacra vnctione sanatum. Vltima huius sacramenti tractatio pertinet ad ceremonias, quarum prima, & potissima est in fronte vnctio cum impressione signaculi Crucis. ideo in fronte, ait Concil. Florent. vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue Crucem eius, &c. Capitulo primo, de sacra vnctio. capitulo primo, de cognat. spirit. vbi Ioan. Andræas: Tertull. libro de præscript. hæretic. capitulo quadragesimo, monet diabolum ipsas quoque res sacramentorum diuinorum in idolorum mysterijs æmulari: Tinguunt & ipse quosdam vrique credentes, & fideles suos, expiationem delictorum de lauacro repromittit, & sic adhuc inuitat Mithræ, signat illic in frontibus milites suos, &c. S. August. ad Psalm. 141. Vsque adeo de Cruce non erubescit, vt non in occulto loco habeam Crucem Christi, sed in fronte portem. Multa sacramenta aliter, atque aliter accipimus. Quædam sicut nostis, ore accipimus, quædam per totum corpus accipimus, quia vero in fronte erubescitur ille, qui dixit: Qui me erubuerit coram hominibus. Et paulo post: Audis hominem insultare impudenti, & dicere: frontem non habet. Quid est, frontem non habet? impudens est. Non habeam nudam frontem, tegat eam Crux Domini mei, &c. Adhibentur etiam ad huius sacramenti administrationem, quemadmodum & baptismi, patrini, & susceptores. Nam si qui gladiatoriam dimicationem subeant, alicuius indigent, cuius arte, & consilio doceantur, qui ictibus, ac petitionibus, saluis ipsis, conficere aduersarium possint, quanto magis fideles cum sacramento confirmationis, quasi firmissimis armis tecti, ac muniti in spirituale certamen, cui æterna salus proposita est, descendunt, ducis ac monitoris indigebunt? Hæc in cath. chismo Concil. Trident. ad Parochos, Patrinus autem in chrismate esse non potest, qui nondum confirmatus est, Concil.

Concil. Magunt. canon. in baptismo, de consecrat. distinctione quarta. Item iuxta morem Romanæ Ecclesiæ, qui suscepit aliquem in baptismo, non solet esse patrinus in chrismatis sacramento. canon. in cath. chismo, de consecrat. dist. 4. Itaque ratione confirmationis cognatio spiritalis contrahitur. Concil. Magunt. can. 55. Concil. apud Vermerias can. 3. can. si quis filiastrum 3. q. 1. can. in cath. chismo de consecrat. dist. 4. Concil. Trident. sess. 24. cap. 2. can. 1. de cognat. spiritali in 6. S. Thom. opusc. 65. de officio sacerdotum cap. de sacra confirmatione. Illud vero obseruandum monet Synodus Mediolanensis, ne susceptores in sacramento confirmationis ijs, quos susceperunt, vel eorum parentibus quidquam omnino largiantur, ne cuiquam, quod aliquando commissum est, iterandi hoc sacramentum (quod nefas est) occasione præbeat. Quod & in baptismo diligenter obseruandum eadem Synodus docet. Deinde qui vnctus & confirmatus est, manu leuiter in maxilla ab Episcopo cæditur, vt meminerit, se tanquam fortem athletam inuicto animo Christianam militiam exercere, & ornare: vel, vt ait Concil. Colonien. de sacramento confirmationis, vt meminerit, se deinceps pro nomine Iesu contumeliam libenter passurum, & percutienti se ad dextram, sinistram etiam porrecturum. Plura de huius sacramenti ritu & ceremonijs Ioan. Ekhus hom. 23. de chrismate. Superest tertia ampulla olei infirmorum: quod quidem oleum oliuæ seu ex olearum baccis ab Episcopo consecratum sacramento extremæ vnctionis elementum est, siue materia, distatq. oleum infirmorum ab oleo cathecumenorum, errantq. sacerdotes, qui de oleo cathecumenorum vngunt infirmos. S. Th. in opusc. 65. de officio sacerdotis cap. de sacra vnctione. Ab Episcopo vero hoc oleum consecrandum docet Innocent. 1. epist. 1. ad Decent. Eugub. ibi enim enarrans verba Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis, addit quod non est dubium de fidelibus ægrotantibus accipi, vel intelligi debere, qui sancto oleo chrismatis perungi possunt, quo ab Episcopo confecto, &c. Beda in cap. 6. Marc. Vnde patet, ab ipsis Apostolis hunc sanctum Ecclesiæ morem traditum, vt energumeni, vel alij quilibet ægroti vngantur oleo, Pontificali benedictione consecrato. Haymo item super Euangel. confirmat hanc consuetudinem ab Apostolis fuisse seruatum. Hoc ipsum pluribus probant S. Thom. & ceteri ad 4. sentent. distinct. 23. Hanc vero vnctionem infirmorum ex oleo ab Episcopo consecrato, sacramentum esse, omnes consentiunt: nam & a Christo instituta est, & promissionem annexam habet. Quod a Christo instituta fuerit, apparet. Nam formulæ, quibus Apostoli vsi sunt, & Christo superstitæ, & post illius ascensionem non obiter, sed tanquam ordinario remedio, & lege certa a Christo proculdubio institutæ fuerunt. Formula vero vngendi infirmos Apostoli vsi sunt, tanquam remedio ordinario, & certa lege. Marc. 6. Eo autem loco agi de hoc sacramento Beda, & Theophilact. docent. Rursus, eam fuisse certam legem inter Apostolos, vt ægrotos vngerent, probatur ex epist. Iacobi cap. 5. Infirmatur quis in vobis, &c. quæ verba enarrans August. libro secundo de visitat. infirmor. capitulo 4. ait: Ergo sic roges de te, & pro te fieri, sicuti dixit Apostolus Iacobus, immo per Apostolum suum Dominus. Ecce quo modo hæc vnctio, non ab Apostolis, sed ab ipso Domino per Apostolos, hoc est, vt Theologi sentiunt, sacramentum istud a Christo institutum fuit, & a se, vel forte ab Apostolis sit promulgatum. Th. 4. part. q. 23. art. 3. Quare eripiendus est error eorum, qui alioquin catholici, litteris mandarunt, hoc sacramentum ab Apostolis institutum fuisse. Exagitanda est item eorum fallacia, qui Sigiberti verba in Chronicis deprauant, atque mutilant, quasi Sigibertus Innocentium 1. hoc sacramentum instituisse, asseruerit: non enim ait, Innocentium instituisse, sed decreuisse, omnibus licere vti oleo, ad vsus infirmorum ab Episcopo consecrato. Multa vero decretis renouantur, quæ iam instituta fuerant, quemadmodum & de ieiunio sabbati, de quo Sigibertus ibidem agit. Deinde quod hæc vngendi formula habeat annexam gratiæ promissionem, probatur ex eadem Iacobi epistola (et si in peccatis fuerit, dimittentur ei) hoc est, si vnctus fuerit infirmus cum oratione, dimittentur. Quare cum hæc vnctio a Christo instituta fuerit, & habeat annexam gratiæ promissionem, consequitur sacramentum esse. Amplius hanc infirmorum vnctionem Sacramentum esse sancti patres aperte testantur. S. August. libro secundo, de visitat. infirmor. enarrans verba illa sancti Iacobi: Infirmatur quis in vobis; addit: ipsa videlicet olei sacrati delibutio intelligitur spiritus sancti typicalis vnctio. Idem August. de rectitudine catholice conuersationis: Propterea, quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui, non quaerantur peccatores, non diuini. Et paulo post: Oleumq. benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundum Apostolum: Oratio fidei saluabit, & alleuiabit eum Dominus, non solum corpo-

ris, sed & animæ sanitatem accipiet. Et ferm. 215. de temp. Infirmatur aliquis, inducat presbyteros, &c. Videte fratres, quia qui in infirmitate ad Ecclesiam cucurrerit, & corporis sanitatem recipere, & peccatorum indulgentiam merebitur obtinere. Hoc ergo vñtionis sacramento & sanitas animæ, & peccatorum indulgentia confertur. S. Chrysof. lib. 3. de sacerdot. Sacerdotes non solum, cum nos regenerant, sed etiã postea condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur inter vos aliquis, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo. Concil. Vuormat. cap. 72. post Innocent. 1. epist. 1. ad Decent. Eugub. Extremam vñtionem genus esse sacramenti decernit. S. Bernard. in vita Sancti Malachiæ Episcopi, ait, in hoc sacramento peccata remitti, ibiq. infigne miraculum recitat. Concil. Constantien. sess. 15. probat septem Ecclesiæ sacramenta. In Concil. Florent. diserte extrema vñtio inter septem Sacramenta numeratur his verbis: Quintum Sacramentum est extrema vñtio cuius materia est oleum oliuæ per Episcopum benedictum. Plene S. Th. & ceteri ad 4. sent. dist. 23. Idem Th. 4. part. vel suppl. quæst. 29. Itaque caute legenda est gloss. in capit. vir de secund. nupt. quæ negare videtur, extremam vñtionem esse sacramentum. Non enim ea fuit mens' glossæ. Verum vt ibi Ioan. Andræas, & Ioan. de S. Georgio adnotarunt, quod non est sacramentum, quod imprimat characterem, vt iterari non possit. Hæretici negantes hanc vñtionem sacramentum esse, obijciunt, quod, etsi hac ceremonia vsi fuerint Apostoli: in ea tamen non fuerit plus mysterij, quàm in luto, quo Christus cæcum sanauit, Ioann. 9. in semicinctijs Pauli, quibus curati sunt infirmi Act. 5. verum hoc facile refelli Act. 19. in vmbra Petri, qua sanabantur male habentes, potest. Longe enim lateq. hæc vñtio siue ceremonia a ceteris distat. Primum enim, de ceteris nullum extat præceptum. Illæ enim liberæ fuerunt, hæc vero præcepta fuit. Mar. 6. & Iacob. 5. Deinde ceteris ceremonijs non est addita promissio, quæ animæ statum spectet. Nam etsi Christus dixerit Mar. ult. Super ægros manus imponent, & bene habebunt: Non tamen dixit, & si in peccatis fuerint, remittentur eis, quemadmodum de hac vñtione Iacob. 5. Denique aliæ ceremoniæ celebrantur a quibuscumque: at nostra olei vñtio a solis presbyteris Iacob. 5. inducat presbyteros. Quibus manifeste conuincitur, hanc vñtionem Sacramentum esse, tum quod præcepta, & promissionem annexam habeat, tum etiam quod a presbyteris dumtaxat celebretur. Neque pugnat quod legamus, complures oleo sanasse ægros, qui tamen non erant presbyteri. Tertull. in lib. ad Scapulam scriptum reliquit, Proculum oleo Seuerum Imperatorem quandoque curasse. At Proculum istum presbyterum fuisse conijcio. Nam in Martyrologio kalend. Decembr. fit mentio S. Proculi presbyteri. Legimus in vita S. Genouesæ, illam frequenter ægros vñxisse oleo, eosq. sanasse. Bonauent. ad 4. sentent. dist. 23. art. 2. quæst. 1. S. Hospitius apud Gregor. Turon. lib. 6. cap. 6. Surdos ac mutos, cæcos ac dæmoniacos oleo benedictione sanctificato curabat. Fuere complures Abbates apud Palladium, & Theodoretum, qui oleo benedicto morbos depellebant, tum vero Abbates non erant sacerdotes. Abbas Benjamin liberabat quemcumque ab omni ægritudine oleo, quod ille benedixerat. Palladius in histor. sanctorum Patrum cap. 13. Idem Palladius cap. 20. testatur, Maçarium virginem nobilem, quæ multis annis laborabat paralyti, oleo sancto manibus suis vñxisse, eamq. sanam fecisse. Idem scribit de Abbate Ioanne cap. 43. Theodoret. quoque non dissimilia scribit de Aphiate cap. 8. de Macedonio cap. 13. & de sancto Simeone cap. 26. S. Hieron. in vita Hilarionis commemorat vniuersos agricolas, & pastores a venenatis animalibus percussos ab Hylarione oleo benedicto sanos factos fuisse: Eundemq. Hilarionem Constantiæ sanctæ feminæ generum, & filiam vñtione olei morte liberasse. Oleum siquidem illud, etsi benedictum, non erat sacramentum. Vt sit enim sacramentum, præter alia, ab Episcopo consecrandum est. Innocent. epist. 1. ad Decent. Eugub. cap. 8. Beda in cap. 6. Marc. & cap. 5. Iacob. Synod. Florent. de sacrament. Synod. Trident. sess. 14. S. Thom. ad 4. sentent. dist. 23. & 4. part. quæst. 29. art. 6. Itaque vñtiones illæ non fuerunt sacramentales, sed, vt scholastici dicunt, medicinales tantum, vel miraculosæ per gratiam Spiritus sancti, quam S. Paulus vocat gratiam sanitatum, vel vt ait Bonauent. curabant illi oleo merito, sacerdotes vero ex officio. Denique sancti illi Abbates & monachi minime utebantur ijs vñtionibus ad remittenda peccata, sicut presbyteri: verum sicut nonnulli ex monachis aqua Crucis signo consecrata ægros curabant. Palladius d. cap. 30. Theodor. cap. 21. Ita & illi oleo eodem Crucis signo benedicto. Ista vero vñtio non pertinet præcipue ad gratiam curationum, quæ & solo verbo absque vnguento, & per alios quàm presbyteros, ingentia in omnibus morbis miracula operabatur:

rabatur: sed tanquam verum & proprium sacramentum ad salutem ipsius animæ referenda est. Quod vero ad huius sacramenti ministros pertinet, constat presbyteros huius sacramenti ministros ex S. Iaco. cap. 5. Inducat presbyteros. Quo nomine, ait Synod. Trident. sess. 14. cap. 3. eo loco non ætate seniores, aut primores in populo intelligendi sunt, sed aut Episcopi, aut sacerdotes ab ipsis recte ordinati per impositionem manuum presbyteri. Nam, & ita accipi presbyteri nomen apud Apostolos, & his vicinos auctores, apparet 1. Timot. 4. Noli contemnere gratiam, quæ tibi data est per prophetiam, cum impositione manuum presbyterij: & cap. 5. Qui bene præfunt presbyteri, duplici honore digni sunt. Act. 14. Et cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros, canon. apostol. 2. 35. & alijs plerisque. S. Clemens lib. 2. const. Apost. cap. 25. Sacerdotes, inquit, vestri sunt presbyteri: & lib. 8. capit. 46. Episcopis quidem assignauimus, & attribuimus, quæ ad principatum sacerdotij pertinent: Presbyteris vero quæ ad sacerdotium, & alibi passim. Iræneus item lib. 4. capit. 44. Tertul. lib. de pœnit. & lib. de baptismo, & vbicumque de presbyteris loquitur. Anaclet. ep. 2. de ordinat. Episcop. S. Chrysof. lib. 3. de sacerdotio: Sacerdotes, non solum cum nos regenerant, sed postea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent. Infirmatur inter vos aliquis, accersat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eos. Concil. Florent. Minister huius sacramenti est presbyter. S. Th. & ceteri ad 4. sent. & 4. part. vel suppl. q. 31. Carolus Magnus lib. 1. c. 56. de legibus Francorum, vt presbyter in ampulla ferat oleum ad vngendum infirmos. Vnus tamen presbyter potest hoc sacramentum ministrare, capit. quæsiuit de verb. signifi. modo sit ægroti proprius presbyter. Alienus enim hoc sacramentum ministrare non debet. Clement. Religiosis de priuileg. Petrus de Palude ad 4. sentent. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 15. §. 5. At, si parochus impeditus, aut alias in mora sit, mortisq. periculum instet & vrgeat, sacerdos alius ministrare potest. Concil. Mediolanense habitum a Carolo Borromæo Cardinali anno Domini 1579. c. Quæ pertinent ad sacramentum extremæ vñtionis. Fratribus minoribus indultum legimus, sacramenta Eucharistiæ, & extremæ vñtionis conferre illis, quorum confessiones audierint, quoties parochus malitiose, aut sine causa denegauerit, vel distulerit. Quod tamen ex Concil. Lateran. sub Leone x. sess. 11. ita demum obtinet, si denegatio vicinorum testimonio probata fuerit, vel requisitio coram notario publico facta doceatur. Caueat autem, vt eodem Concil. Mediolanensi continetur, Parochus, ne in eo administrando negligentiam, vllamve moræ culpam contrahat, habeatq. semper præ oculis exemplum sanctissimi Episcopi Malachiæ. Is, Bernardo teste, in vita eius, tanto animi dolore affectus est, quod culpa sua mulier quædam sacramenti huius gratia fraudata decessisset, vt totam noctem orando, gemendo, lacrymando consumpserit, lacrymarumq. vi, quasi maximo imbre, pro oleo sancto, quod non ministravit, mortuam perfuderit. Plane autem exaudiuit Dominus sanctum suum, ita vt illa a morte, tanquam e somno, excitata sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps a morbo conualuerit. Olim Episcopi, qui assidue muneri incumbabant, ægros visitabant, eosq. hoc oleo sancto vngebant. Inde Innocent. 1. ad Decent. Eugub. cap. 8. Ceterum illud superfluum adiectum videmus, vt de Episcopo ambigatur, quod presbyteris licere dubium non est. Nam idcirco de presbyteris dictum est, qui Episcopi alijs occupationibus impediti ad omnes languidos ire non possunt. can. illud, dist. 95. S. Bernard. in vita S. Malachiæ Ep. narrat S. Malachiam hoc sacramentum ministrare consueuisse, & ægerrime tulisse, quod illud ministrare cuidam mulieri distulisset, additq. infigne miraculum. Metaphrastes, Ioannem elemosinarium Episcopum Alexandrinum magna cura ad ægros accessisse, ac sæpe oculos morientium suis manibus clausisse, prodidit: Eucharistiæ quoque sacramentum frequenter ægrotis exhibebat. Vincent. in specul. lib. 23. cap. 95. Quibus autem hoc sacramentum conferri debeat, plene scholastici omnes ad 4. sentent. dist. 23. S. Thom. 4. par. quæst. 32. vbi concludunt hoc sacramentum sanis exhibendum non esse, sed dumtaxat infirmis, illisq. præsertim, ait Synod. Trident. post Synod. Florent. qui tam periculose decumbunt, vt de eorum exitu timeatur. Vnde & sacramentum exeuntium nuncupatur. Sane cum desinit operari medicus, tum vel maxime operari incipit sacerdos, vt dum puluis reuertitur in terram suam, spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Furiosis item, & amentibus conferri non debet, nisi lucida interualla habeant quibus sacramentum recognoscant. In illo enim statu eis conferri possit. Adhæc si ægrotus, cum esset mente integra, huius sacramenti particeps fieri voluisset, & postea in furorem, & insaniam inciderit, ei sacramentum vñtionis dare licet. Cathec. Consil. Trident. ad Parochos. Pueris quoque qui nondum peccauerunt,

cauerunt, nec actualem deuotionem habent, conferendum non est, etsi Nicolaus de Cusa qui floruit Basiliens. concil. sæculo in epist. ad Bohemos scripserit, olim in Ecclesia non tantum adultis, sed & infantibus hoc sacramentum conferri consuetum. Quoniam vero, aiunt patres in cathedris. concil. Trident. omni studio curare oportet, ne quid sacramenti gratiam impediatur, seruanda est Ecclesiæ catholicæ perpetua consuetudo, vt ante extremam vnctionem, poenitentia, & Eucharistiæ sacramentum administretur. Quandoque tamen post puram peccatorum confessionem, ante sacræ Eucharistiæ sacramentalem communionem, vnctionis extremæ sacramentum collatum fuisse apparet, tum ex Theodor. in poenitentia. canon. ab infirmis. 26. quæst. 7. ibi: Ne illis ianua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis sacra vnctione olei inuncti secundum statuta sanctorum patrum communionem viatici reficiantur: tum ex Petro venerabili lib. 3. epist. 4. ibi: A Domino Viseliasensi abbate eum inungi ac sacri corporis viatico refici fecimus. Effectus autem huius sacramenti duplex est ex S. Iacobo. Primus est corporis sanitas. Alter peccatorum remissio. hoc enim sacramentum habet corporalis medicamenti effectum, quatenus expedit ad spiritalem sanationem. Concil. Florent. & S. Th. ad 4. sentent. & 4. part. siue suppl. ad 3. p. q. 30. art. 2. Neque obstat quòd S. Iacobus salutis corporalis primo meminerit, ibi: Saluabit infirmum, & si in peccatis, &c. Nec enim scripturæ ordo præcipuum effectum indicat, vt Matth. 19. Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Amplius enim est proculdubio vitam æternam possidere, quàm centuplum accipere. Præcipuus itaque effectus est peccatorum remissio. Iacob. 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei. Hoc sacramentum peccata remitti, consentiunt omnes. Innocent. 1. ad Decent. Eugub. Beda passim. Bernardus in vita S. Malachiæ Episcopi. Petrus Damian. ferm. 1. in dedicatione Ecclesiæ. Synod. Cabilonen. tempore Caroli Magni cap. 48. Secundum, inquit, S. Iacobi documētum, cui etiam decreta patrum consonant, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicatur, a presbyteris vngi debent. Sic enim ait: Infirmatur quis ex vobis. Et postea: Non est itaque parui pendenda huiusmodi medicina, quæ animæ corporisq. medetur languoribus. Synod. Florent. cap. de sacram. Effectus, inquit, sacramenti extremæ vnctionis, est mentis sanatio: in quantum autem expedit, ipsius etiam corporis. Synod. quoque Trident. sess. 14. canon. 2. Si quis dixerit sacram. infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, sit anathema: Plene S. Th. dicta quæst. 30. art. 2. Non defuerunt ex Scholasticis, qui crediderunt hoc sacramēto venialia dumtaxat admissa remitti. Verum hæc opinio falsa est. S. enim Iacob. generaliter & absolute loquitur: Si in peccatis fuerit, dimittentur ei. Deinde, si sola venialia remitterentur, non diceret conditionaliter: si in peccatis. Quis enim venialium expers est? Præterea obseruanda est Ecclesiæ formula, quæ exaratur in Concil. Florent. & Trident. Per istam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid peccasti per visum, &c. De qua formula plene S. Th. 4. part. siue in suppl. ad 3. p. q. 29. art. 7. 8. & 9. Petrus de Palude ad 4. sent. dist. 23. Antoninus 3. p. tit. 14. c. 15. §. 2. & 3. & Ioā. Ekus homil. 54. de extrema vnctione, vbi & de formula Ambrosiana: quibus addendus est catechismus Concil. Trident. ad Paroch. cap. de extremæ vnctionis sacramento. Amplius, si hoc sacramento venialia solum remitterentur, potius sanis, quàm ægrotis exhibendum esset. Sani enim multo plura venialia admittunt, quàm morbo affecti. Quod si quis dixerit, ideo sanis, & bene valentibus non conferri, quia non possunt carere venialibus. Exiuri vero deinceps non peccabunt, considerandum est, sacramēta conferri potissime propter præterita peccata. Denique ad remissionem leuiorum peccatorum non est necessaria noua gratia: quod & omnes Theologi concedunt. Hæc autem vnctio, cum sit sacramentum nouæ legis, vt antea probaui, confert gratiam, gratia vero remissionem peccatorum, etiam mortalium. Consequentia patet, eoq. argumento vtitur S. Thom. in dicta quæst. 30. art. 2. quod intelligendum est eo modo quo idem de Eucharistia S. Th. asseruit. Fuere etiam qui dixerunt hoc sacramento reliquias peccati remitti dumtaxat. Reliquias vero peccati interpretantur procliuitates ad peccandum. At illi in summo errore versantur. Nec enim Iacob. de procliuitatibus, sed de peccatis loquitur. Deinde non loqueretur sub conditione: si in peccatis. Sensus enim, & cogitatio cordis humani prona sunt ad malum Genes. 8. Præterea procliuitas peccandi, quæ poena est originalis peccati, nullo sacramento tollitur, licet aliquo modo diminui possit, & refrenari. Denique, vt ait Durand. sanis potius dandum esset hoc sacramentum, quàm ægrotis, qui deinceps non peccabunt. Ceterum illæ peccatorum

peccatorum reliquias, quas per hoc sacramentum tolli affirmat Trident. Concil. significare possunt, vel illam, quam dixi fomitis diminutionem. Vel vt alijs placet residua post confessionem peccata. Videndus est S. Th. d. quæst. 30. in additionibus. Confert etiam sacramentum istud ad consolandum, & roborandum infirmum in supremo illo agone, quando & cum doloribus acerbissimis, & cum horrendis dæmonibus morituro summa contentione decertandum: tum enim terrores, & pauores animam agentibus iniiciuntur, tota dæmonibus parantur, & tenduntur insidiæ, vt & iusti plerumque magna animi perturbatione commoueantur: de quo plura Cyrillus Alexandrinus in orat. de exitu animæ: Gregor. lib. 24. moral. cap. 17. & homil. 39. in Euangel. Euseb. Emiffenus homil. 1. ad monachos. Quare etsi æger post hanc vnctionem sæpe vita fungatur, tamen in hoc sacramento peculiaris gratia tribuitur ad vim, & grauitatem morbi perferendam, & mortem si accidat alacri, & erecto animo excipiendam. Quod & Apostolus indicat Iacob. 5. Saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus. Hos omnes huius sacramenti effectus Synod. Trident. sess. 14. cap. 2. enarrat his verbis: Res porro, & effectus huius sacramenti in his verbis explicatur, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia est Spiritus sancti, cuius vnctio delata, si quæ sunt adhuc expianda, peccata reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat & confirmat, magnam in eo diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, quia infirmus subleuatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, & sanitatem corporis interdum vbi salutem animæ expedierit, consequitur. An vero sacramentum istud vnctionis infirmorum iterari, & repeti possit, contendunt scholastici. Platina in vita Pij 2. narrat Pium 2. acerrime cum Laurentio Rouerella Episcopo Ferrariensi doctissimo disputasse, liceret ne extremam vnctionem iterare, qua semel inunctus fuerat dum Basileæ pestilentia grauissima ægrotaret. Communis Theologorum schola iterari posse affirmat. Magister sentent. 4. sentent. dist. 23. vbi plene Bonauent. Scotus, & ceteri copiose, & luculenter. Petrus venerabilis lib. 6. epist. 1. ad Theobaldum Abbatem, eamq. sententiam probauit Synod. Tridentina sess. 14. c. 3. Quare cauendum est ab Iuone Carnoten. Episcopo, qui epist. 257. nimium audacter asseruit vnctionem infirmorum non esse repetendam, sicut nec baptismum. Nedum autem in diuersa infirmitate hoc sacramentum repeti potest, sed etiam eadem infirmitate laborantibus non secundum eundem, sed diuersum infirmitatis statum. Plene S. Th. 4. part. siue in suppl. q. 33. art. 2. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 15. §. 7. Postremo quod ad ceremonias huius sacramenti pertinet, ægrotus vngendus est in illis partibus, in quibus est aliqua spiritalis infirmitatis radix. S. Thom. S. Bonauent. & ceteri ad 4. sent. dist. 23. & 4. part. siue in suppl. q. 32. artic. 5. Quinque autem sensum organica membra eodem S. Thom. auctore inungi præcipue debent, quæ cognitionis nostræ, ac peccatorum sunt principia. In nonnullis tamen ait idem Thom. propter appetitiuam, & motiuam vnguntur renes, & pedes. De ijs Concil. Florent. in hæc verba: Hoc sacramentum nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet, qui vngendus est in oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum, vel locutionem, in manibus propter tactum, in pedibus propter gressum, in renibus propter delectationem ibidem vrgentem. Quod obiter obtinet in maribus. Mulieribus enim vetitum est renes inungere, Concil. Prouincia. 4. quod habuit Cardinalis Borromæus, anno Domini 1573. Ad hæc sacerdos ingressus ægroti cubiculum, aquam benedictam super eum, & per omne cubiculum aspergere debet, cum Antiphona: Asperges me Domine, & Versu: Exurgat Deus. Concil. Nannetense capitulo quarto. Deinde in hac vnctione adhibentur preces, quas cum ceteris ceremonijs diligenter enarrat Ekus homil. quinquagesima octaua, de extrema vnctione. Quod si infirmus ante accessum sacerdotis vocem, & intelligentiæ vim, ac notionem amisit, nihilominus sacerdos eum vngere debet. S. Thom. opusc. 65. de offic. sacerdot. capitulo de sacrament. vnct. modo de infirmi voluntate constat.

DE LABRO, SEU VASE AQUÆ
benedictæ

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

- 1 *Aqua benedictæ vas varia habet nomina, quorum aliqua non satis apte imposta sunt. Item quàm sit hoc vas necessarium. Deq. eius materia, & loco in templis.*
- 2 *Aqua benedictæ institutio.*
- 3 *Aqua benedictæ virtus varijs miraculis illustratur.*
- 4 *Hæreticorum de aqua benedictæ errores.*
- 5 *Aqua benedictæ venialia tollit peccata, nec tamen sacramentum est, sed quid sacramentale.*
- 6 *Aque cuiusdam benedictæ vsus reperitur etiam ante Ecclesiæ institutionem.*

Vas illud, quod in sacris ædibus aquam sacram continet, qua aspergi solent, qui ingrediuntur: Nonnulli, vt Sipontinus ad Martialem, amulam appellant: At amula longe aliud significat, vt docui cap. de calicibus, & amulis. Alij situlam. Verum situla vas dicitur ad hauriendam aquam. Multi aquimanile de quo, in l. 3. in principio, & §. vitrea. ff. de supellect. leg. & apud Paulum l. 3. sentent. tit. 6. Plene Brisso, Schardius, & ceteri in lexicis. Vtrumque aquamanile seu aquimanale Græce vocatur χερνισον. At χέρνισα, malluua sunt, quæ in templorum vestibulis antiquitus extitisse indicat Synes. epist. 121. Arbitror ego vas illud, de quo agimus, Græce περιρρηθιον non improprie appellari, hoc enim vocabulum, & aspergillum, quo ad circumaspergendum vtimur, significat: & vas aqua sacra plenum, qua aspergi solent qui templum ingrediuntur, vt pluribus probatur 3. to. thesauri Græci, in voce περιρρηθιον. Ammiotus homo in primis Græcis litteris eruditus in vita Syllæ, dū Plutarchus agit de Lucio Catilina, qui post fratris, ac Marij cædem manus abluerat τὸ ἐξ περιρρηθίου τὸ ἀπόβλῳος. Porro aquam sale aspersam benedicere, eaq. populum Christianum aspergi, licet hoc in vsu esset etiam a tempore Apostolorum tamen id præcepit Alexander Papa, quintus a Petro epist. 1. can. aquam de consecr. dist. 3. Damasus lib. pontific. cap. 7. Raban. lib. 2. de inst. cleric. cap. 55. Vualfridus Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 29. Ado Treuensis in martyrologio ad 7. Non. Maij. Sigibertus ad annum Domini 588. Micrologus de Ecclesiast. obleruar. cap. 41. & 46. Porro singulis diebus Dominicis sacerdos Missæ parochialis sacrum facturus, aquam sale aspersam benedicendo renouare debet, eaq. populum aspergere Concil. Mediolan. 3. quod Borromæus Cardinalis, Ecclesiæ decus, ac lumen habuit anno 1573. capit. quæ ad sacramentalia pertinent. In eandem sententiam extat Caroli Magni constitutio libro 5. cap. 220. vt omnis presbyter die Dominico, cum psallente circumeat Ecclesiam suam vna cum populo, & aquam benedictam secum ferat. Huius vero aquæ benedictæ virtus, varijs miraculis illustratur. Theodoret. lib. 5. cap. 21. & lib. 9. histor. tripart. cap. 33. Nicephor. lib. 12. cap. 27. & alij complures commemorant Marcellum Apamearum Episcopum aqua benedicta dæmonem fugasse, qui euerisionem delubri Iouis præpediebat. Aliud insigne miraculum profert Epiphan. lib. 1. tom. 2. in hæref. Ebionitarum, de Iosepho quodam comite Christiano, qui cum instaurare vellet Hadriani templum in honorem Christi, egeretq. calce; & caminos, seu fornaces fieri iussisset, callidi Iudæi præstigij, & incantationibus ignem ligare, ac dispergere aggressi sunt. At Iosephus aqua benedicta singulas fornaces respersit, subitoq. præter opinionem omnium dissoluta sunt incantamenta, ignisq. coram omnibus emerit: Turbæ vero, inquit Epiphan. clamore edito, vnus Deus qui auxiliatur Christianis, secesserunt. Alterum miraculum extat apud S. Hieronym. in vita Hilarionis de Italo Christiano aduersus Gazensem Duumuirum. Quartum apud S. Gregor. libro 1. dialog. cap. 10. de Fortunato, qui aqua benedicta coxam sanauit. Amplius mulier, quæ videbatur in equam conuersa, vi aquæ benedictæ in formam pristinam restituitur. Palladius histor. Lausiac. in vita abbatis Macharij. Rursus aqua benedicta expulsas locustas narrat Theod. in religiof. histor. cap. 8. legimus Chrysofom. aqua ab Episcopo benedicta semel

atque

atque iterum febrè, diffenteria, alijsq. periculosis morbis affectos curasse. Georg. Archiepiscop. Alex. in vita S. Chrysofom. Beda lib. 5. histor. cap. 4. scriptum reliquit nobilem feminam graui morbo laborantem, aqua benedicta conualuisse. S. Bernard. in vita Malachiæ, narrat Malachiam aqua benedicta freneticum hominem curasse. Petrus venerabilis lib. 1. de miraculis cap. 7. dæmones aqua benedicta fugatos commemorat. S. Clemens lib. 8. confit. apost. cap. 29. meminit sanctificationis seu benedictionis aquæ. Deinde enarrat vim benedictionis his verbis: Tribue ei vim sanandi, & depellendi morbum, fugandi dæmones, idq. per Christum spem nostram. Quibus verbis aquæ benedictæ virtutes indicantur: ibiq. Turrianus, & lib. 3. pro episto. Pontificum cap. 9. Quibus arguitur Flagellantium, & Lollar-
dorum hæresis, qui negabant aquam benedictam plus habere virtutis, quàm non sacram, seu prophanam, & aspergillum aquæ benedictæ clauem infernalem appellabant, quos impuri Lutherus, Calvinus, Heshufius, Brentius, & ceteri huius sæculi hæretici æmulantur. Eorum vero argumenta adeo leuia, & inania sunt, vt otiosum sit ea refellere. Porro obseruandum est aquam benedictam non esse sacramentum, sed quid sacramentale contra dæmones, & contra impedimenta sacramentum, necnon delere peccata leuiora, quæ venialia dicuntur. S. Th. ad 4. sentent. dist. 12. & 3. part. quæst. 65. art. 1. ad 6. & quæst. 71. art. 2. ad 3. & quæst. 87. art. 3. Hugo de S. Victor. in lib. de sacrament. Sotus ad 4. dist. 15. quæst. 2. articulo 3. Plene & luculenter Ioan. de Turrecremata in tractatu de aqua benedicta capitulo 5. 6. & 7. Ritum expiandi se aqua lustrali in veteri lege vsitatum fuisse apparet Num. capitulo 19. ibi, Et non est aqua lustrationis aspersus, a qua, vt ait quidam homo eruditus huius sæculi, sancta Ecclesia mutauit suam. Hunc quodam modo ritum & gentiles frequentabant. Ouid. libro 9. Metamorph. legitur de Alcmaone se purgante aqua. Item Virgilius 6. Aeneid.

*Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore leui, & ramo felicis oliuæ.*

Sed vt Gentilium ritum missum faciamus, huius aquæ sacræ mentio fit in lib. de morbo sacro, quem Galenus non esse genuinum Hyppocrates ait, sed memorabilis tamen viri his verbis: Deus itaque, inquit, auctor illius libri, qui maxima ac sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit, ipsiq. terminos templorum dijs designamus, vt nullus, qui non purus sit eos transcendat, & ingressi respergimus non vt inquinemur, sed siquid etiam prius scelus habemus purificemur, &c. Quare cum post institutionem Ecclesiæ aqua benedicta quodam modo saltem venialibus, seu leuioribus admixtis purificemur, non sine ratione institutum fuit vasa ista aquæ benedictæ ad ostium Ecclesiæ a latere ingredientis, vbi potest dextro collocari. In veteri testamento non nisi lotus templum ingrediebatur Exod. 30. Quo admonemur, ne illota mente in Ecclesiam introeamus, si macula in veste, aut corpore appareat, non audemus accedere: si vero sordida mens seu conscientia fuerit, nihil timemus. Ceterum vas istud aquæ benedictæ e marmore, lapideve solido non lateritio, nec spongioso fieri debet, aspergillumq. decens e labro cathenula appensum habere.

DE TVRRI SACRA, ET
campanis, seu tintinabulis.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

- 1 *Campanarum qui meminerunt nomina diuersa, nominumq. etymologia.*
- 2 *Campanarum origo vnde petita.*
3. 4. *Campanarum primus institutor fere incertus est, causa tamen institutionis optima.*
- 4 *Campanarum effectus circa tempestates & aereas potestates.*
- 5 *Campanarum describitur materia, & partium significatio moralis.*
- 6 *Campana quo sensu baptizari dicantur.*

7 Hære-

- 7 *Hereticæ Turcarum, & Sarracenorum exemplo, bellum etiam campanis indicunt.*
 8 *Gallus in summo turris sacra fastigio, Prælatorum denotat vigilantiam.*
 9 *Religiosi an plures campanas habere possint.*



DE origine, & vsu campanarum pleraque notatione digna Guilhelmus Durandus lib. 1. rational. Diuinor. officior. cap. 4. quæ totidem verbis scribit. de Selua in tract. de beneficio part. 1. quæst. 5. vasa, quibus populus ad Ecclesiam conuocatur, campanæ appellatur a Campania Italiae prouincia. Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 5. Campanarum fit mentio in cap. in causis de elect. cap. Ioannes de homicid. cap. petentibus de priuileg. capit. fin. de sentent. excommun. in 6. cap. Nimis iniqua de excessib. prælat. Campanarum meminit Beda lib. 4. histor. Anglicanæ cap. 23. Vocantur & nolæ a Nola Campaniæ ciuitate, vbi primum vasa illa fabricata fuere. Strabo vbi supra. Eoq. pertinere nonnulli putant illud Quintil. 8. instit. orat. in capitulo, Nola. Plene Cælius Rhodiginus lib. 19. lectio. antiq. cap. 11. Appellantur & signa in Concil. Cabilonen. can. solent de consecr. dist. 1. cap. 1. & 2. de offic. custod. Alcuinus de diuin. offic. capit. quid significant vestimenta. Amalar. Fortunat. libro 3. de Ecclesiast. offic. capitulo primo. Vocatur etiam tintinabula Græce *κρόνον*. Apuleius lib. 10. de asino aureo, proprio Epitheto tintinabula perarguta appellat, quasi honora obstreperat. atque vocalia. Plura de tintinabulis Rhodig. vbi supra. Appellantur item clocæ, vocabulo germanico, vt in capitulari Caroli Magni, vt clocas non baptizet, Gallice dicimus, Cloches. Originem vero campanarum nostri referunt ad tubas, quas Deus fieri iusserat. Num. 10. cap. 3. ibi: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quarum vsus erat ad vocandum cœtum, ac dum castra mouebantur. Formam tubæ exprimit Iosephus lib. 3. antiquit. capit. 11. eamq. ait desinere in extremitatem campanellæ similem. Quo tempore cœptum fuerit campanis, vt in Ecclesia Christiana, mihi nondum compertum est. Illud constat Anastasij Persæ martyris sæculo nondum fuisse campanarum, & nolæ vsus. Legimus enim in 7. Synod. Act. 4. ex lib. miraculorū. S. Anastasij martyris quod cum Cæsareæ ciuitatis reliquiæ. S. Anastasij appropinquarent, ciues omnes læritia magna perfusi surgentes subito, lignaq. sacra pulsantes obuiam facti sunt, in veneranda Deiparæ Virginis æde. Ecce ligna sacra pulsabantur in processibus. Additur enim illinc cum cruce, & supplicatione egressi læti, & c. Vulgo fertur Paulinum Episcopum Nolanum nolæ vsus in Ecclesiam intuuisse. Plane campanæ siue nolæ institutæ fuerunt ad conuocandam ad sacra plebem, vice tubarum testamenti veteris. Neque enim sine aliquo tinnitu, aut bombo admoneri potest populus ad sacram rem peragendam, & audiendam sacram concionem. Nullum autem instrumentum commodius reperiri potuit ipsis campanis, ad quas pulsandas magna arte, vel industria opus non est, earumq. bombus longe, lateq. diffunditur. Quare ad horas canonicas Sabinianus Pontif. constituit pulsari campanas. Martinus Polonus in Sabiniano quod vsu testatur receptum lib. ordinis Rom. cap. 1. de offic. custodis. Apparet etiam ex Concil. Tollet. cap. 2. de offic. custodis, & ex cap. studeant in prima compilatione, quod prætermissum, est in Gregoriano, & can. presbyter dist. 11. ibi: Et signis designantibus. Fascicul. tempor. Anselmus Ryd. in catalogo ann. Glo. in cap. 1. de celebr. Miss. Pulsantur & ad Missam publicā. Alcuin. de diuin. offic. cap. de sabbato sancto Paschæ. Amplius credunt catholici campanarum sonitu, & aerem caliginosum discuti, tempestatesq. arceri, & nequissimas potestates aereas expelli atque exturbari. Concil. Colonien. cap. 14. Quod si qui hæc irrideant, irrideant & Deum ipsum qui Num. 10. diserte ait, se excitari ad misericordiam tubarum clangore, ibi: Clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Quo argumento eorum etiam error conuincitur, qui vocales orationes repudiant. Si enim Deus tubalibus vocibus excitari a nobis vult, cur non magis vocalibus precibus? Paulus Grillandus in tractatu de sortilegijs prodidit dæmones mulieres quasdam ducentes, audito campanæ sono ante diluculum eas deseruisse, fugamq. arripuisse. Hoc loco missa facio, quæ ex Ouidio, Aphrodisæo, & alijs quibusdam prophanis auctoribus adferri possunt de aeris tinnitu, quo manes domo alijsq. ex locis exigi posse profani quidam crediderunt. Pulsantur etiam campanæ, ait Albertus pius ad finem lib. 7. In exequijs, & iussis defunctorum, vt excitentur, & præmoneantur nedum necessarii, sed & ceteri ciues, ad præstanda officia defunctis, eorum opem implorantibus, ac si dicerent: Misere mei, saltem vos amici mei. Beda lib. 4. cap. 23. tintinabulis,

bulis, vel campanis populum conuocari solitum ad funerum deductionem prodidit. Porro campanæ fiunt ex metallo æris. Æs est metallum durabile, & sonorum, habet campana interius plectrum ferreum, quo tunditur, vt audiatur, oraq. prædicatorū noui testamenti significat, quæ plus durat, quam tubæ veteris testamenti, & altius resonant. Tempore Iudæorū natus erat tantum in Iudæa Deus, at nunc in omni terra. Vas metalli æris ora concionatorum significat: ferrum interius linguam eorum, per funem intelligimus mēsuram vitæ nostræ: Funis ad manus sacerdotis pertransit. Scriptura enim ad opera sacerdotum debet transire, de qua Greg. in lib. de ædificat. templi. Quisquis hanc legit, in ipso recogitet quantū ad bona opera sit erectus, quando deorsum trahit, id considerat, quantum iaceat adhuc in prauis. Hæc pluribus verbis enarrant Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. & Duran. in Ration. lib. 1. c. 4. Rupertus Tuitien. lib. 1. de diuin. off. c. 16. quo loci addit trinum sollempnis diei classicum, id est matutinum, vespertinum, & quod ad Missæ pulsatur initium imitandum a choro Angelicorum prædicatorū, vt semper illi prædicent lamentationes præsentis vitæ, & armene future gehennæ. Baptizantur autem campanæ, seu benedicuntur ex sententia patrum Concil. Colon. c. 14. vt sint tubæ Ecclesiæ militantis, quibus vocetur populus ad conueniendum in templum, & audiendum verbum Dei. Item vt dæmones tinnitu campanarū; Christianos ad preces concitantū, terreantur. Formula vero baptizandi, seu benedicendi campanas antiqua est. Ea enim exarata legitur in lib. ord. Rom. cuius etsi auctor ignoretur, tamē hunc librum antiquissimum esse constat. Illius enim Alcuinus mentionem facit dicens: Neque nouum videri debet, campanas benedicere, & vngere, eisq. nomen imponere. Nā & Genes. 28. Iacob memor visus scilicet, ad cælum vsque pertingentis, tulit lapidem, quem capiti suo supposuit, & erexit in titulum, fundendo oleum desuper: appellauitq. nomen Urbis Bethel, quæ prius Luza dicebatur. Quod vero in capitulari Caroli Magni, clocas baptizari vetatur, Vitus Amerbachius interpretatur prohiberi superstitionem, non vero legitimā, & Ecclesiasticam benedictionem, vel consecrationem. Nec enim baptizantur baptisimo, quo remissio peccatorum confertur: sed quia cultui diuino dicantur: necnon ad abigendos & propulsandos malignos spiritus, visum est patribus eas lauare, benedicere, & vngere, vt & vestimenta Ecclesiastica, & complura alia, de quibus alibi. Templū baptizari dicitur ab Iuone serm. de sacram. dedicat. Ipsum templum primum suo modo, & suo ordine baptizamus. Eos vero qui campanas pulsant, congruit superpelliceis indui, vt in Concil. Colon. par. 3. c. 31. Sane huguenoti, & ceteri huius sæculi hæretici, campanis bellum indixerunt. Eas enim frangunt, & comminuunt, sarracenos imitantes, qui vt Platina, in Urbano 3. scripsit, capta Ierosolyma, cāpanas imprimis e sacris turribus deiecerunt. Turcæ quoque, auctore Cuspiano de religione Turcarū, vsus campanarum nequaquam admittunt. Illis etiā ipsis Christianis, qui sub ditione eorum viuunt, prohibent. Porro supra pinnaculum turris, Gallus effingi solet, ad prælatorū, & Curionum alliciendā atque excitandā vigilantia: inde Alciatus in Emblemate:

*Instantis quod signa canens, det gallus Eoi,
 Et reuocet famulas, ad noua pensa manus.
 Turribus in sacris, effingitur, Aerea mentem,
 Ad superos peluis, quod reuocet vigilem.*

Illud denique obseruandum est, non licere campanas habere in oratorijs priuatis, d. c. patentibus de priuileg. An vero Religiosis, præsertim ordinis prædicatorum, liceat habere plures campanas, tractant plene, & luculenter Oldrad. Concil. 228. & Alberic. in dictionar. in voce Campana. Sane in constitutionibus fratrum dicti ordinis, expressum videtur, non licere fratribus habere præter vnā campanam, ad omnes horas. Verum huic constitutioni derogatum fuisse, generali consuetudine monet Vincent. de castro nouo, quondam Generalis illius ordinis, in declaratio. ad capit. 1. dictar. constitutionum.

D E C O E M E T E R I I S C A P V T V I G E S I M V M T E R T I V M.

- 1 *Cæmeterium vnde dictum.*
 2 *Mortui dormire dicuntur, & mors somno comparatur.*
 3 *Cæmeterij varia nomina.*
 4 *Cæmeteria quando ab ecclesijs distingui ceperunt.*

- 5 Mortuorum corpora, an in Ecclesiis sint sepultura mandanda.
 6 Constantinus, alijq. Constantinopolitani Imperatores, in qua Ecclesiæ parte sepulsi fuerunt.
 7 Consuetudo sepeliendi in Ecclesiis.
 8. 9 Cœmeteria alia in urbibus, alia extra vrbes fieri solita.
 9 Cœmeteria consecranda.
 10 Sepeliendi ritus sollemnes, ab ipso Ecclesiæ exordio, in usu fuerunt, & quoniam illi fuerint.
 11 Exequia mortuorum, ob quem finem sint.
 13 Sepultura carere apud veteres, graue videbatur.
 14 Sepeliendi ritus accurate percensentur, & patrum testimonijs confirmantur.
 15 Copiata, & sandapilarij.
 16 Hæreticorum signenta de exequijs.



I O E M E T E R I A Græce κοιμητήρια, non a cimis, & sterion, vel quia ibi sunt cimices, vt Guillel. Durât. lib. 1. Ration. c. Dominicus Geminianus, & Hugutio crediderunt. Verum a κοιμάω seu κοιμάομαι dormio κοιμηθῆναι sopiri, dormire. Inde Ioan. 11. λάζαρος ὁ φίλος ἡμῶν κοιμήθη. Lazarus amicus noster dormit. S. Paulus 1. ad Cor. 15. πάντες μὲν ἐκοιμήθησονται, non omnes quidem dormiunt, & 2. ad Thessal. c. 4. περὶ τῶν κοιμηθέντων, de ijs qui obdormierunt. Strabo lib. 1. de reb. Ecclesiast. c. 6. apud Athenum lib. 4. c. 5. Domus in qua hospites dormire solēt, a Cretensibus cœmeterium appellatur. εἰς δὲ πανταχῆ κατὰ τὴν κρήτην οἶκοι δύο ταῖς συσσιτίαις ὄντων μὲν καλεῖσιν ἀνδρείων τὸν δὲ ἄλλον ἐν ᾧ τὸς ἕνας κοιμίζουσι κοιμητήριον προσαγορεύουσι. Quare loca, in quibus Christiani sepeliebantur, religionis nostræ primarij, cœmeteria quasi dormitoria appellarunt. Dormire enim, Christiani mortui dicuntur, passim in nouo Testamento: Lazarum Christus dixit dormire, cum tamen obiisset. Io. 11. Eos qui mortem obierunt, S. Paulus, non mortuos, sed dormientes appellat ad Thessal. 4. Vbi Hieron. ait: Eos dormientes appellari, quia certum est eos resurrecturos, vel, vt ait Aug. ep. 122. & alij quibusdā locis, propter futuram resurrectionem velut euigilationem. Vnde, inquit, Aug. eo. loco, ille confanguineus lethi sopor etfi aduertat, multa inuenies etiam in sæcularibus litteris, vbi mors somno comparatur. Apollinarius ad c. 3. Iob enarrans verba illa: Nunc sopitus tacerem dormiens. Dormitionem & somnum mortem dicit, ab imagine nomen mutuatus, aut etiam hoc appellat vocabulo, ob spem resurrectionis. In Christianis, ait Hieron. ep. 29. ad Theodorā, non est mors, sed dormitio, & somnus appellatur. Vnde & S. Apostolus vetat de dormiētibus contrifari. S. Chrysoft. hom. 21. ad pop. Antioch. Mors non est mors, sed somnus & dormitio tēporaria: quod & repetit hom. 69. Cœmeterium appellatur etiam πολυάνδριον, quasi plurimorū hominū sepultura, vel auctore Hieronymo c. 10. Matt. Tumulus mortuorū. A Plutarcho lib. de Homero, & Catulo, sepulchretum. Antiquitus in cœmeterijs vetustiores Episcopi & Synodos congregabant, & psalmos canebant, & sacramenta administrabant. S. Clem. lib. 6. conf. Apost. c. 29. Athanas. in Apologia sua. Fiebāt & conuiuia, quæ S. Aug. detestatur ep. 64. ad Aureliū. Erantq. Christianis, quod nunc sunt, templa, & orationum loca. Inde cœmeterium pro oratorio apud Cassiod. lib. 5. hist. tripart. c. 3. Itaque cū prophani Imperatores persecutionē in Christianos instaurabant, in primis eos a cœmeterijs arcere solebant, ne in vnū conuenienti facultas esset. Dum vero persecutionem intermittebant, cœmeteria Christianis restitui iubebant. Euseb. lib. 6. c. 13. & lib. 7. c. 11. & lib. 9. c. 2. In cœmeterijs fabricas materiales fuisse sacrorum mysteriorum vsibus extructas, cœmeteriumq. Ecclesiā fecisse, pluribus probat Onuphrius in lib. de ritu sepeliendi mortuos, vbi cœmeteria vrbs Romæ enumerat. Tandem, Ecclesiæ rebus pacatis ac constitutis, distincta fuerūt templa a cœmeterijs, c. 1. de consecr. Eccl. c. Si ciuitas de sent. excom. Cautumq. ne in Ecclesijs, humana cadauera tumulo mādarentur. Ea enim erat veterū patrum religio, cauere diligenter, ne intra Ecclesiam defunctorum corpora sepelirentur. Extantq. in eam sententiam. Triburiens. Nanneten. Varsen. Synodi decreta, can. quibus, can. nullus. can. præcipiendum, vbi plene Ioannes de Turrecremata 13. q. 2. Extat & Synodi Brachar. const. apud Bruchard. lib. 3. cap. 157. & Guillel. Duran. lib. de modo celebrat. Concil. general. tertia part. tit. 11. In hæc verba: Si firmissimum hoc priuilegium, vsque nunc retinent Galliæ ciuitates, vt nullo modo intra ambitum murorum ciuitatum, cuiuslibet defuncti corpus sit humatum, quanto magis, venerabilium martyrum debet reuerentia obtineri. Hæc pia maiorum institutio, a Carolo Magno, renouata & inflaurata fuit. Ansegif. Abbas c. 153. huiuscæ consuetudinis meminerūt. Oprat. lib. 3. de schismate

schismate Donatist. his verbis: Vnde proditum est, mandatum fuisse fieri: quod factum est, quando nec sepultura in domo Dei exhiberi concessa est. Chrysoft. homil. quod Christus Deus est, aduer. gentes: Constantinopol. Reges, & Imperatores, magni pendebant corpora eorum, non prope Apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliri, & hom. 66. ad pop. Antiochenum ait: Constantinum Magno honore affectum, quod pro foribus piscatoris, corpus eius sepulturæ mandatum fuerit, factusq. sit. Constant. piscatoris ianitor. Legimus Theodos. iuniorum, patrem quoque Arcadium, necnon auum Theodosium, in dextra sublimi Apostolorum, templi porticu sepultos. Niceph. lib. 14. c. 58. Prætereo miraculū infigne apud S. Greg. lib. 4. dialog. c. 53. & complura alia, quæ scripsi ad l. 2. C. de sacros. Eccles. At hodie recepta consuetudine, præter maiorum leges & instituta Christiani, nedum Imperatores, & sacerdotes, quibus postea id indultum fuit. Euagrius lib. 4. cap. 30. sed etiam laici passim intra Ecclesiam sepeliuntur, alij complures. Porro cœmeteria quædam erant intra vrbes, alia extra: De Alexandrino, Athanas. de fuga sua, De Antiocheno, Euagrius lib. 4. c. 86. De Augustodunensi, Gregor. Turon. de gloria confess. c. 74. ibi: Cœmeterium apud Augustodunensem Urbem, Gallica lingua vocitant, eo quod ibi fuerint multorum hominum cadauera funerata. Extra vrbes erant etiam cœmeteria, Chrysoft. ferm. de fide & lege ait: Omnem ciuitatem, & omne castellum, ante ingressum habere sepulchra, quod in omnibus fere huius regni ciuitatibus, vsu receptum videmus. Rursus duplicia erant cœmeteria, aduenarum, & ciuium, quod ex Euagrio, lib. 4. c. 34. colligere licet. Omnia autem cœmeteria consecrabantur, ab hisq. potestæ secularis excludebatur. Iuo Carnoten. ep. 229. Greg. Turon. de gloria confess. c. 106. testatur, sepulchrorū loca sacerdotali benedictione consecrata fuisse. Hęc de sepulturæ loco. Superest de ritu sepeliendi Christianos nonnulla in medium afferre, quibus manifestum fiat quantum a veritate aberrant, qui exequiarum ritus & sollemnia irrident, & repudiant. Ab ipso Ecclesiæ exordio maiores nostri, certis & stans ritibus, Christianorum corpora, vt animæ domicilia sepeliri docuerunt, eorumq. sepulturā cum honoribus, qui haberi ijs possunt, ornarunt, S. Clemens ep. 1. ad Iacob. fratrem Domini, mortuos sepelire, & diligenter eorum exequias peragere, pro eisq. orare, & eleemosinas dare iubet. Origen. lib. 5. contra Celsum, & lib. 8. contra eundem Celsum: Rationale, inquit, animam honorare didicimus, & huius organa sepulchro honorifice demandare. S. Hieron. lib. 1. ep. 25. ad Paulam de obitu Blefillæ: De Moyse vero, inquit, & Aaron, quod eis ex veteri more sit planctus exhibitus, non mirandum est, cum & in Actis Apostolorum, iam Euangelio coruscante, Stephano fecerint Ierolymæ fratres planctum magnum, & vtiq. planctus magnus, non in plangentium examinatione, vt tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus sit. Et postea loquens de sepultura Iacob: Et planxerunt eum planctu magno, & forti nimis: Planctus iste sollempnis, non longas Aegyptijs imperat lacrymas, sed funeris monstrat ornatum. Non sunt contemnenda, & abijcienda corpora defunctorum, ait Aug. lib. 1. de ciuit. Dei c. 13. Maxime iustorum atque fidelium, quibus tamquā organa, ac vasis, ad omnia bona opera, sanctus vsus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid eiusmodi, tanto charius est posteris, quanto erga parentes maior affectus: nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ vtiq. multo familiarius atque coniunctius, quàm quælibet indumēta gestamus. Et paulo post: Vnde & antiquorum iustorum funera, officiosa pietate curata sunt, exequiæ celebratæ, & sepultura prouisa, ipsiq. dum viuerent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filijs mandauerunt, & Tobias sepeliendo mortuos, Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandūq. commendat, & laudabiliter commemorantur in Euāgelio, qui corpus eius acceptum, & c. Rursus: Verum istæ auctoritates non hoc admonent, quod in filiis cadaueribus sensus, sed ad Dei prouidentia, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis astruendam. Aliibi idem August. ferm. 34. de verbis Apostoli: Sed pro viribus cura sepeliēdi, & sepulchra construendi, quia & hæc in scripturis sanctis, inter bona opera deputata sunt. Et postea: Impleat hæc homines erga suos officia, postremi muneri, & sui humani lenimenta mœroris. Quare sepultura carere, antiquius graue iudicatum est, Genus animaduersionis, auctore Olympio in capitulo 15. Iob. Regi Hieroboam quia idola coluerat, prædixit Deus 3. Reg. cap. 14. animaduersiones, & supplicia, quibus in eum vsurus erat. Qui mortui, inquit, fuerint, de Ieroboam, in ciuitate comedent eos canes: qui autē mortui fuerint in agro, vorabūt eos aues cæli. Ecce reputatur inter grauissima supplicia, honore carere sepulturæ: Ioran quoque,

quoque, quia in vijs patris sui Iosaphat minime ambulauerat, mortuus est infirmitate pessima, & non fecit ei populus, secundum morem, exequias, sicut fecerat maioribus eius. 2. Paralipom. c. 21. Cæsarij corpus cum pompa elatum fuisse, scribit Gregor. Nazianz. orat. 7. in laudem Cæsarij: Sepulturæ honorem, omnibus debitum ait Bachiarius, qui tēpore Aug. floruit, ep. ad Ianuar. de recipiendis lapsis. Pium esse, cum triumpho fideles sepeliri, innuit Victor. Viticen. lib. 1. de persecutione Vuandal. dum de S. Armoga loquitur. Plura de commendatione sepulture S. Th. 2. 2. q. 32. art. 2. Itaque prætermittis, quæ de sepulchris Ethnicorum, eorumq. ritu, in sepeliendis, & ornandis cadaueribus adferri possent, quæ pluribus Claudius Guichardus, & alij complures persequuntur. Quod ad sepulturæ Christianorum sollempnia pertinet, imprimis postquam moriens exhalauerat animam, oculi eius occludebantur. Dionys. Alexandrinus, ep. quæ exarata est apud Eusebium lib. 7. hist. c. 17. ibi: Oculos occludere, ora obturare. Epiph. Archiepisc. Cypr. orat. de Christi sepultura: Nūquid digitis tuis, inquit, oculos Iesu, vt mortuorum de more solent, claudis? Prophani studiose obseruabāt, decedētis oculos mox claudere, Plin. lib. 11. c. 37. Nonius Marcellus legis Moenianæ meminit, in verbo Sigillare. Plura in hanc sententiam Alexander ab Alex. lib. 3. genial. dier. c. 7. ibiq. Tiraquel. Deinde corpus lauabatur. Erat sane antiquis maxima poena, foedatum mori, aut sepeliri, vt colligere licet Leuit. 20. in fine: Sanguis eorū sit super illos, vnde, morem in Ecclesia inoleuisse defunctos lauari conijcio. Act. c. 9. ibi: Quam scilicet, Tabitam, cum lauissent, &c. Defunctorū corpora, apud veteres Christianos lauari solita, indicat Tertul. in Apologet. aduersus gētes c. 42. ibi: Rigere & pallere post lauacrum mortuus possum. Indicat item Euseb. lib. 7. c. 22. ibi: Et pariter affecti stricim complexi sunt, lauerunt, & ad sepulturam ornarūt. S. Greg. hom. 39. de sorore sua defuncta loquens, ait: Cumq. corpus eius, ex more mortuorū, ad lauandum nudatum esset, Idem Greg. lib. 3. dialog. c. 17. ibi: Quem ex more lotum, & vestimentis indutum, & lib. 4. c. 16. Cumq. corpus eius, ex more mortuorum ad lauandum esset nudatū. Quibus etiam verbis vitur, eo. lib. c. 27. Beda de exequijs S. Guthberti, testatur Guthbertum vita functum, a nauigantibus in insulam delatum, toto corpore lauatum, &c. Eum morem Gallos præcipue retinuisse testatur Greg. Turon. lib. de glor. confess. c. 104. vbi ait: Pelagiā vitam functam ablūtā fuisse iuxta morem, ac deinde collocatam in feretro. Idem Greg. in vitas patrū c. 9. 10. 13. & 20. Sāctos Patroclum, Feriardum, Lupicinum, & Leopardū, post obitum ablutos fuisse cōmemorat Eginartus, in vita Caroli Magni, corpus Caroli Magni sollempni more lotū scribit. Vngebantur item corpora. Prud. in cathemerinon in hymno ad exequias defunctorum:

*Asperaq. myrrha sabao
Corpus medicamine seruat.*

S. Greg. in Cantica c. 1. enarrās verba illa: Fasciculus myrrhæ, ait Mortuorū corpora myrrha condiri solere, ne putrescant. Ethnici quoque vngebant defunctorū corpora, habebantq. ministros, qui huic muneri incumbebant, hos pollinctores appellabāt, quasi pollutorum vnctores, ait Fulgent. ad Calcidium de prisco sermone. Vnde Apuleius in Hermagora, pollinctor eius funeri, dum vnctionem parat. Pollinctorum meminerūt Sueto. in Domitiano, Appian. lib. 4. de bello ciuil. Martial. lib. 10. Nonius Marcel. de propr. ferm. Vlpian. in l. Cuicumque. §. idem ait. ff. de inst. act. Tertul. in Apologet. c. 13. & aduersus Gnosticos c. 7. Corpora mūdāta, & vnctā, candido linteamine obuoluebantur. Corpus Christi linteo obuolutū, caput eius sudario obuolutum, secundum consuetudinem Iudæorum testatur S. Io. c. 19. Dionys. Alexadr. ep. ad fratres, quæ extat apud Eusebiū lib. 7. c. 17. agens de charitate Christianorum, flagrate pestilentia, ait: Quin etiam Sanctorum corpora, manibus erectis supinisq. excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadauera, deceter ornare, illis adherescere, amice complecti, lauare accurate, & linteo funebri inuoluere non grauati sunt. Item S. Hieron. ep. 49. ad Innocentium, de muliere septies ista: Clerici, quibus id officij erat, cruentum linteo cadauer obuoluerunt, &c. S. Athanas. in S. Antonij vita: Mos etenim Aegyptijs est nobilium & præcipue beatorum martyrum, corpora linteamine quidē obuoluere, & studium funeris solitum non negare, &c. Prudent. hymno ad exequias defunctorum.

*Candore nitentia claro,
Prætere linteā mos est.*

Defunctorum corpora apud Ethnicos albis vestibus induebantur. Plutarchus in problem. Rom. q. 26. ibi: Aut sicut defuncti cadauer albo inuoluunt tegmine. Post hæc corpus lotum, vnctū, & syndone obuolutum, ac loculo conditū, veteres in coenaculis seu triclinijs exponabant. Act. 10. Cū Tabitam lauassent, posuerunt eā in coenaculo. Quod Tolosa obseruatur:

Verum

Verum Lutetiæ, vbi quis extremum vitæ spiritum edidit, cadauer in vestibulo ædium ad ianuam ipsam vulgo collocari solet: quod nonnulli, ad consuetudinem Ethnicorum referunt. Moris enim erat & apud Græcos, & apud Romanos, cadauer ad ianuam deponere. Quod eruditi quidam huius ætatis ex Sueton. in Augusto c. 1. Homer. Iliad. 7. Virgil. Aeneid. 11. Luciano, & quibusdam alijs adnotarūt. Ego vero, illud Lutetiæ vsu receptum existimo, quo & mortis, quæ propter incertos casus quotidie imminet, prætereuntes reminiscantur, & ad preces pro defuncto excitentur: hæc quasi per transfennam. Pelagia, apud Gregor. Turon. de gloria confess. c. 104. postulabat a filio, ne eam ante diem quartum sepeliret, vt videntes famuli, & famulæ viderent: additq. Gregor. eam defunctam ablutam fuisse, & locatā in feretro, atque in Ecclesiam deportatam: feretrum vero ligneum est, ait Ambros. in c. 2. Lucæ, propter spem resurgendi. Lignum enim, ait ille, etsi antea non proderat, posteaquam tamen Iesus id tetigit, proficere cœpit ad vitam. In nobilibus, aureum velamentum super feretrum, quo corpus obtegeretur, apponi consuetum indicat. S. Hieron. lib. 1. ep. 25. ad Paulam super obitu Blesillæ: Ex more parantur exequiæ, & nobilium ordine præeunte, aureum feretro velamen obtenditur. Ornabantur etiam pretiosis vestibus cadauera, Orig. lib. 1. comment. in Iob. Euseb. lib. 7. c. 16. de Marino Asterio agit, quod tamē S. Hieron. in vita Pauli eremite, ad finem minime probare videtur, his verbis: Parcite quæso vobis, parcite saltem diuitijs, quas amatis, cur & mortuos vestros auratis obuoluitis vestibus? cur ambitio inter luctus, lacrymasq. non cessat? an cadauera, diuitum nisi in serico putrescere nesciunt? & c. Sane in Pontificum, Regum, & Principum exequijs pretiosæ vestes, & complura alia, quæ ad splendore, & pompam pertinent, non improbat, de quibus plenissime Marcellus lib. 1. sacrar. cerem. sect. 15. & Guichardus lib. 3. c. 12. Deinde mortuum corpus e domo ad sepulturam effertur. Ad eum vero vsu antiquitus destinati erant iuuenes Actor. c. 5. ibi: Intrantes iuuenes inueniunt Saphiram mortuam. Et paulo antea: & efferent te. Postea instituti fuere copiatæ, quorū meminit Epiphanius in compendiaria vera doctrina de fide catholice, & Apostolice Ecclesie lib. 3. tom. 2. quo loco quidam opiatas interpretatur laboratores, qui corpora eorū, qui obdormierant in Domino, curare solebant. Copiatarum etiam meminit Iustinianus nouell. 59. de exequijs quas fieri oportet. Quo loci Iustinianus decanos copiatas appellat: Interpretis vertit laboratores. Ij & sandapilarij vocabantur, de quibus Sidonius Apollin. lib. 2. epist. 8. Hanc non vespillonum, sandapilariorumq. ministeria ominosa tumulauere. Horum etiam Iuuen. & Martial. mentionem faciunt. Dicti autem sunt sandapilarij, quia sandapilam ferebant. Stenlibrotus de morte Pollicratis Samiorum tyrāni: Posteaquam, inquit, de cruce depositus, sandapila etiam deportatus est. Appellantur etiam & vespillones Sueton. in Domit. c. 17. Corpus eius sandapila populari per vespillones deportatū, dicebāt, & lepticarios, necnon decani, quia in decurias distincti erant, nouella 43. Sepulturæ certæ magnam curam, & rationē Christiani Imperatores habuere. Constantinus instituit, vt essent quingentæ, & quinquaginta officinæ ab omnibus vectigalibus liberæ, & immunes, quæ ad rem funerariā suppeditarent tot lepticarios, decanos, copiatas, & libitarios, quod & Arcadius, & Theodosius confirmarunt. I. non plures. C. de sacrosanct. Eccles. Tandem Anastasius, & officinarū, & lepticariorum, & decanorum numerum auxit, quem secutus est Iustinianus dicta nouell. 43. ac deinde Leo philosophus, nouell. 12. Epiph. scriptum reliquit lib. 3. to. 1. hæref. 76. Georgiū Alexandrinū Episc. lepticas excogitasse corporibus eorum qui efferuntur ad numerū certum facere, ita vt sine ijs nō liceret efferre corpora mortuorū, maxime peregrinorū, idq. non propter hospitalitatē, sed quæstus gratia. Legimus S. Basilium sanctorum manibus elatū fuisse. Greg. Nazian. orat. 20. in laudem Basilij ad finem. Item Greg. Nyssen. ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ. Cum autem, ait, hæc ita cōstituta studiose gererentur, ego feretrum subiens, illum aduocauit, vt alteram partem sustineret. Posteriores vero feretri partes subierunt alij duo de clero insignes viri. Quibus verbis innuitur, clericos, eosq. insignes feretrum deferre non abhorruisse. Paulam translata fuisse, Episcoporū manibus ceruicem feretro subijcientibus, scribit S. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustoch. Dum autem funus efferebatur, faces præferebantur. Niceph. lib. 2. c. 22. De exequijs B. virginis agens, ait: Cereis ardentibus, floribusq. sparsis, atque Angelis cælitus feretrum, vel præeuntibus, vel stipantibus, vel etiam consequentibus diuinis patribus, & Apostolis mirifica quædam carmina concinentibus, intellectualis illa, atque spiritualis arca ex Sion in Getsemani, Apostolicis eam gestantibus manibus fertur. Circum funus Constantini accensa fuisse lumina, super aurea candelabra memoriæ prodidit Euseb. libro quarto, de vita Constant. capitulo 66. Constantij

corpus delatum fuisse nocturnis cantionibus, ac cereorum ignibus. Greg. Nazianz. inuest. 2. in Iulianum commemorat, additq. Christianos his officijs pium e. vita discessum ornandum existimasse. Constantius presbyter in vita S. Germani Episcopi Antiochoreni. apud Surrum, testatur circa finem, Gallos funus honorifice curasse, & multitudinem luminum splendorem sibi etiam per diem vendicantem, repercusso Solis radio, refulsisse. Idem Gregor. Nazianz. orat. 10. in laudem Cæsarij: Cæsarius, inquit, ad martyrum sacraria cum pompa ductus, sanctis parentum manibus honoratus, materna cereorum gestatione pietatem moerori subrogante, vbi Bilius. Præterea S. Chrysof. ho. 4. in c. 2. ad Hebræos: Dic mihi quid sibi volunt istæ lâpades tam splendide? nonne sicut athletas mortuos comitamur? quid etiam hymni? nonne vt Deum glorificemus? Gregor. Turon. lib. 8. cap. 10. testatur, Dodonæi corpus a rege Gontiano cum clero, & populo, & cereis terræ redditum fuisse. Theodor. lib. 5. histor. Ecclesiast. cap. 26. narrat, dum corpus S. Ioannis Chrysof. Constantinopolim traducebatur, fideles Bosphori ostium ad Propontidem situm luminaribus cooperuisse. Neque aduersatur Concil. Elibertinum can. 34. quo vetatur, cereos per diem in cetero accendi. Inquietandi enim non sunt spiritus sanctorum. Nam præter ea, quæ de fide, & auctoritate huius Concilij in cap. de Imaginum vsu, & veneratione, & alibi monui, prohibetur accendi cereos ex superstitione gentilium. Quorum superstitionem spiritus fidelium dolenter ferebant, eoq. nomine inquietari dicuntur. Nam & eo Concilio pleraque alia prohibentur ad extirpandas, & funditus tollendas Gentilium superstitiones, quas noui Christiani illis Hispaniæ locis tum retinebant. At nos cereos accendimus non ex superstitione, sed ad significandum animas viuere, & defunctos filios lucis, ac eorum corpora resurrectione. Prophanos protulisse, faces in funeribus, apparet ex Cornel. Tacit. libro 3. histor. August. Dies, quo reliquiæ tumulo Augusti inferebantur, modo per silentium vastus, modo plorantibus iniquies, plena Urbis itinera, collucescentes per campum Martis faces. Et Sueton. in Callig. cap. 13. Et funus Tyberij prosequens, tamen inter altaria, & victimas ardentescq. tedas. Virg. lib. 11. Æneid. dum agit de Pallantis funere:

Et de more vetusto

Funeris rapere faces, lucet via longo

Ordine flammarum, & late discriminat agros.

Plinius lib. 16. cap. 37. scriptum reliquit, stirporum candelas funeribus seruire. Nec in fruticum, inquit, nec in veprum, cauliumve, neque in herbarum, aut alio villo, quam suo genere numerentur iure stirpis fragiles palustresq. e quibus detracto cortice candelæ luminibus, & funeribus seruiunt. Amplius clerici ordine progredientes, accensos cereos gestantes manibus funus deducebant. Gregor. Nyssen. epist. ad Olympium de morte sororis suæ Macrinæ. S. Hieron. ad Eustoch. de obitu Paulæ: Cum alij Pontifices lampades, cereosq. præferrent. Et in Epitaphio Paulæ: Sacerdotes lampades, cereosq. prætulere funeri. Imperante Iustiniano acoluthi funalia deferebant Nouell. 59. de debit. impen. in exeq. defunctor. & etiam faces præferunt: Psalmi, & Hymni a fidelibus, & viris religiosi in exequijs defunctorum canuntur. S. Dionys. de Eccles. hierarch. c. 7. Item Gregor. Nyssen. dict. epist. ad Olympium, ibi: Itaque, inquit, confluentem populum in genera distribuens, mulierumq. multitudinem virginum admiscens choro, virorum autem turbam ascribens monachorum coetui, vnum quemdam ex vtriusque studij aptum concinnumq. tamquam in Psalmos canentium congressu, ex communi omnium concentu apte coniunctum ordinem constituere. Et paulo post: Surgens qui ei regioni præfectus erat Episcopus, Araxius nomine, aderat enim cum vniuersa multitudine sacerdotum, &c. Quibus verbis apparet, sacerdotes interfuisse officio funeris, Psalmosq. in exequijs cecinisse. S. Clemens lib. 6. const. apostol. cap. 29. Proq. fratribus nostris, qui in Domino obierunt, & acceptabilem Eucharistiam offerre in Ecclesijs, & ceteris vestris, atque in exitu mortuorum psallentes, eos deducite. Gregor. Nazianz. orat. 10. in laudem Cæsarij, ibi: Psalmidijs luctum sedantibus. S. Hieron. in vita S. Pauli eremitæ, narrat S. Antonium obuoluto, & prolato foras corpore S. Pauli, Hymnos, & Psalmos de Christiana traditione decantasse. Idem Hieron. ad Eustochium de obitu Paulæ, & in epitaphio Paulæ, necnon ad Oceanum de funere Fabiæ, psalmorum cantum in funere personasse commemorat. S. Chrysof. homil. 70. ad populum Antiochenum: Quanam de causa, quæso, presbyteros vocas, & psallentes? nonne, vt te consolentur? nonne, vt defunctum honorent? Idem Chrysof. hom. 4. in cap. 2. ad Hebræos: Cogita, quid psallas in illo tempore. Reuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi: & iterum,

rum, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Et iterum: Tu es refugium meum a tribulatione. Et paulo post: Pro qua re, dic mihi, presbyteros vocas, & psallentes? nonne, vt consolationem recipias? nonne, vt honores discedentem. Et hom. 6. de pœnit. circa principiu: Diluculo quaruntur hymnoru modulationes, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. Si pompæ in funeralibus defunctoru, & primus, & medius, & nouissimus est, &c. Et ho. 70. ad popul. Antioch. Quid autem hymni? nonne glorificamus Deum, & illi gratias agimus, quia iam defunctum coronauit, absoluit a laboribus, & ab incertitudine sublatum penes se retinet? Nonne hymni propterea? nonne propterea psalmodiæ. Et hom. 61. in c. 12. Ioannis docet, honorem, qui haberi debet defunctis, non esse fletum, non eiulatum, sed hymnos, & psalmos, & optimam vitam. Quæ verba mutuatus videtur a Basilio Seleuciæ Archiepiscopo in concione de Lazari exsuscitatione: Enimvero ait Basilius: Luctus, & femineus ululatus non cedunt in vsu, & honorem vitæ defuncti: sed hymni, & psalmi, & vita quam honestissime instituta. S. Aug. lib. 9. confess. c. 12. de funere matris agens ait: Psalterium aperuit Euidius, & cantare coepit psalmum, cui respondebamus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem quid ageretur, conuenerunt multi fratres, ac religiosæ femine, & de more illis, quoru officium erat, funus curantibus, &c. Iustiniani sæculo Ascetria seu sanctimonialia, dum corpus efferebatur, psallere consueuerant, Nouell. 59. de debita impensa in exequijs defunctor. Victor Episc. Vticens. lib. 1. persequit. Vuadal. Quis vero, inquit, sustineat, atque possit sine lacrymis recordari, dum præciperet nostrorum corpora defunctorum sine sollemnitate hymnorum cum silentio ad sepulturam perducere? Synesius Ptolemaidis Episc. ep. 5. ad Episcopos: Admoneo igitur omnem priuatum, ac Magistratum, ne testu cum illo, neque mensam communem habeant. Sacerdotes autem vehementius, qui neque viuentes eos alloquantur, nec mortuorum funus ducant, vel neque mortuos vna deducant. Sane pro his, qui sibi mortem conscuerunt, item pro cathecumenis prohibetur, in oblatione commemorationem fieri, vel cum psalmis ad sepulturam eorum cadauera deducere. Concil. Bracaren. 1. cap. 34. & 35. Porro obseruandum est, nedum psalmos cani consuetum, dum funus ducitur, sed etiam nocte, quæ præcedit funus, veteres vigilasse, nocturnasq. vigilias canendis psalmis egisse. Greg. Nyssen. ep. ad Olymp. de morte sororis suæ Macrinæ: Cum igitur, inquit, nocturna peruigilatio, vt in martyrum celebrate, canendis psalmis perfecta esset, & crepusculum aduenisset. Hinc vigilia mortuorum. Tolosæ interdiu vigilia mortuorum canuntur a monachis circum corpus in ædibus defuncti. Petrus Damianus ep. 5. c. 6. ibi: Cadaver exanimatum, iuxta morem atque constrictum fratribus circumquaque psallentibus in pheretru iacuit. Ecce psallendi morem circum pheretrum, in quo iacet cadaver. Has fere omnes ceremonias percenset S. Epiph. Archiepisc. Cypr. orat. de Christi sepultura his verbis: Numquid digitis tuis Iesu oculos, vt mortuorum de more solent, claudis? Numquid manus illius componis, qui manus aridas extendit? Et paulo post: Numquid in pheretrum eum subleuas, qui paralytico vt sublato grabato abeat, mandat? Numquid vnguenta illi depromis, & effundis, qui se totum exinanauit, sanctiq. Spiritus vnctione vniuersum mundum sanctificauit? Et postea: An ne aqua Dei illius corpus abluis, qui omnes a peccatis abluuit, & expiauit, omnibusq. puritatem tribuit? Cuiusmodi lampades, quæso, vero illi lumini, quod illuminat omnem hominem, accendisti? quales funebres odas illi decantasti, qui ab vniuerso cælorum exercitu citra vllam intermissionem decantatur, laudibusq. euehitur? Turba item funus comitabatur. Luc. 7. ibi: Et ecce deferebatur defunctus filius vnicus matris suæ, & hæc erat vidua: & turba multa cum illa. S. Hieron. ad Eustoch. de obitu Paulæ: Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit. Et ad Oceanum de funere Fabiæ: Iam fama volat tanti prænuncia luctus, totius vrbis populum ad exequias congregabat. Balsamon ad canon. 106. Concil. Carthag. Et ideo lampadibus, suffitibus, & magnificis congregationibus defunctum excipimus, vt qui sit per baptismum sanctificatus. Filij quoque ac necessarij, & familiares operto capite defuncti corpus sequuntur. Hoc & Romani obseruabant. Plutarch. in quæst. Rom. quæst. 14. Induebanturq. atris vestibus, præsertim apud Gallos. Gregor. Turon. libro 5. histor. capitulo 34. Hunc tamen lugubrem, & atrum amictum videtur improbare Cyprian. ferm. de mortalitate. Campanæ etiam pulsabantur, vt in capit. de campanis & nolis docuimus. Præterea conuocabantur, & inuitabantur nedum sacerdotes, & religiosi, sed & egeni, & pauperes. Origen. in capit. 3. Iob: Celebramus nimirum religiosos cum sacerdotibus conuocantes, fideles vna cum clero inuitantes, adhuc egenos, & pauperes, pupillos, & viduas saturantes, vt fiat festiuitas nostra in memoriam requiei defunctis animabus,

mabus, quarum memoriam celebramus. S. Ambros. in orat. funeb. de morte Satyri: Fleuerunt & pauperes, & quod multo pretiosius est, multoq. vberius, lacrymis suis eius delicta lauerunt: illæ sunt lacrymæ redemptrices. S. Hieronym. ad Pammachium de morte vxoris: Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq. purpureos, Pammachius noster sanctam fauillam, ossaq. veneranda, elemosynæ balsamis rigat. S. Chrysof. homil. 32. in Matth. Cur post mortem tuorum pauperes conuocas? cur presbyteros, vt pro eis velint orare, obsecras? Non ignoro te responsum, vt defunctus requiem adipiscatur, vt propitium iudicem inueniat. Et homil. 61. in Ioann. Vis mortuum honorare? fac elemosynas. Rursus homil. 27. in cap. 11. epist. 1. ad Corinth. Sed si filij, vel fratris defuncti facis commemorationem, errore concuteris conscientiæ, nisi consuetudinem impleres, & pauperes conuocares. Tandem corpus loculo conditum ad Ecclesiam defertur, vbi ait Dionys. Missa celebratur. Tertul. de coron. milit. S. Athanas. de varijs quæst. q. 34. quærit, num sentiant aliqua beneficia peccatorum animæ, cum super illis fiunt conuentus. Respondet idem Athanas. Si non aliquo beneficio participarent, ex illo non vtique cura, & exequijs fieret commemoratio. At sicut vitis florescit extra in agro, & odor eius sentit in vase vinum reclusum; sicq. conflorescit etiam ipsum. Ita intelligimus, peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione. Quibus verbis Missam, exanguem immolationem appellat. Idem Athan. Serm. de dormientibus. Si quis, inquit, diem obierit, licet in aere deponatur inhumatus, ne omiseris oleum, & ceram, inuocato Christo Deo, ad sepulchrum accendere. Et postea: Oleum enim & cera holocaustum est. Incruentæ autem hostiæ oblatio, propitiatio est. Cyprian. lib. 1. epist. 9. Non est, quod pro dormientibus eius fiat oblatio. & paulo ante: Non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. S. August. lib. 9. confess. cap. 12. Cum ecce corpus elatum est, imus, & redimus sine lacrymis. Nam, neq. in eis precibus, quas tibi fudimus, cum offerretur pro ea sacrificium pretij nostri: iam iuxta sepulchrum posito cadauere, priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet. Possidonius in vita S. Augustini: Membris omnibus, de Augustino loquitur, sui corporis incolumis, integro aspectu, atque auditu, nobis astantibus, & videntibus, ac cum eo pariter orantibus obdormiuit in pace cum patribus suis, enutritus in senectute bona, & coram nobis positus pro eius commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est, & sepultus est. Paulinus in vita S. Ambros. Lucescente, ait Paulinus, die Dominico, cum corpus illius, Ambrosij scilicet, peractis sacramentis diuinis, de Ecclesia leuaretur portandū ad basilicam Ambrosianam. Cyrill. episcopus Ierosolimit. cateches. mytagog. 5. Scio enim, multos dicere quid iuuat animam in peccatis ex hoc mundo secedentem, etiam si hoc sacrificio mentio illius fiat? An enim si Rex aliquis eos, a quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea vero illorum propinqui &c. Et postea: Ad eundem modum & nos pro defunctis preces adhibentes, quamuis sint peccatores, non quidem coronam plectimus sed Christum pro nostris peccatis maclatum offerimus. Euseb. lib. 4. de vita Constantini cap. 71. Constantinum cum Liturgia sepultum fuisse testatur. Pro cathecumenis autem, & his, qui sibi mortem consciuerunt, impeditur sanctæ oblationis commemoratio Concil. Bracaren. can. 34. & 35. S. Bernardus in vita S. Malachiæ cap. 18. Interim parantur exequiæ, offertur pro eo sacrificium, consummantur ex more omnia cum summa deuotione. Quod si post meridiem aliqui sepeliantur, cum Missa non nisi a ieiunis celebrari debeat, incruentum illud sacrificiū offerendum non est. Verum orationibus Episcoporum, ac ceterorum defunctorum commendatio fieri debet. Ceterum priusquam corpus, humo iniecta contegatur, defunctus oratione funebri laudabatur. Sanctum Melitium ab omnibus sapiētibus cum præconijs maximis sepultū scribit Theodoretus lib. 2. cap. 14. histor. Eccles. & lib. 9. cap. 13. histor. tripart. Eundem Melitiū a multis, præcipue a Gregorio Ecclesiæ Nicænæ funebribus orationibus concelebratū confirmat Nicephor. lib. 12. cap. 11. Extatq. Gregorij Nicæni in funere Melitij oratio. Extant & veterū patrū conuentiones funebres, Eusebij in funere Constantini, Nazianzeni in funere Basilij, & Cæsarij; Ambrosij in exequijs Valentiniani, & Satyri, & aliæ innumeræ. Deinde finita Missa sacerdos accedens ipsi mortuo sancte precatur, eumq. salutem vt pluribus docet sacer ille Dionys. de Ecclesiast. hierar. Sollemnibus orationibus sepeliri mortuos indicat Victor Vitien lib. 2. de persequut. Vuand. ibi: Qui nos sollempnibus orationibus sepulchri sunt morientes, quibus diuini sacrificij ritus exhibendus est consuetus. Condito, & curato funere solebant nonnulli antiquitus tumulū floribus aspergere. S. Ambros. orat. funeb. de obitu Valent. Non ego floribus

ribus tumulum eius aspergam: sed spiritum eius Christi odore perfundam. S. Hieronym. ep. ad Pammach. de obit. vxor. Ceteri mariti super tumulos coniugum spargunt violas, rosas, lilia, floresq. purpureos. Nonnulli sepulchris epitaphia affigebant. Prudent. in passione S. Hyppoliti:

*Innumeros cineres Sanctorum Romula in vrbe
Vidimus, O Christi Valeriane sacer:
Incisos tumulos, titulos, & singula quæuis
Nomina, difficile est vt replicare queam.
Plurima literulis signata sepulchra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.*

Cemeteria & funeris sollempnia quidam hæretici apud Bohemos improbabant. Æneas Syl. 16 uius de origine Bohemorum cap. 35. Hos Huguenoti secuti sunt, eorumq. hæresim confirmare conatur tum ex S. Chrysof. hom. 85. in cap. 20. Matt. tum ex S. Aug. lib. 1. de ciuit. Dei cap. 11. & 13. lib. de cura agenda pro mortuis, quibus locis affirmat sepulturam, & funeris pompam solatia esse viuorum, non mortuorum subsidia. Necnon ex capit. sacris de sepulturis, ibi: Cum licet non obsit iustis sepultura nulla vel vilis, impijs tamen celebris, vel speciosa non profit. Verum hæc testimonia interpretanda sunt, vt sepultura per se non sit præsidium ad salutem æternam: per accidens tamen prodesse potest propter preces amicorum, ac recordationem Sancti illius, in cuius Ecclesia sepultus est defunctus. Quod & August. lib. de cura pro mortuis agenda cap. 4. & 5. & Gregor. lib. 4. dialog. cap. 50. obseruarunt. Amplius S. Chrysof. vt ipsemet profiteretur, non damnat sepulturæ sollempnia: sed luxuriam, & superfluam ambitionem, modumq. sumptibus adhibendum suadet, ibi: In his autem & modo sumptibus adhibendo sapientia vti, perquam laudabile est. Quod vero ex Matt. 5. & 25. obijciunt, diluit S. Thom. 2.2. quæst. 32. art. 2.

DE ECCLESIARVM DEDICATIONE.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

1. Ecclesias consecrandi consuetudo, ab Apostolis deriuata: vbi varia patrum tum dicta, tum facta referuntur.
1. 4. Dedications Ecclesiarum Imperatorum optimorum factis, & ex utroque testamento petitis exemplis, & miraculis commendantur.
2. Dedications sollempnitas quoties celebranda.
3. Etyologia vnde dicta & quid significant.
5. Ecclesiarum consecratio ad Pontifices pertinet.
6. Phana apud Gentiles vnde dicta.
7. Ecclesiarum consecrandarum cause varia.
8. Ecclesias consecrandi ritus varij & singulorum causa inquiruntur.
9. Consecrari non debet Ecclesia nisi dotata.
10. Ecclesie quandoque polluuntur, aut violantur, & reconciliandæ sunt.
10. Consecratio rerum sacrarum, quid illis conferat.

ECCLIAS consecrandi consuetudo ab ipsis Apostolis vsque ad nostram manauit ætatem. S. Clemens ep. 2. ad Iacobum fratrem Domini: Ecclesias, ait, percongrua, & vtilia facite loca, quæ diuinis precibus sacrare oportet, & in singulis sacerdotes diuinis orationibus Deo dicatos statuere. Can. Ecclesias 16. quæst. 7. & can. Ecclesias de consecrat. dist. 1. & alibi ep. 3. prohibet Missas celebrare, vel sacrificare, nisi in locis consecratis, idq. Apostolos a Domino accepisse, & nobis tradidisse, additq. hæc: Nos docemus, vobisq. & omnibus tenere, & docere quibus agendum est mandamus. Euaristus papa 4. apud Bruchard. lib. 3. decret. cap. 27. iubet, omnes basilicas cum sacro Missæ semper debere consecrari. Quod si de Ecclesiæ consecratione ambigitur, a vicinis presbyteris exquirere &c. Quem can. Gratianus in can. omnes

omnes de consecrat. dist. 1. male Hyginio papæ tribuit, vt annotatur 1. tom. concil. post decreta Euaristi papæ. Urbanus papa 28. Cæciliæ domū cōsecrauit, nomine S. Cæciliæ & illic perpetuo peragūt sancta Domini mysteria vsque in hodiernum diem, in memoriam quidem martyris, gloriam autem & laudem magni Dei. Metaphrastes in vita S. Cæciliæ Marcellus pap. 31. Domum Lucinæ consecrauit. Damas. lib. pontific. cap. 21. Constantinus dedicationem sacræ ædis, quæ magnum martyrium dicitur, Ierosolymis celebrauit. Euseb. lib. 4. de vita Constant. cap. 40. Theodor. lib. 1. cap. 30. Dies autem huius dedicationis 14. mēsis Septembris ab eo tempore in Ecclesia Ierosolymitana quotannis festus est. Nicephor. lib. 8. cap. 50. Idem Euseb. lib. 10. cap. 3. scribit Christianos, Maximino e medio sublato, dedicationum festiuitates per vrbes singulas ac templorum nuper exædificatorum consecrationes celebrasse. Quod quidem spectaculum celebre appellat, & Christianis omnibus optabile, & vehementer desideratum. Quis, dicebat auctor panegyrici apud Eusebium lib. 10. cap. 4. de Constantino loquens, tam præclaris templis auguste consecratis, omnem locum, regionem, & ciuitatem tam Græcorum, quàm Barbarorum illustrauit? Dedicationis Ecclesiarum semel atque iterum meminit S. Athanas. ep. ad Constant. Imperat. vbi Arriani religiosiores hac in parte Lutheranis Athanasium insimulabant, quod in Ecclesia magna nondum consecrata Synaxes celebrasset. Quod quidem S. Athanas. non ita excusat, quasi id vtcumque liceret. Verum quod propter angustiam aliarum Ecclesiarū & nimiam populi frequentiam summa populi necessitas, & ingens periculi metus, eo renitente, facere coegisset. Huius dedicationis, ait Athanas. ead. apolog. te, imperator, auctorem esse oportet, & paulo ante: & absoluto opere agendis Deo gratis dedicationum celebrauerunt, ibidemq. pro consecratione Ecclesiæ, laudat exemplum Esdræ ex veteri testamento. Extat serm. 89. S. Ambros. de dedicat. basilicæ. Idem Ambros. lib. 1. ep. 5. verba facit de Ecclesiæ dedicatione Apostolorum nomine, & ep. 85. de inuentione corporum. S. Gervasij & Prothasij, ibi: Cum basilicam dedicassē. Extant & varij sermones S. August. de dedicat. Ecclesiarum, & in anniuersar. dedicat. Eccl. Iudas Machabæus cum Ierosolymitanū templum repurgasset, & altare nouū nouis e lapidibus instaurasset, eius ἱερουργίαν celebrauit, & quotannis eodem die celebrari mandauit. 1. Machab. cap. 4. Quod & superflite Christo Iudæi religiose seruabant: Eiq. festo Christus deesse noluit Ioan. cap. 10. Porro ἱερουργία græcum verbum vetus bibliorū interpres quandoq. vertit dedico, quādoque initio, seu innouor, quod & Quintinus obseruauit ad can. 5. synodi Gangren. Encœnia, ait Nicetas ad Gregor. Nazian. initio orat. 43. in nonam dominicam, cum de templo agitur. Prima ipsius consecratio est apud Hebræos הַנְּכִיחַ dedicationem, vel innouationem significat. Inde 2. paralip. יַחֲנִיכוּ אֶת בַּיִת הַאֱלֹהִים הַכֶּלֶךְ id est dedicauerunt domum Dei, &c. De Ecclesiarum dedicationibus agit Paulinus ep. 2. ad Delphinum 4. ad Aman- dum 11. & 13. ad Seuenum. Gelasius papa ep. 1. ad episcopos Lucaniæ, & Aprutij cap. 6. Basilicas, ait, nouiter institutas non petitis ex more, præceptionibus dedicare non audeat. Idem Gelas. cap. 27. De locorum consecratione sanctorum, quamuis superius strictim fuerit comprehensum, nobis quoque patefactum est quod absque præcepto sedis Apostolicæ nonnulli factas Ecclesiās, vel oratoria sacrare præsumant, hoc sumus tamen iudicio detestabiliore permoti, quod in quocunque nomine defunctorum & quantum dicitur, nec omnino fidelium constructiones ædificatas sacris processionibus auctoriter instituire memorantur. Felix 4. qui sedit ante mille annos ep. ad Episcopos per diuersas provincias constitutos, 2. totus est in consecratione Ecclesiarum. Tandem addit, sollempnitates dedicationum Ecclesiarum per singulos annos celebrandas esse, ipso Domino exemplum dante, qui ad festum dedicationis templi, omnibus id faciendo dans formam, cum reliquis populis eandem festiuitatem celebraturus venit, sicut scriptum est: Factæ sunt encœniæ in Ierosolymis, Ioan. 10. Item Isidor. lib. 1. de ecclesiast. offic. cap. 35. Annuas, inquit, festiuitates dedicationis Ecclesiarum ex more veterum celebrari in Euangelio legimus. Vbi dicitur: Facta sunt encœnia Ierosolymis. ἱερουργία autem festiuitas erat dedicationis templi, quasi dicas noualia. Græce enim ἱερουργία dicitur nouum. Illum enim diem, quo templum dedicatum est, Iudæi sollempniter celebrabant, & ipse dies apud illos festus habebatur. Qui licet vsus in illis exoleuit, quia caruerunt & cultu, & templo: Christiani tamen seruant morē illum patrū, in quos gloria translata videtur. Prosper Aquitanicus libro de prædictio. & promiss. par. 3. promiss. 38. refert, in frontispicio Ecclesiæ apud Carthaginem scriptum esse: Aurelius Episcopus dedica-

uit.

uit. Euodius Episcopus Ticinensis ante annos mille ad Maximū Episcopum, Ecclesiæ consecrationē laudibus effert his verbis: De æde, inquit, sacramentū, de terrena habitatione celeste collegium, de manufactis, quæ nulla possit senectute mutari (occafum enim Deo oblata non sentiunt, nec ad vetustatem tremulam; pietate fulta innituntur) stat soliditas machinæ, qua Christus ingreditur, & originariæ oblita fragilitatis S. Hieron. lib. 12. comment. in c. 43. Ezechielis: Mens iūcta Deo non vicinitas Ecclesiarum, & habitatio proxima Dei in se pro-uocat clemētiam, quin potius indignatio Dei commouetur, quando in consecratis Deo indignus habitator est. S. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 30. testatur, se dedicasse templum, quod aliquando fuerat Arrianorum, Deumq. miraculis illustribus hanc dedicationem probasse. Sigibertus anno 871. narrat Coloniam celebrata Synodo ad dedicationē Ecclesiæ a tribus Metropolitibus, Luitperto Maguntino, Bertulpho Trenirensi, Vuileberto Colonienfi, cum ab eis maior Ecclesia, quæ est S. Petri dedicanda esset præcedente nocte auditas voces malignorum spirituum, qui conquerebantur, quod a possessis diu sedibus expelli deberent. S. Athanas. in libello de passione imaginis Domini memorabilem historiam recitat de imagine Christi in ciuitate Beritho cuius mentionem feci in c. de imaginibus, additq. Athanas. ex tunc per diuersas nationes, & prouincias morem inoleuisse, vt Basilicas plurimas, vel oratoria Pontifices Christianæ legis in honorem Saluatoris mundi condere, & dedicare non desinant: subiungens antea antiquiores hoc peragere minime præsumpsisse. De templo Romanorum, quod Græce πικροδών, appellat complura Dionys. lib. 53. Plin. lib. 36. cap. 15. & nonnulli alij. Hoc templum auctore Spartiano incendio deformatum instaurauit Hadrianus, ac deinde Antoninus, vt Capitolinus prodidit. Porro templum illud dæmonibus dicatum Bonifacius 4. Pontifex in honorem B. Virginis, omniumq. martyrum, annuente Phoca Imperatore, feliciter consecrauit. Alcuinus de diuin. offic. Strabo de reb. Ecclesiast. Scotus Polonus, Platina, & Onuphrius in Bonifacio, Gotfridus, & Abbas Vspersensis in Phoca Imperat. Vulgo creditur Ecclesiam S. Dionysij prope Parisios ab ipso Christo, regnante Dagoberto, consecratam fuisse. Gaguinus lib. 3. in vita Dagoberti Regis, Chronica, Saxonica. lib. 1. cap. 32. Plane solus Pontifex Ecclesias, vel altaria consecrat. can. Nemo, can. Nullus. 8. de consecrat. dist. 2. can. perlectis, dist. 25. cap. aqua, de consecrat. Eccles. vel altar. sic & Gentiles nouell. Iustin. 67. capitulo 1. & 131. capitulo 7. S. Thom. parte 3. articulo primo, ad 4. Romanorum Pontifices templa consecrabant. Liuius libro 9. decad. primæ, dum de æde Concordiæ in area Vulcani verba facit. Flauius Vopiscus in histor. & ep. Aureliani de Palmyrenorum bonis, ibi: Ego ad Senatum scribam petens, vt mittat Pontificem, qui dedicerit templum. Idem Cornel. Tacit. lib. 4. dum agit de Plauto Eliano Pontifice. Deorum templa sana dicebantur, quod, vt Varro ait, Pontifices in sacrandō fati sunt. Nam auctore. Festo fando consecrabant. Consecrandi vero Ecclesias variæ causæ afferri solent. Prima ad effugandos dæmones, quod illustri exemplo probat S. Greg. lib. 3. dialog. cap. 30. eodemq. pertinet quod ex Sigiberto supra annotaui. Altera, vt omnes, qui ibidem deprecaturi conueniunt, ex quacumque tribulatione consolationis diuinæ beneficia consequantur, quæ omnia dignius exhibentur in locis Deo sacratis, necnon orationes facilius exaudiuntur. Vnde Reg. 3. cap. 8. Salomon, dedicato templo, dicebat ad Dominum: Erit nomen meum ibi, vt exaudias orationē, quam orat in loco isto ad te seruus tuus, vt exaudias deprecationem serui tui, & populi tui Israel, quodcumque orauerint in loco isto, & exaudies in loco habitaculi tui in cælo. Quod & oratio S. Ambros. ad finem lib. de exhortatione virginitatis in dedicatione Ecclesiæ SS. Vitalis, & Agricolæ aperte indicat: quā hoc loco exarare non erit extraneum. Te nunc Domine precor, vt supra hanc domum tuam, supra hæc altaria, quæ hodie dedicantur, supra hos lapides spirituales, quibus sensibile tibi in singulis templum sacratur, quotidianus præsul intendas, orationesq. seruorum tuorum, quæ in hoc loco funduntur, diuina tua suscipias misericordia, fiat tibi in honorem sanctificationis, omne sacrificium quod in hoc templo fide integra, pia sedulitate defertur, &c. Deinde nedum Iudæi templa dedicabant, Genes. 28. Exod. 40. 3. Reg. 8. Sed & pagani templa, & statuas dæmonijs deceptoribus, per quædam excrementa magis, quàm sacramenta, deuuebant. Daniel. 3. Quare, ait Vualfrid. Strabo de reb. Eccles. cap. 9. Non potius nos templa, & altaria nostræ religionis indicia Deo Saluatori nostro per illibata & vera sacramenta dedicare curemus, vt cum nostræ deuotionis officijs diuinæ maiestati placeamus, & ipse nos semper inuisere, & mansionem sibi in nobis facere dignetur, qui per prophetam dicit, Leuit. 26. Pauete ad sanctuarium meum, &c. Addo ex Iuone serm. de sacramentis dedicationis, quod ad commendandum baptismi sacramentum, per quod

in

in eodem templo noui populi creandi sunt. Ipsum templum primum suo modo, & suo ordine baptizamus, & deinceps multiplici sacramentorum sanctitate dedicamus. Præterea Ecclesiae consecrantur tum ad repræsentandam sanctificationem, quam Ecclesia consecuta est per passionem Christi, tum etiam ad significandam sanctitatem, quæ requiritur in ijs, qui sacramentum altaris suscipere debent. S. Th. 3. par. quæst. 83. art. 3. ad 2. Denique consecrantur templa, ut quod in templis, vel altaribus visibiliter colitur, nobis inuisibiliter compleatur. Templum enim Dei sanctum, &c. S. August. serm. 252. 53. & 55. de tempore. Quando ait Bernard. serm. 1. in dedicat. Eccles. Domus ista per manus Pontificum dedicata est Domino, propter nos (ait) sine dubio factum est, non solum qui præsentés sumus, sed & quicumque vsque in finem sæculi Domino sunt in hoc loco militaturi. In nobis proinde spiritualiter impleri necesse est, quæ in parietibus visibiliter præcesserunt. Ceterum ritus consecrandi Ecclesias exaratus legitur in libello, qui ordo Romanus inscribitur, quem librum vetustissimum esse sæpe monui. De singulis consecrationis Ecclesiarum ritibus plura. Iuo de sacram. dedic. Guilelm. Durant. in Ration. lib. 1. c. 7. de Turrecremata in can. omnes basilicæ de consecr. dist. 1. Antoninus 3. par. tit. 12. c. 6. Hostiensis, Angelus, Siluester, & ceteri in summa de consecr. Eccl. Hugo de S. Victore lib. 2. de sacram. par. 5. c. 2. & 3. Ego præcipuos dumtaxat persequar. In primis ad dedicationem Ecclesiae Episcopus inuitabat vicinos Episcopos. S. Ambr. ep. 5. ait, se & Felicem Episcopum a Bassiano ad Basilicæ dedicationem inuitatum. Gaudentius Brixiensis Episcopus, qui S. Ambrosij sæculo floruit, in tractatu excepto die dedic. Basilicæ concilij sanctorum. Deinde, inquit, ut hanc honori eorum fundare Basilicam valeremus, ipse largitus est, & hodie, ut adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Conuenerunt enim Sancti Antistites, & apostolici viri ad persoluendum beatissimis patribus, & præceptoribus suis debita deuotionis obsequium, licet importunitas Barbarorum maximam partem celebritatis dici hodiernæ subtraxerit, ne ceteri S. Antistites, quos inter futuros credidimus, aduenirent. Deinde accenduntur duodecim candelæ in circuitu Ecclesiae iuxta parietes templi. hoc ait Rhabanus Maurus lib. 2. de inst. cleric. c. 45. Duodenarium numerum exprimit Apostolorum, & Patriarcharum, quem etiam Ioannes Apost. in Apocalyp. commemorat in ædificio caelestis Ierusalem esse insignem. Vel duodecim accensa luminaria, auctore Iuone serm. de sacram. dedicat. significat quod commendanda sit lucens, & ardens apostolica doctrina. Sic, ait Iuo, cum templum a Salomone constructum, iubente Domino, fuit dedicatum, Duodecim duces eadem munera detulerunt, sed ea singuli singulis diebus obtulerunt hoc significante Spiritu sancto, quod in Ecclesiae ædificatione doctrina Apostolica vnanimis, & concors esset prædicanda, & tamen quæque gens suam prædicatorem sortitura. Hactenus Iuo Carnot. Rursus Pontifex simul cum clero, ac populo ter foris templum circumit: quod, auctore Rhabano Mauro ubi supra, nihil aliud significat, quam quod in aduentu Domini, ac sanctorum eius, qui sit per inuocationem nominis eius, sicut ipse dixit: Vbi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum. Superbia omnis, & virtus diaboli, si qua in domo latitauerat, corruat, & dissipetur, & quod secundum prophetam. Isa. 2. Exaltabitur Dominus solus in die illa, & vocabitur deinceps nomen loci illius, Dominus. Legimus etiam in Iesu Naue Iosu. 6. quod sacerdotes, & Leuitæ, atque vniuersus Israel simul cum arca Domini ciruierunt Urbem Iericho, & sacerdotibus clangentibus buccinis, & conclamante vniuerso populo subito corruerint muri ciuitatis. Quod vtiq; significat, ad vocem prædicationis, & laudis Domini post Saluatoris aduentum, superbiam mundanam corruisse, & regnum diaboli destructum esse. Amplius Pontifex ter circumeundo futuram Ecclesiam, cum accedit ad ostium, ter virga pastoralis superliminare percutit: qua ceremonia, ait Iuo Carnotens. serm. de sacram. dedicat. ostendit, quia sibi cæli, & terræ, & inferi potestas cedit. Vnde, ait ille: Et post trinam percussione ostium aperitur, quia sacerdoti potestatem suam digne conseruanti pars aduersa resistere non potest. Et paulo post: Imperat autem Pontifex demonibus seu vitijs dicendo: Tollite portas principes vestras, &c. Quæ ipsa verba transcribit Hubertus in libro de offic. dedicat. Aperto vero ostio, ut in ordine Rom. Et apud Iuon. ingreditur Pontifex cum clero, & populo dicens: Pax huic domui, quia Christus mundum ingrediens per assumptionem carnis nostræ parietem inimicitiarum peccatis nostris erectum destruxit, & pacem inter Deum & hominē, inter terrestria, & caelestia sui aduentus meditatione reformauit, &c. Post hæc ait Iuo de sacram. dedicat. Incipit Pontifex de sinistro angulo ab oriente eadem virga pastoralis in pavimento, cinere consperso, scribere alphabetum vsque in dextrum angulum occidentis, atque

atque iterum a dextro angulo orientis vsque in sinistrum angulum occidentalem basilicæ. Quid autem per alphabetum nisi initia, & rudimenta doctrinæ sacræ intelligi conuenit? vnde Paul. ad Hebr. Cum deberetis esse magni propter tempus, rursus indigetis, ut instruamini, quæ sunt elementa sermonum Dei. Scribit etiam Pontifex quasi alphabeti ordinem, cum docet, fidei simplicitatem. Nam sicut paruulorum conuenit eruditioni primæ elementa litterarum cognoscere, deinde ad syllabas, ac post verba, paulatim ad sententiarum cognitionem peruenire. Sic sunt quidam gradus intellectus in eruditione S. Ecclesiae: Quod vero ab angulo orientis sinistro in occidentalem dextrum prior versus definit, & rursus ab angulo orientali dextro versus reuertitur in sinistrum occidentalem, duplici figura illustratur. Quarum prima est, quia in tali schemate crux significatur, ut doctrinæ Euangelicæ, qua simplices imbuendi sunt, mors Christi principaliter inferatur. Vnde Paulus Corinthijs adhuc rudibus ita dixit: Nesciui me scire aliquid inter vos, nisi Christum Iesum, & hunc crucifixum. Sinister autem angulus orientalis, a quo primus versus incipit, populus intelligitur Iudaicus, ex quo ortus est Dominus. Peruenit autem vsque in angulum occidentalem, quia cum Dominus noster ex Iudæis sit ortus, fides incarnationis eius, & mortis Gentibus est suscepta. Sed cum idem versus ab angulo orientali dextro reuertitur ad angulum occidentalem sinistrum, hoc significari videtur, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit. Vtriusque ergo populi collectionem illi duo versus significant in vnam crucis compaginem. Hinc est quod Iacob filius Ioseph benedicens, & cancellatis manibus effigie crucis faciens dextram manum supra caput Effraim iunioris, sinistram super caput Manasse maioris posuit, significans, quia populus quondam dexter in sinistrum vertetur, sinisterque in dextrum. Quod verò eadem scriptura virga pastoralis peragitur, significatur, quod iste transitus de Iudæis ad Gentēs, & ea denuo conuersio, quæ in fine mundi consumenda est, per officium sacerdotum conficitur. Hactenus Iuo. Hunc quoque ritum pluribus verbis enarrant Guillelmus. Durant. in Ratio. diu. off. lib. 1. c. 6. Io. de Turrecremata in can. omnes basilicæ de consecr. dist. 2. Amplius Pontifex aqua benedicta, vino, & sale mixta cum hyssopo aspergit altare, parietes, & pavementum templi. S. Greg. lib. 9. ep. 71. Quia, inquit, fana idolorum destrui in eadem gente minime debent, sed ipsa, quæ in eis sunt, ideo idola destruantur, aqua benedicta in eisdem fanis aspergatur. Quod in visibili domo ait S. Bernard. serm. 1. in dedicat. Eccl. facit Pontifex, hoc est Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, inuisibiliter quotidie operatur in nobis. Primo siquidem aspergit nos hyssopo, ut mundemur, lauemur, dealbemur, dicaturque de nobis: Quæ est ista quæ ascendit dealbata? Et paulo post: Aspergit nos hyssopo quæ humilis herba est, & pectoris purgatiua, aqua sapientiæ salutaris, quæ est timor Domini, initium sapientiæ, & fons vitæ, etiam condimentum salis admiscens, ne sit insipidus timor sine spe, sine deuotione. Deinde ait auctor ord. Rom. Pontifex in circuitu Ecclesiae per parietes de dextro vsque in dextrum faciat cruces cum pollice de chrismate in duodecim locis, sanctificetur hoc templum in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: eaque ratione parietes Ecclesiae consecrata dicuntur ab August. lib. 4. contra Cresconium Grammat. cap. 40. in Multicana, inquit, Foelicianus positus ciuitate Deo omnipotenti parietes consecratos, Ecclesiam veneradam, quasi quadam obsessione credidit retinendam. Cruces in parietibus Ecclesiae depictas indicat Gregor. Nazianz. in somnium de Anastasiæ Eccl. esia.

*Templa ego quæ quondam, nunc alienus habet,
Inter quæ quod quadruplici crucibusq; notato
E latere eximie fulget Apostolicum.*

Triplicem autem causam, cur cruces in dedicatione Ecclesiae depinguntur, enarrat Guillel. Durant. in Ratio. lib. 1. c. 7. Hæc vero duodecim cruces, auctore Iuone ser. de sacram. dedic. de consecrato altari, chrismantur in parietibus, & typum gerunt Apostolorum, qui & primitias Spiritus acceperunt, & crucis mysterium populis, & gentibus manifestare studuerunt. Ad hanc crucium vntionem alludere videtur S. Bernard. serm. 1. in dedic. Ecclesie. Vnde, inquit: Necesse est, ut vntio spiritalis gratiæ adiuuet infirmitatem nostram, obseruantiam, & multimodæ poenitentiae cruces deuotionis suæ gratia liniens, quia nec sine cruce sequi Christum, & sine vntione, crucis asperitatem quis ferre posset. Hinc est, quod multi abominantur, & fugiunt poenitentiam, crucem quidem videntes, sed non etiam vntionem. Vos qui experti estis, ecce scitis, quia vere crux nostra inuncta est, & per gratiam spiritus adiuuantis suavis, & delectabilis est poenitentia nostra: & ut ita dicam, amaritudo nostra dulcissima. His tandem atque alijs sollēnibus peractis Pontifex Missam celebrat. Ex decreto enim Euaristi, cuius initio huius memini, omnes basilicæ semper cum Missa debent consecrari.

H

Quod

Quod & Vigilius papa confirmat ep. ad Eleuterium 1. cap. 4. can. de fabrica de consecrat. dist. 1. Paulinus natali 10. S. Felicis.

*Namq. hodie bis eam geminata nouatio comit,
Dum gemina Antistes gerit illic munera Christi:
In geminos aditum venerabile dedicat usus,
Castifico socians pia sacramenta lauacro,
Hic pariter templum nouat hostia, gratia fontem.*

An vero Missa sit de substantia consecrationis, adeo vt, ea prætermissa consecratio corruat, glo. in can. omnes basilicæ, in dubium reuocat. Communi calculo receptum est, Missæ celebrationem non esse de substantia. Hugo & Ioan. de Turrecremata in d. can. omnes basilicæ. Antoninus 3. par. tit. 12. capitulo 6. in principio. Ceterum Ecclesia nisi dotata fuerit, consecranda non est, cap. cum sicut de consecrat. Eccles. vel altar. in concil. Brachar. 2. can. 5. & Tolet. 3. can. 15. vetantur Episcopi Ecclesiam dedicare, priusquam dotem basilicæ chartula confirmatam habeant. S. Chrysof. hom. 18. in acta Apostol. quasi inquit ducta vxore, vel sponfa, vel data virgine, sic erga Ecclesiam affectus sis, dotem inscribe illi, ita tibi benedictionis prædium multiplicabitur. Hoc loco non esset extraneum de Ecclesiarum pollutione tractare, necnon de earum reconciliatione: de quibus plenissime Doctores in summis, & Ioan. de Turrecremata in can. Ecclesijs, de consecrat. dist. 1. & ad tit. de consecrat. Eccles. vel altar. ad quos Lectorem ablego. Sane putarunt nonnulli violationem, & prophanationem templi aliquid mali portendere, vt accidit in feruis, qui sæuitiam domini fugientes, & seipfos, & clericum ad altare trucidarunt. Quod quidem facinus Nestoriana hæresis fecuta est. Socrates lib. 7. cap. 33. Nicephor. lib. 14. cap. 32. vbi & poetæ senarios exarat versus.

*Nam sæpe signa talia dari solent,
Cum sacra fœdum templa polluit scelus.*

Hac in parte hoc corrolarium addam ex S. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 3. quod Ecclesia, & altare, & alia huiusmodi inanimata consecrantur, non quia sunt gratiæ susceptiua, sed quia ex consecratione adipiscuntur quãdam spiritalem virtutem per quam apta redduntur diuino cultui. Addit Thom. inde, Ecclesias ante consecrationem emundari, & exorcizari, vt exinde virtus inimici pellatur, eademq. ratione Ecclesiæ quæ sanguinis effusione, aut cuiuscumque femine pollutæ fuerunt reconciliantur: quia per peccatum ibi commissum, apparet aliqua operatio inimici. Hæc de Ecclesiarum dedicatione. Quandoque Ecclesiæ iam consecratæ diruuntur, & ad vsum prophanum, non tamen sordidum ex decreto Ecclesiæ conuertuntur. In his ex Tridentini Concilij sanctione sess. 21. c. 7. crucis insigne figendum est. Quæ autem adhibenda sint in Ecclesijs, altaribus, & cœmeterijs prophanandis, enarrat pluribus Concil. Mediolanense, quod Cardinalis Borromæus habuit anno Domini 1573.

DE ALTARIS CONSECRATIONE

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

1. 4. Altarium consecratio, & vnctio tam in veteri lege, quàm euangelica, & quæ seruanda sint in altaris consecratione, quæ item viuanda.
- 2 Altaris consecrandi ceremonie.
- 3 Altaria lapidea sint, aliquando tamen lignea fuerunt: causa immutata consuetudinis declaratur.
- 4 Reliquiæ Sanctorum in altaribus consecrandis, & basilicis deesse non debent.
- 5 Altarium consecratio an sit nulla nisi adsint reliquiæ.
- 6 Altare portatile quid sit, quo modo consecrandum, & quibus permittatur eius usus.
- 7 Antiquiora, quid.
- 8 Reliquiarum cultus conciliorum decretis, patrum testimonijs, & miraculis comprobatur.

9 Reliquia

- 9 Reliquia quæ ostendenda populo, a quibus approbanda: Cauendum item ne sint venales, & supposititiæ.
- 10 Reliquias collo suspensas an deferre sit permissum.



ALTARIA in veteri lege mundabantur, vngebantur, & consecrabantur. Exodi 20. 30. & 40. Leuit. 8. Necnon numero 7. ibi: Hæc in dedicationem. Et postea: Hæc oblata sunt in dedicatione altaris, quando vnctum est. Iam inde a principio Ecclesiæ Christianæ altaria vnghi, & consecrari consuetum fuisse, probant S. Dionys. de Ecclesiast. hierarch. cap. 4. & S. Martial. epist. 1. ad Burdegalenses. Dum altaria, inquit Martial. dæmonum in puluerem redigerentur, aram ignoti Dei ad consecrationem reseruari iussimus, quia dedicatæ in nomine Dei Israel, & ipsius testis Stephani, qui pro eo a Iudæis passus est, non hominis cultum, sed Dei in ea frequentabis. Euaristus Papa, vt legimus 1. tom. Concil. & apud Bruchard. lib. 3. decret. cap. 27. constituit altaria non solum chrismatis vnctione, sed etiam sacerdotali benedictione sacrari. Quod reperitum est in Concil. Agathen. capit. 14. canon. Altaria, de consecrat. dist. 1. S. Cyprian. de vnct. chrismatis: Oleo, ait, antiquitus sacerdotes sacrabantur, & reges, & ipsi altarium lapides delibuti, spiritalem intelligi volebant sacris mysterijs inesse pinguedinem. Gregor. Nyssen. in libro de sancto baptisate: Altare hoc sanctum, cui assistimus, inquit, lapis est natura communis, nihil aliud differens ab alijs crustis lapideis, ex quibus parietes nostri extruuntur, & pauimenta exornantur, sed Dei cultui consecratum, atque dedicatum est, ac benedictionem accepit. Mensa sancta, altare immaculatum est, quod non amplius ab omnibus, sed a solis sacerdotibus, ijsq. venerantibus contrectatur. Damasus Papa ep. decret. 4. prohibet, chorepiscopos altare erigere, vnghere, aut sacrare, vel Ecclesias dedicare. S. Aug. ferm. 255. de tempore: Consecrationem altaris hodie celebramus, & iuste ac merito gaudetes celebramus festiuitatem, in qua benedictus, vel vnctus est lapis, in quo nobis diuina sacrificia consecrantur. S. Hieron. lib. 13. comment. in c. 43. Ezechielis: Locutus est, inquit, vir, cuius calamus, & funiculus erat in manu eius: & docet eum, quo modo altaris opere perfecto altare debeat expiari, & consecrari. Item ex decretis Hormisdæ Papæ capit. 20. Nullus presbyter in Ecclesia consecrata, aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci fuerit sanctificatum, vel permissum, vt sit discretio inter sacrū, & non sacrum: nec dedicationem fingat, nisi sit consecratū, can. nullus presbyter, de consecr. dist. 1. apud Gratian. Bruch. lib. 3. c. 17. Iuo lib. 2. c. 8. & Concil. Aurelian. apud Bruchard. lib. 3. cap. 14. & Iuonem lib. 2. cap. 10. Non licet Missas celebrare, nisi altare prius consecratum fuerit. Concil. Aquens. seu Aquisgran. sub Pipino capit. 23. & 24. docet, Christianam religionem ex antiqua Patrum traditione domos in honorem Dei ædificasse, & dedicasse, altaria item erexisse, ac sacrosancto chrismate perunxisse. Rurfus in Concil. Melden. cap. 8. apud Bruchard. lib. 3. capit. 10. Iuon. lib. 2. cap. 9. Gratian. de consecrat. dist. 1. sanctum fuit, altaria, de quorum consecratione ambigitur, consecrari. Carolus Magnus lib. 1. c. 151. apud Ansegisum Abbatem, vt Ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione, consecrentur. Altare, ait, Rabanus lib. 1. de institut. cleric. cap. 45. post asperisionem aquæ, chrismate perungitur, ad imitationem Patriarchæ Iacob, qui post visionem illam terribilem erexit lapidem in titulum, fundens oleum desuper, vocans locum, domum Dei. Et paulo post: Bene decet vt res sacrificandæ, sacro chrismatis liniantur vnghento, vt demonstretur, quod omnis sanctificatio constat in Spiritu sancto, cuius virtus inuisibilis sancto chrismate ad sanctificationem præbendam permixta est. Ritum vero consecrandi altaria pluribus enarrant Durant. libro 1. Ration. capitulo 7. & de Turrecremata, in d. canon. altaria de consecrat. distinct. prima. Plane crucis caractere altaria consecrari, docet S. August. ferm. 19. de sanctis: Cum eiusdem, inquit, crucis caractere basilicæ dedicantur, altaria consecrantur. Ceterum, altaria lapidea esse debent, Cyprian. vbi supra ibi: Ipsi altarium lapides delibuti. Greg. Nyssen. de sancto baptisate his verbis: Nam & altare hoc sanctum, cui assistimus, lapis est natura communis, nihil differens ab alijs crustis lapideis: sed Dei cultui dedicatum, atque consecratum. S. Chrysof. homil. 20. ad 2. ad Corinthios de altario loquens: Lapis quidem est natura, sanctus autem fit, quoniam corpus accipit Christi. Amplius altaria nisi fuerint lapidea non consecrantur, ex Concil. Hipponen. c. 6. cui Concilio Augustinus interfuit ipso testante lib. 1. retractat. c. 17. Hunc can. Concilio Hipponensi ascribit Gratian. in canon. altaria 1. de consecrat. distinct. 1. Bruchard. vero lib. 3. capit. 25. & Iuo. lib. 2. capit. 5.

H 2 Concil.

Concil. Epaunensi cap. 26. Ante Constantinum erant, & altaria lignea, quæ facile sæuente persecutione infidelium, transferri poterant e domo in domum, vel e ciuitate in ciuitatem. Verum auctore Alexandro de Ales: Ecclesiarum libertate stabilita altaria lapidea firmitate solita construi coeperunt. Idq. varijs de causis, quas luculenter enarrant Alexander de Ales. par. 4. quæst. 36. membro 1. S. Thom. 3. part. quæst. 83. & ad 4. sentent. distin. 13. de Turrecrem. in d. canon. Altaria. Siluester Pontifex, ait Martinus Polonus, ad annum Domini 315. cum statuisset vbique in Ecclesijs haberi altaria lapidea, in Ecclesia tamen Lateranensi non erexit altare lapideum, sed ligneum ante habitum conseruauit, teste de Turrecremata in d. canon. Altaria. Ad hæc in consecratione altarium reliquiæ Sanctorum altari supponi debent. Nam & Apocalyp. cap. 6. S. Ioannes scribit, se uidisse animas occisorum sub ara: quem locum S. August. serm. 11. de sanctis interpretatur de visibili ara, dicens: Videte autem, quem locum martyres apud homines mereantur, qui apud Deum locum sub altario meruerunt. Dicit enim scriptura sacra Apocalyp. 6. Vidi enim sub ara Dei animas occisorum. Et paulo post: Recte sub altario iustorum animæ requiescunt: quia super altare corpus Domini offertur. Nec immerito illic iusti vindictam sanguinis postulant, vbi etiam pro peccatoribus Christi sanguis effunditur. Ad sepulchra etiam sanctorum, & super ossa eorum veneranda erigebantur, & consecrabantur altaria. S. Hieronym. aduersus Vigilantium: Male, inquit, ergo facit Romanus Episcopus, qui super mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vilem puluisculum, offert Domino sacrificia, & tumulos eorum Christi arbitratu altaria. Prudentius hymno 2.

*Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
Propter vbi apposta est, ara dicata Deo.*

Illam sacramenti donatrix mensa eademq.

Custos fida sui martyris apposta.

Seruat ad aterni spem vindicis ossa sepulchra:

Pascit item sanctis Tibricolas dapibus.

Paulinus epist. 11. ad Seuerum:

Ecce, sub accensu altaribus ossa piorum

Regia purpureo marmore crusta regit.

Basilicæ item non sine reliquijs consecrabantur, S. Ambros. epist. 85. Cum Basilicam, inquit, dedicasset, multi tamquam vno ore interpellare coeperant, dicentes: Sic in Romana Basilica dedices? Respondi faciam, si martyrum reliquias inuenero. Idem in exhortat. ad virgines: Munera itaque sentis corpora Sanctorum martyrum Vitalis, & Agricolæ, accipite, quæ nunc sub sacris altaribus reconduntur. S. Aug. serm. 256. Adhuc amplius agenda sunt gratiæ Deo nostro. Hanc enim Ecclesiam, quam fecit nomini suo construi, fecit etiam sanctorum martyrum reliquijs amplius honorari. Sozomenus lib. 5. capitulo 8. ibi: Extra urbem extruxit Ecclesiam, & altare in ea erexit, martyrumq. reliquias libere posuit. Paulinus epist. 11. ad Seuerum, ibi: De sacris sanctorum reliquijs benedictione adornetur domestica Ecclesia tua. Et postea: Et ad Basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus partem particulæ de ligno diuinæ Crucis, quod nobis bonum benedicta Melauia ab Ierusalem munere sancti Episcopi Ioannis attulit. Ioannes diacon. in vita Gregorij libro 2. capitulo 30. cum Arianorum basilica in regione urbis huius, quæ Suburra dicitur, clausa vsque ad Gregorij Pontificatus tempora remansisset, placuit ei, vt in fide Catholica introductis illuc Sancti Stephani, & S. Agnetis martyrum reliquijs dedicari debuisset, quod factum est. Gregor. Turonen. libro de glor. confess. capitulo 20. meminit oratorij, in quo reliquiæ SS. Saturnini, & Martini collocatæ erant. Hoc loco quæri potest num reliquiæ sint, vt scholastici loquuntur de substantia consecrationis Ecclesiæ vel altaris, adeo vt sine reliquijs Sanctorum, Ecclesiæ, vel Altaria consecrari nequeant. Non defuerunt, qui crediderint, non posse Ecclesias, vel Altaria dedicari sine sanctis reliquijs, ex Concil. Carthag. 5. capitulo decimoquarto, canon. placuit de consecrat. distinctione prima, vbi altaria, in quibus nullæ sunt conditæ martyrum reliquiæ, euerti iubentur. Quod & constitutum extat in Concil. Africano capitulo 50. In septima Synod. capitulo septimo. Qui templum consecrat, ait Synodus, sine sanctis reliquijs, deponatur, vt qui Ecclesiasticas traditiones transgressus sit. Durand. in Ration. libro 1. capitulo 7. numero 23. scribit, sine Sanctorum reliquijs, aut, vbi illæ haberi non possunt, sine corpore Christi non fieri consecrationem altaris, quod fixum dicitur.

Ioan.

Ioan. & Hugo in d. can. placuit: Altaris vero portatilis sine reliquijs, & corpore Christi dedicationem fieri posse. Priorem huius sententiæ partem confirmat liber Pontificalis. Iuare etiam videtur Optatus lib. 6. contra Parmenian. Definens enim quid sit altare, ait: Quid est altare, nisi sedes corporis, & sanguinis Domini? Chrysoft. homil. 20. in 2. ad Corinth. Altare quidem lapis natura est, sanctus autem fit, quoniam corpus Christi accipit. Hesychius lib. 2. in Leuit. Altare est locus sanctus. ibi enim Sanctus sanctorum requiescit. Hostiensis in summa scriptum reliquit, se Innocentium papam de eo consuluisse: Qui habito peritorum concilio respondit: Non decere corpus Domini recondi in altari. Hostiensis sequitur Archidiacon. & de Turrecrem. in d. can. placuit. Panorm. in cap. 1. de consecrat. Eccles. vel altar. ea ratione: quia corpus Christi est cibus animæ, qui non debet seruari, nisi ad opus infirmorum, & refectionem animarum. Addit Panorm. Leonem pap. in consecratione cuiusdam Ecclesiæ, cum reliquiæ non adessent, dedisse partem corporalis, & Eucharistiæ. Quod vero attinet ad altare non fixum, passim ab Iuone appellatur portatile. Ap. 6. pellatur etiam tabula consecrata in concil. Triburien. can. concedimus de consecrat. dist. 1. appellatur & viaticum cap. in ijs de priuileg. c. quoniã de priuileg. ap. Bonifac. Vocantur & hæc altaria portatilia a Græcis ἀντιμύσσια siue superaltaria. Balsamon in cã. 31. ex Trullanis, qui sub nomine sextæ Synodi circūferuntur. De quibus plura Ioannes Episcopus Cytri in responsis ad Constantinum Cabasillam interrog. 11. lib. 3. iuris Orient. Appellantur autē ἀντιμύσσια, quòd multas eiusmodi mensas exprimant, & referant, quæ sanctam Dominicam perficiunt. Hæc Balsamon ad 7. synod. cap. 7. Altare vero portatile, seu portabile nihil aliud est, quàm paruus lapis continens in se foramen cum consecratione, & signo superposito. Panorm. in d. c. 1. de consecrat. Eccles. lapis vero debet esse tantæ latitudinis, & longitudinis, auctore Paludano, quòd in eo possit poni pes calicis & hostia consecrata: hunc, lapidem Concil. Mediolan. quod Cardinalis Borromæus habuit anno Dom. 1573. decernit non minorem fore longitudine vnciarum viginti, latitudine vero sexdecim. Porro huiusmodi altaria portatilia non aliter consecrantur, nisi in tabulis ligneis, vel aliquo competente substratorio compacta, & firmiter affixa. Vnde licet ad locum portentur, non tamen de loco, in quo consecrata sunt, mouentur. A quo si euulsa fuerint, sicut cetera altaria, denuo sunt consecranda. Hæc Iuo ep. 32. & ep. 128. vbi plura de motione altaris ad interpretat. canonis si motum de consecrat. dist. 1. & cap. 1. de consecrat. Eccles. vel altar. Non omnibus tamen liberum est, vt altari viatico. Episcopis & Archiepiscopis proculdubio licet d. cap. quoniam. Dominicanis, & Franciscanis a sede Apostolica indultum legimus d. cap. in his. Ceteris vero non licet, nisi a summo Pontifice, vel a sacra pœnitentiaria concedatur. Plene Gomes in tract. breuium. Vitus Amerpachius ad finem constitutionum Caroli magni testatur se vidisse in monasterio sancti Emerami altare quo Carolus magnus in castris utebatur. Concil. prouinc. Colonien. cap. 15. in decret. Mox prohibet Episcopis, ne faciles sint ad consecranda altaria portatilia. Hæc de altari portatili. De Ecclesia vero portatili ad finem cap. 1. tractauimus. Cæterum, quæ de reliquijs diximus, plane & perspicue probant cultum reliquiarum, quem amplius hoc loco sacrarum litterarum auctoritate & Sanctorum patrum testimonijs necnon conciliorum decretis confirmabimus. Elisei cadaueris contactu mortuum suscitatum apparet 4. reg. 23. quo testimonio reliquiarum cultum probant S. Clemens lib. 6. conf. Apostolic. cap. 29. & Cyrill. Ierosolym. cathech. 18. Iosephi iam functi ossa prophetauerunt. Ecclesiast. cap. 49. cum Iosias euerteret sepulchra falsorum prophetarum, eorumq. ossa cremaret, veri propheta ossa relinquebat intacta. 4. Reg. 23. S. Petri vmbra liberabat omnes ab infirmitatibus suis, Act. 5. Si tum opem ferre poterat vmbra corporis, ait August. serm. 29. de sanctis, quanto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis nunc gratia permanentis? Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalia vinculorum. Si tam medicabilis fuit obumbratio visitantis, quanto magis catena vincientis? Et reliqua. Virtutes non quaelibet faciebat Deus per manum Pauli, ita vt etiam super languidos deferrentur a corpore eius sudaria, & semicinctia, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. Ea est enim Sanctorum potestas, ait Chrysoftom. lib. contra Gentiles dum vitam S. Babillæ enarrat, vt illorum superstitum dæmones ne vmbas quidem, aut vestes ferre possint defestum, & oculos quoque reformident. Sanctorum vero Patrum innumera extant testimonia, S. Basil. homil. in Psal. 115. pro legis Iudaicæ ritu. Si qui moriebantur, horum morticina habebantur abominationi: contra, mors si cuiquam irrogatur

pro Christi nomine, pretiosæ cernuntur reliquiæ sanctorum eius. Nunc e diuerso martyris ossa quisquis attigerit, ob gratiam corpori insidentem, sit quadamtenus sanctificationis particeps. Idem Basil. homil. in 40. martyres: Hi sunt, qui nostram obtinentes regionem, quasi quædam turres contra aduersariorum incursum refugium exhibent, nec vno in loco sese clauserunt, sed in multis locis hospitio recepti, multorum patrias ornauerunt. Gregor. Nyssen. orat. in Theodor. martyrem. Quod si quis etiam puluerem, quo conditorium, vbi martyris corpus quiescit, oblitum est, auferre permittat, pro munere accipitur, & tamquam res magni pretij condenda terra colligitur. Nam ipsas attingere reliquias, si quando huiusmodi prospera aliqua fortuna contingat, vt id facere liceat, quàm id sit multum desiderandum, & optandum, ac summarum precum donum, sciunt experti, & eius desiderij compotes facti. S. Greg. Nazianz. orat. 3. aduersus Iulianum, de martyribus agens, ait: Quibus præclari honores, & festa constituta sunt, a quibus dæmones propelluntur, & morbi curantur, quorum vel sola corpora idem possunt, quod animæ sanctæ, siue tangantur, siue honorentur, quorum vel solæ sanguinis guttæ, atque exigua passionis signa idem possunt quod corpora. S. Ambros. ferm. 92. Honoremus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, coheredes Dei. Quod si dicas mihi, quid honores in carne iam resoluta, atque consummata, de qua nulla iam Deo cura est: & vbi est illud charissimi, quod ipsa veritas loquitur per prophetam? Pretiosa, inquit, est in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et paulo post: Honoro ergo in carne martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viuentis memoriam, perennitatem virtutis, honoro per confessionem Domini sacros cineres. Rursus, cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones, quod affixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoro itaque corpus quod Christus honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo. Magnetes auctor luculentus ante annos mille ducentos lib. 4. contra Theostenem gentilem: Manifestum est, inquit, quod ossa Sanctorum non sunt, mortua, sed potius plena virtute. Si enim simbria propter illum, qui ferebat eam, credenti dedit virtutem sanitatis, & solo tactu curationem fecit *ὡς εἰ φῶμεν, τὸς ἀγίους κρασπέδων ἀψύχων πιμωτέρες ὑπάρχοντας, ἰσχύει τοῖς πιστεύουσιν ἀδύδοις γνώμην παρέχον, δις ἔζωντας ἐν σωμάτων ἰμάτων ὀρχισθὲς ἀνιβάλλετο, ἃ μὲν θαυτοὺς ὡς πορρῦραν πημάτων ἀξίως βασιλικῆς παρτίης.* id est quo modo non dicamus, sanctos simbriis inanitis honoratioris, non possent, qui sine vlla dubitatione credunt, tribuere meliora, quibus Christus, dum in corpore vivebant, tamquam veste induebatur, & post mortem tamquam purpuram honore dignitatis regalis affecit? Idem auctor paulo ante ait, Manichæos, & Marcionistas prædicasse corpora martyrum esse *βδελυκτὰ*, id est in abominatione. En quos auctores sectantur Lutherani, & Huguenoti manichæos, & marcionistas? Eusebius Emiff. homil. de sancta Blandina: Vbi sunt, qui venerationem sacris martyrum dicunt deferendam non esse corporibus? S. August. de Ecclesiast. dogmat. cap. 73. Sanctorum corpora, & præcipue beatorum martyrum reliquias, ac si Christi membra, sincerissime ait honoranda. Et postea: Si quis contra hanc sententiam venerit, non Christianus sed Eunomianus creditur. Ad reliquias S. Stephani complura miracula facta commemorat S. August. lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. & in ferm. de S. Stephano tom. 10. magnum honorem haberi puluisculo terræ, quæ ex Christi sepulchro fuerat accepta, & paralyticum ad locum vbi modicum terræ sanctæ repositum fuerat, sanarum fuisse, auctor est S. August. libro 2. de ciuit. Dei capit. 8. Item August. libro 9. confess. capit. 7. docet, ad Prothasij, & Geruasij martyrum ossa & reliquias, multos a Dæmonibus liberatos, confessis eisdem dæmonibus. Plura in eandem sententiam S. Ambros. libro 10. epist. 85. quæ sane lectu digna est. S. Hieronym. aduersus Vigilantium capit. 2. Constantinopoli apud sanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei dæmones rugiunt, & inhabitatores Vigilantij illorum se sentire præsentiam confitentur. Idem Hieron. capit. 4. Itaque nolo mihi dicas, signa sunt infidelium, sed responde, quo modo in vilissimo puluere, & fauilla, nescio quæ tanta sit signorum virtutumque præsentia? Sentio, sentio, infelicissime mortalium, quid doleas, quid timeas, spiritus iste immundus, qui hæc te cogit scribere, sæpe hoc vilissimo tortus est puluere. Reliquias Sancti Babylæ dæmoni oracula reddere solito os obturasse, templū Apollinis euertisse, & alia miracula edidisse, testantur S. Chrysof. lib. cont. Gentiles, dū vitam Sancti Babylæ enarrat. Ruff. lib. 1. c. 35. Socr. lib. 3. c. 18. Sozomen. lib. 3. cap. 18. Theod. lib. 3. c. 10. Idem Chrysof. hom. 66. ad popul. Antiochen. & quid de Christo loquor, cum & discipulos, postquam obierunt tunc effulgere fecerit?

fecerit? quid dico discipulos? Nam & eorum loca, & sepulchra simul, & tempora perenni memoria celebrari curauit, & eadem hom. circa finem: Sanctorum autem ossa non habent miserabilem, & abiectam potestatem, sed illa multo maiorem. Dæmones enim sistunt, & torquent. Et paulo post: Et cinis, & ossa, & fauilla inuisibiles illas potestates dilaniant. Et ferm. de sanctor. inuentione, & Maximo: Idcirco sæpius eos inuisamus, tumulos adoremus, magna fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionem aliquam assequamur. Leontius Cyri Episcop. apud Syn. Nyssen. Act. 4. Vere, inquit, magna est Iudæorum cæcitas, magna impietas, in veritatem iniurij sunt, ingrata Iudæorum linguæ in Deum conuicia dicunt. A sanctorum martyrum reliquijs, & imaginibus sæpe Dæmones fugantur. Gregor. Turon. lib. 7. cap. 12. commemorat, quod cum Bituriei Ecclesiam Maioralensem, in qua S. Martini reliquiæ asseruabantur, inflammassent, nedum reliquias, sed etherbular olim collectas, & in altario locatas sanas, & incolumes conseruatas fuisse. Gregor. Nazianz. orat. in Cyprianum: Omnia potest puluis Cypriani cum fide, vt sciunt hi, qui ipsi experti sunt, & miraculum ad nos vsque transmiserunt. Basil. orat. in Iuliam: Catheras S. Petri, & Pauli, magni faciunt magnisq. laudibus ornant. Chrysof. lib. contra Gentiles, & hom. 5. ad popul. Antiochen. & hom. 6. de S. Iob. Aug. ferm. 29. de sanctis S. Gregor. lib. 3. epist. 30. cathedram S. Iacobi Apostoli diu summa cum obseruatiā a successoribus Episcopis Ierosolymitanis asseruatā, memorię mandarunt Euseb. lib. 7. c. 14. Niceph. lib. 6. c. 16. clauem S. Petri summo in honore semper fuisse, & insignia miracula præstitisse S. Greg. lib. 6. ep. 26. & 27. clauos quibus cruci affixus fuit S. Agricola. S. Ambr. exhortatione ad virgines immensis pecuniarū præfert thesauris. Extant & alia de reliquiarum veneratione, & miraculis innumera Sanctorum patrum testimonia: extant & sacrorum conciliorum decreta, Concil. Gangren. can. vlt. Concil. Carthag. 5. c. 14. Concil. Martini Pap. can. 69. can. non oportet, de consecr. dist. 1. Concil. Bracar. 3. can. 5. Epauenen. c. 25. Moguntinum c. 58. Nyssenum 2. Act. 3. & 7. Lateranense can. 6. c. cum ex eo de reliquijs venerat. Trident. sess. 25. Ex quibus apparet, non solum Spiritus beatitudinis donatos venerandos esse, verum & sacris eorum ossibus, cineribus, & alijs huius generis eximijs honorem habendum esse. Ita tamen, vt spiritus, qui gratia, diuinæq. naturæ capaces sunt, per se, & propter se honorentur. Reliquiæ vero non propter se, vt insensibilia corpora sunt, sed propter spiritus, quorum instrumenta fuerunt, & ad quos ordinem certum sunt sortiti. S. Thom. 3. quæst. 25. artic. 6. ad 2. Verum circa reliquiarum cultum obseruandum est, ne antiquæ reliquiæ extra capsam ostendantur, vt in Concil. Lateran. sub Innocen. 3. can. 6. cap. cum ex eo, de reliquijs venerat. sancto. Deinde, ne Episcopi ad Ecclesiam progressuri, reliquias deferentes, a diaconibus in sella vehantur. Concil. Bracar. 3. can. 5. Ad hæc reliquiæ nouæ recipiendæ non sunt, nisi Episcopo recognoscente, & approbante Concil. Trident. sess. 25. Immo ex Concil. Lateran. non licet eas venerari, nisi prius Romani Pontificis auctoritate fuerint approbatæ. Sane diligenter cauendum est, ne falsa nomina martyrum, & incertæ sanctorum memoriæ venerentur. Carolus Magnus ex Concil. Africano lib. 1. legum Franciscarum cap. 4. r. apud Ansegif. neve falsæ reliquiæ supponantur, quod quædoque auaritia quorundam sacerdotum accidit. Lucius lib. 1. arretorum sub tit. de reliquijs, & venerat. sancto. Gregor. Turon. lib. 9. cap. 6. meminit cuiusdam impostoris, qui colossio indutus, ac crucem deferens prædicabat, se de Hispania aduentare, cum reliquijs martyrum Vincentij, & Felicis. Cuius tandem fallaciæ, & præstigiæ detectæ fuerunt. S. Martinus, vt in eius vita Seuerus scripsit, altare quod in honorem martyris extructum fuerat, cum ossa, & reliquias cuiusdam latronis esse deprehendisset, submoueri iussit. S. Gregor. lib. 3. epist. 3. scriptum reliquit: Græcos quosdam monachos deprehensos confessos fuisse, se ossa quædam in Græciam pro reliquijs portaturos, ac etiam vt habet epistolæ summariū, vendituros. Denique studiose occurrendum est, ne sacre reliquiæ venales exponantur, & quæstui habeantur. Concil. Lateran. cap. 6. & 1. 3. C. de sacrosanct. Eccles. Nemo martyres distrahat, nemo mercetur. S. August. lib. de opere monachorum cap. 28. detestatur eos, qui reliquias vendunt his verbis: Alij membra martyrum, si tamen martyrum, venditant. Illud quæri solet, an liceat reliquias collo suspensas, vel aliter deferre. Angelus in summa generaliter asseruit, non licere: At S. Thom. quem communis schola sequitur 2. 2. quæst. 96. art. 3. vers. ad 3. concludit licere, modo ex fiducia Dei, & ad reuerentiam Sanctorum, quorum sunt reliquiæ, deferantur. Hoc loco plura afferri possent de translationibus reliquiarum. De quibus plene ad d. l. 3. de sacro sanct. Eccles. differuimus.

DE ÆDIUM SACRARVM RELIGIONE,
& veneratione.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

- 1 *Aedes sacra domus orationis dicitur, a quibus & quoties frequentanda.*
 1.2. *Ecclesijs qui non tam frequentant, quàm theatra, arguendi sunt.*
 3.5. *Orationi vbique locus est, melius tamen fit in Ecclesia, & quæ seruanda inter orandum.*
 4.5.6. *Ecclesiæ cum reuerentia adeunda sunt, depositis sæculi curis, in silentio, sine strepitu, & deambulatione, &c.*
 6 *Christianorum perditã licentia in Ecclesijs religioſe arguitur.*
 7.8. *Ecclesijs religio vetat fieri in illis iudicia, emptiones, aut conuiuia.*
 9 *Sodalitates, & pij conuentus an agi possint in Ecclesia: & de sodalitatũ institutione.*
 10.11. *Ecclesijs immunitas exemplis & patrum testimonijs comprobatur: quæ tamen apud Gallos sublata est.*

Aedes sacra, domus orationis vocatur, Isaia. 56. Matt. 21. Marc. 7. & Luc. 19. idq. ait Isaia omnibus gentibus, hoc est, auctore Hieron. non vni genti Iudææ, nec vni Ierosolymæ vrbis loco, sed in toto orbe terrarum. S. Clem. lib. 2. constit. apostol. cap. 59: iubet Episcopos monere populum, frequentare Ecclesiam quotidie, mane, & vespere. Neque enim, ait ille, de solis sacerdotibus dictum est, sed potius vnusquisque laicus de se quoque dictum cogitare debet. Qui non est mecum, neque mecum colligit, spargit. Et paulo post: Quinimo conuenite in Ecclesiam singulis diebus, mane, & vespere ad canendum psalmos & preces in templo Domini faciendas: mane quidem psalmum 62. vespere vero psalmum 140. Idem Clemens cap. 60. Etenim si gentes quotidie cum e somno surrexerint, ad idola properant colenda, & ante opus, actionemq. omnem eis primum preces adhibent: Si, inquam, perditæ gentes ea, quæ nihil eis profunt, frequentant, quid tu Domino excusabis, qui ab Ecclesia eius absens es, qui ne gentes quidem imitaris? immo quia abes, ideo te desidiæ dedis, aut apostasiæ, aut maleficio. Quibus verbis docet diuinus ille Clemens, desidiæ adeundi frequenter Ecclesiam, causam esse pigritiæ in studio virtutis, causam quoque esse maleficiorum, & apostasiæ: quod infelices hoc sæculo experti sumus & quotidie experimur. S. Ambros. serm. 33. An putatis illum ieiunare, fratres, qui primo diluculo non ad Ecclesiam vigilat, non beatorum martyrum sancta loca perquirat, sed surgens congregat feruolos, disponit retia, canes producit, filuasq. perlustrat. S. Hieronym. enarrans verba illa Sophonia cap. 2. Congregamini, & colligamini gens inerudita, &c. ait: Possumus hoc capitulo vti pro tempore. Si quando viderimus aliquem honoribus sæculi deditum, & congregandis diuitijs occupatum, ad Ecclesiam vel raro, vel numquam venire, & dicere ad eum: Congregare & coniungere populo Dei, qui Domini præcepta non audis, antequam gloria tua pertranseat, antequam dies tibi furoris Domini adueniat. Saluianus lib. 7. de prouidentia pluribus verbis conqueritur quòd theatra magis frequententur, quàm Ecclesiæ. Qui locus, ait, maiores Christianorum virorum copias habeat? caueane ludi publici, an atrium Dei, & templum magis sectentur, an theatrum? S. Basil. homil. in psal. 28. enarrans verba illa: Et in templo eius omnes dicent gloriam: Qui in templo Dei est non maledicentiam, non vanitatem, ac ne obscœnis rebus disertos sermones pronunciet, sed in templo eius quisque dicet gloriam, assistunt verba describentes angeli: adest & Dominus affectus intrantium. Considerans S. Maximus de Ecclesiast. mystago. cap. 25. hortatur fideles Ecclesiæ sanctæ assiduos esse propter angelos qui in ea permanent, & eos qui ingrediuntur semper describunt, & Deo aperiant, & pro eis orationes faciunt, quæ inuisibiliter quidem semper permanet: maxime autem & propria ratione, tempore sanctæ synaxis. Totidem fere verbis Ælias Cretensis ad Gregor. Nazianz. orat. 1. vtitur. Quia ne illud quidem ad theologi nostri sententiam confert. Si quis dicat angelos in omnibus Ecclesijs permanere, eosq. qui ingrediuntur, ac Deo seipsos manifestant, & preces ipsi adhibent,

hibent; describere dicat. S. Chrysof. serm. de ascens. Domini: Non enim in hoc theatro martyres tantum præfunt, sed angelorum præsentia, locus decoratur: nam & angeli præfunt. Angelos Ecclesiæ præfides appellat Nazian. orat. 32. in præsentia centum quinquaginta Episcoporum ad finem. Hieronym. ad 1. ad Corinth. cap. 11. Ecclesijs præfidentes. Et Ecclesijs assistere Origenes hom. 23. in Lucam: Et quia præfentes sunt angeli in Ecclesia in illa duntaxat, quæ meretur, & Christi est: propterea orantibus feminis præcipitur, vt habeant velamen super caput, propter angelos. S. Hieronym. in cap. 52. Isaia, & 11. Ezechiel. & ep. 17. ex Iosepho lib. 6. de bello Iudaico cap. 12. commemorat auditam in templo Ierosolymitano vocem angelorum, qui prius in vrbis præsidio erant: Abeamus ex his sedibus, Item Chrysofom. orat. de non contemnenda Ecclesia Dei, citharedus, vel saltator, vel alius quispiam huiusmodi hominum nos vocet, studiosè omnes currimus, & gratiam ipsi, quòd nos vocauit, habemus totumq. diem aut certe dimidium consumimus. Et paulo post: Neque quidquam eos vel domi continet, vel illuc ire vetat. Ad Ecclesiam vero quominus eamus, pluuia nobis atque lutum impedimento fit. Et postea: Ingressus es in Ecclesiam homo dignatus es Christi confortio, ne ex eas, nisi dimittere. Et postea: Totum diem in ijs rebus, quæ ad corpus spectant, insumis, & duas horas spiritualibus non vacas. Sane & cfi vbique orare liceat, volo, ait S. Paulus 1. ad Timoth. 2. cap. viros orare in omni loco: & S. Bernar. in medit. quem laudant gloss. in clement. 2. de reliq. & venerat. sanct. & gloss. pragmat. ad tit. quo modo diuinum officium circa principium. Melius tamen atque vtilius est, ad Ecclesias accedere, & in illis orare. S. Chrysofomus hom. 79. ad popul. Antiochen. & domi quidem orari potest. Sic autem vt in Ecclesia non potest, vbi tanta patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur: non ita Dominum per te solum orans audieris, vt cum fratribus tuis. Hic enim maius aliquid est, puta vnanimitas, & consonantia, charitatisq. vinculum, & sacerdotum orationes: propterea namque sacerdotes præpositi sunt, vt multitudinis orationes cum sint infirmiores hisce potentiores adiungentes, pariter cum illis in cælum ascendant. Et hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: Orare domi possumus, aiunt, te homo decipis, & magno in errore versaris. Nam etsi domi datur orandi facultas: tamen fieri non potest, vt domi tam bene ores, quàm in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor felici societate excitatus ad Deum immortalem refertur. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet concordia, conspiratio, copula amoris & charitatis, sacerdotum clamores, plus neruorum in ea est, & multo audientia maior, quàm in illa domestica & priuata. Huius vero sententiæ triplicem rationem affert S. Thom. 2. 2. quæst. 84. art. 3. Prima, propter loci consecrationem, ex qua spiritalem deuotionem concipiunt orantes, vt magis exaudiantur. 3. Reg. cap. 8. Plene Caietan. 3. part. quæst. 83. art. 3. ad 3. Secunda, propter sacra mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertia, propter concursum multorum adorantium, ex quo Deus exorabilis fit. Matt. 18. Vbi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, &c. In eandem sententiam S. Basil. ep. 68. Oratio, quæ non est comprecatores nacta, multo est seipsa languidior, atque debilior. S. Ambros. in lib. de poenitent. Multi minimi, dum congregantur vnanimis, sunt magni, & multorum preces impossibile est contemni. Tertul. in Apologet. cap. 39. Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, preces ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata est. Ceterum Ecclesiam adituri cum reuerentia & totius pectoris tremore ingredi debent: cum ob loci religionem: S. Chrysof. hom. 15. in ep. ad Hebræos: In aulam regiam intraturus habitu, oculis, incessu, cunctisq. alijs te componis, & adornas: in Ecclesiam vero ingressurus, vbi vere est aula regis talis qualisq. cælestis, rides. Tum etiam ob angelorum conspectum: Chrysof. hom. 52. in Matt. In nonnullis Ecclesijs hunc morem corroboratum testatur, vt diligenter multi studeant, quo modo manibus loti, & vestibus candidis induti in Ecclesiam ingrediatur. Quo modo autem animam, atque mentem suam puram Deo offerant, nullam curam habent. Hæc dico, ait Chrysof. non quia lauare os, aut manus prohibeam, sed quia non aqua solum lauare os velim, verum etiam, vt æquius est, omni virtute. Plenæ enim sunt Ecclesiæ, ait idem Chrysof. hom. 15. ad Hebræos, incorporeis virtutibus. Et alibi hom. 24. in acta Apost. Nescis quòd cum angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis. Tum denique ob admissorum verecundiam: S. Hieronym. aduersus Vigilant. quando iratus fuero, & aliquid mali in meo animo cogitauero, & me nocturnum phantasma deluserit: basilicas martyrum intrare non audeo, ita totus & corpore & animo contremisco, Saluia. lib. 3. de prouid. In templa, vel potius in altaria, atque in sacraria Dei

Dei passim omnes fordidi ac flagitiosi sine vlla penitus reuerentia sacri honoris, irrumpunt. Non quia non omnes ad exorandum Deum currere, sed quia qui ingreditur ad placandum, non debet egredi ad exacerbandum. Verum peccatores non prohibentur generaliter Ecclesiam adire, at ij dumtaxat, qui, vt idem Saluianus ait, intrant ecclesiasticam domum, vt mala antiqua defleant, & in ipsis orationibus suis, ac supplicationibus hæc moliantur. S. Chrysoft. de non contemnenda Ecclesia Dei: At enim peccator, sum, inquit, neque possum, ad memoriam martyrum accedere. Quandoquidem peccator es, accurre, vt iustus fias. Quinam vero homo sine peccato est, dic mihi? Plane Ecclesiam ingressuri curas huius sæculi omnes deponere debent, omnemq. cogitationem, & animi motum ad Dei cultum conuertere. Cum Aaron eiusq. successores, ait Isidorus Pellusiota lib. 1. epist. ep. 45. ad martyrium Episcopi, in templum sacrificij causa ingrediebatur, laneis omnibus vestimentis abiectis, vestes ex lino contextas induebant, arcani aliquid continentes, atque illud significantes, externos tumultus tum de memoria deponendos esse. Nam qui rei sacræ causa ad Deum accedit nihil alienum, nec vllam rerum ex materia constantium sarcinam secum afferre debet, &c. Ad hæc ingressi Ecclesiam corpus humi sternere debent. Saluian. lib. 7. de prouident. Ad domos videlicet statim Dominicas currimus, corpora humi sternimus, mixtis cum fletu gaudijs supplicamus, præcipue genibus flexis sanctissimum sacramentum adorare debent. Pius Papa 5. in bulla 1566. Ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quæra conuersatio, & omnes genibus flexis sanctissimum sacramentum adorent. Deinde orare, & psallere. Cæsarius Arelaten. serm. 12. Rogo vos fratres, & admoneo, vt venientes ad Ecclesiam hoc solum, quod in Ecclesia competit, agite, id est aut orate, aut psallite, aut orando psallite. Silentium præterea facere debent, ac neminem alloqui. Greg. Nazianz. orat. 19. in laudem patris sui, laudat Nonam matrem, quod in sacris conuentibus, aut locis nunquam illius vox audita sit, exceptis necessarijs, & mysticis. Necessarias autem, & mysticas voces interpretatur Helias Cretensis, quæ externe a plebe ad ea, quæ a sacerdotibus pronuntiata sunt, apte accinuntur, &c. Nihil Ecclesie tam congruum, quam silentium, & tranquillitas. S. Chrysoft. hom. 38. ad populum Antiochen. Templis omne silentium debetur, inquit. Isidor. Pelusiota d. epist. 45. S. Ambros. lib. 3. de virginib. An quidquam indignius est, quam oracula diuina circumstrepere, ne audiantur, ne credantur, ne reuelentur, circumsonari sacramenta confusis vocibus, vt impediatur oratio pro salute deprompta omnium, cum Gentiles idolis suis reuerentiam tacendo deferunt. Vnde illud exemplum proditur, Alexandro sacrificante Macedonum Rege puerulum barbarum, qui ei lumen accenderet, excepisset ignem brachio, atque adusto corpore mansisset immobilem, nec dolorem prodidisset gemitu. Tanta in puero barbaro fuit disciplina reuerentiæ, vt naturam vinceret. Et postea: Et tu in ministerio Dei gemitus, tussis, excreatus, risus abstine. Rursus frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiam sacræ deferrent orationi, tunc subito circumfusos strepitus quieuisse: silentem igitur paludes, homines non silebunt, &c. Quo loco Ambros. veterum prophatorum religiosam obseruationem notat. S. item Aug. ser. 251. de tempore diligenter vetat, in Ecclesia, vt ipse loquitur, verbosari. Nolite, inquit, inuicem in Ecclesia verbosari, sed quieti estote. Sunt enim plerique, & præcipue pleræque mulieres, quæ ita in Ecclesia garrunt, ita verbosantur, vt lectiones diuinas, nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant. Et alibi serm. 215. de temp. In Ecclesia stantes nolite verbosari, sed lectiones diuinas patienter audite. Qui enim in Ecclesia verbosari voluerit, & pro se, & pro alijs redditurus est rationem: dum verbum Dei, nec ipse audit, nec alios audire permittit. S. Basil. homil. in d. Psal. 28. Reliquæ creaturæ omnes siue cælestes, siue terrestres, seu rationales, siue rationis expertes demumq. inanimatæ seu voce, siue gestis, aut aliqua significatione summum omnium conditorem Deum extollere, ac prædicare videtur; homines vero miserabiles, relictis ædibus suis, ad templum concurrunt quasi emolumenti quidquam inde laturi, cum tamen nec accommodent aures verbis Dei, nec peccati quopiam præoccupati moerore afficiantur: nullo corripiuntur diuino iudicij metu, adeo vt sibi arridentes, suasq. prensantes dexteras, domum orationis, in locum vertant effusissimæ loquacitatis. Et postea: Quidam in templo Dei nullo vnumquam sine se rotos effundunt inutiles, & aniles nugas, ac proinde nullo suo fructu illud ingrediuntur, atque adeo vti nam frustra tantum, subirent templum, non etiam magno suo incommodo. Antiquitus, ait S. Clem. lib. 8. const. apostol. cap. 11. quidam ex diaconis in templo inambulabant contemplantes viros, & mulieres, ne quis fieret strepitus, ne quis nu-


rus faceret, aut murraret, aut dormitaret. Vix credi potest, quanto silentio, quanta obseruantia Turcæ suas orationes perficiant. Habent etenim, auctore Cuspiniano. lib. de Turcarum origine, & religione, accusatores qui de orationum omissione conuictos per Urbem circumducentes, ac tabulam cum caudis vulpinis collo appendentes, pecunia multant. Quare studiose & diligenter occurrendum est, ne in Ecclesijs confabulationes, & deambulationes fiant. Qua in parte ex sentent. Concil. Colonien. tit. de Metropolitanis cap. 25. duplici cura opus videtur, tum vt prædicatores verbi Dei ex suggestu populum deterreant, tum vt magistratus ciuiles huic rei manum accommodent. Episcopi quoque a Synod. Trident. sess. 22. decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, iubentur vana, & prophana colloquia, deambulationes, & strepitus ab Ecclesijs arcere: vt domus Dei, ait Synod. vere domus orationis esse videatur. Quod & antea constitutum fuerat in Concil. Lugdunen. eademq. ratione theatralis ludij, & moduli, necnon laruarum ludibria, ac spectacula in Ecclesijs prohibentur, cap. Cum decorem de vit. & honest. cler. vbi Glo. can. cantantes dist. 92. can. nullus de consecrat. dist. 5. Concil. African. tempore Bonifacij Papæ cap. 27. Concil. Basilien. de spectacul. in Ecclesia non faciendis, vbi Glo. pragmat. Numquid enim theatrica sunt, ait S. Chrysoft. hom. 24. in Act. Apostol. quæ in Ecclesia geruntur. Verum hoc infelici sæculo ea est quorundam dissoluta licentia, vt in sacrosanctis Ecclesijs nihil, præter deambulationes, sermones ludicros, aut rerum colloquia leuiorum agant. Nonnulli, dolenter refero, mulieres illic libidinis causa prosequuntur, obscænisq. & inhonestis verbis, ac signis vtuntur, quos grauius infestatur S. Chrysoft. hom. 74. in cap. 23. Matth. in opere imperfecto: Non miraris, non vndique fulmina deferri, non omnia funditus euerri, prostibulum tibi videtur. Ecclesia & foro ignobilior? Nam & hic etiam erubescis, & times, ne quis te videat mulierem sequi. Oportebat interno vos pariete a mulieribus separari. Quod quia non vultis animo, patres nostri ligneis saltem parietibus secreuerunt. Et postea: Nunc vero mulieres meretricum mores assumunt, viri autem furorem equorum imitantur. Et hom. de non contemnenda Ecclesia, & Ecclesie mysterijs: Quid agis, o homo, in Ecclesia stans, formas mulierum contemplaris, non perhorrescis templum Dei tanta afficere iniuria? Lupanar tibi videtur Ecclesia, & foro despiciabilior? Nam in foro erubescis mulierem videri contemplari: in templo vero Dei, ipso tecum loquente, talia audes. Et alibi, homil. 36. in 1. ad Corinth. Tum etiam domus, Ecclesie erant, nunc vero Ecclesie, domus: immo vero domo qualibet prophana magis. Et postea: In Ecclesia vero magnus tumultus, magna confusio, tanta turba, tantus risus, quantus in balneis, quantus in foro. Et postea: Neque tonstrina, aut vnguentaria taberna Ecclesia est, aut officina forensis, sed locus Angelorum, locus Archangelorum, regia cæli, cælum ipsum. Rursus: Atqui iucundum colloqui cum familiari. Esto sane, non vero, sed domi, sed foris, sed in balneis fiat. Ecclesia enim non discipulandi, sed discendi locus est: Nunc autem a foro nihil differre, etsi non sit temerarium dictu, fortasse nec scena ipsa, adeo protutis scortis, petulantiusq. huc mulieres congregantur, & sine dubio non paucos etiam hic sollicitant homines intemperatos. Si quis corrumpere matronam conatur, locum huc maxime idoneum purat. Cessent, ait Concil. Lugdunen. in capit. decet. de immunit. Eccles. in 6. vana & multo fortius foeda, & prophana colloquia, cessent confabulationes quælibet, &c. Vtinam mulieres, vbi in Ecclesiam conueniunt, iuxta Pauli præceptum 2. ad Corinth. 1. reuelato capite incedant. Quod & postea Linus Petri successor eius iussu constituit, vt Damasus Papa in Pontificali testatur: Vtinam Episcopi curam, & cogitationem pastoralis sollicitudinis dignissimam suscipiant, instaurandi consuetudinem, vt velo caput mulieres induant, dum vel in Ecclesia affident, vel sacras processiones prosequuntur. Tanta est Ecclesiarum religio, & reuerentia, vt nedum illicita in Ecclesijs prohibeantur: verum etiam quæcumque prophana, etsi alibi legitime, exercentur. Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. c. 10. Quare iudicia, & arbitria in Ecclesijs exerceri vetitum est in Concil. Lugdun. d. cap. decet, & longe ante in Concil. Paris. Gl. in d. c. decet & in c. 1. c. cum Ecclesijs de immunit. Eccl. Decius in c. qua fronte de appellat. Nauarrus de orat. c. 5. Illud quæsitum est an sententia, qua quis de hæresi damnatur, & curiæ seculari traditur, in Ecclesia ferri possit, auctor directorij inquisit. 3. par. credidit, sententiam illam extra Ecclesiam ferendam esse. Nauarrus in lib. de orat. & horis can. c. 5. pluribus verbis contrariam probat sententiam. Romæ eo testante tales sententiæ intra Ecclesiam pronunciantur: Vetantur & in Ecclesijs emptiones, & venditiones. Nam & Christus e templo eiecit ementes, & vendentes, Matth. 21. Trull. Syn. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur ait, quod non oportet intra sanctos ambitus cautionariam officinam,

vel quæ fiunt per aromata species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesijs seruantes. Seruator enim noster, & Deus. Et postea: Numulariorum menfas effudit, & eos qui sacrum, commune faciunt, eiecit. Si quis ergo in prædicto delicto deprehensus fuerit, segregetur: vbi Balsamon docet, qui sacri ambitus dicantur. S. Chrysofom. d. homil. 36. in epist. ad Corinth. Emere quid, aut mercari lubet? magis idonea Ecclesia est, quam forum. Quare in Ecclesia foribus, & cœmeterijs non licet quidquam venale lucra causa, nisi ad vsum quidem sacrificij, vel Ecclesiæ futurum sit, exponere, Antonin. 3. par. tit. 1. cap. 16. §. 2. Caietan. in summa in verbo immunitas. Prohibentur etiam in Ecclesijs conuiuia, & agapæ. Agaparum consuetudo in Ecclesia antiquitus religiose colebatur. Eam vehementer commendant Tertullian. in Apologet. cap. 39. S. Cyprian. lib. 3. ad Quirin. capit. 3. S. Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 4. & cap. 20. & alij innumeri. In Ecclesijs tamen agapæ, plenissime vetantur in Synod. Laodic. canon. 28. *ὅτι ἐὰν ἐν τοῖς κυριακοῖς, ἢ ἐν ἡμετέροις τὰς λαορρυθμίας ἀγάπας ποιεῖν, & ἐν τοῖς οἴκοις τῶν ἐκκλησιῶν, & ἀνεβίβητα εὐαγγέλιον* can. non oportet dist. 42. quæ constitutio instauratur in Trull. Synod. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, ait can. 74. adiecta poena, vt, qui hoc ausi fuerint, *ἢ παυσάσθωναν, ἢ ἀφορίζέσθωναν*, vel cessent, vel segregentur. Hoc ipsum longè ante vetuerat S. Paul. 1. ad Corinth. 11. Numquid non habetis domos ad manducandum, & bibendum, aut Ecclesiam Dei contemnitis? & postea: Si quis esurit, domi manducet. In eadem sententiam extant canon. Concil. Afric. circa tempora Bonifacij 1. capitulo 27. Antifiodor. cap. 1. S. Paulin. dolet, & conqueritur, quod in æde S. Felicis populus epulabatur. Natali 9.

*Gens male credula, sanctos
Perfusis halante mero gaudere sepulchris.
Verum vtinam sanis agerent hæc gaudia votis:
Nec sua liminibus miscerent pocula sanctis.*

Hoc loco notanda est eorum immoderata licetia, qui in maximis caloribus, vitandi caloris causa, in Ecclesijs epulantur. Episcopis etiam, & clericis in Ecclesijs conuiuari, non indulgetur, nisi forte hospitij necessitate transeuntes illic diuertant, Synod. Carthag. cap. 45. can. nulli dist. 42. Prohibentur & generaliter in Ecclesijs conuentus omnes clericorum ad opera secularia, d. cap. decet. vbi etiam prohibentur publica parlamenta. Quod loci Ioann. Andreas commentus est, Caium, & Scipionem Consulatu priuatos fuisse, quia parlamenta in templo faciebant. Cuius error conuincitur ex eodem Valerio, quem ipse laudat, tum ex Feneft. cap. 4. & Cic. lib. 1. de diuinat. Hoc loco obiter obseruandum Gregor. 10. in Concil. Lugdun. mentionem facere de publicis parlamentis, quæ verba ad Galliarum parlamenta referri debent. Galli enim tum publicum ordinum Concilium parlamentum appellabant, vt ex ep. Bonifacij ad Episcopos, & sacerdotes Galliarum, & compluribus alijs auctoribus colligere licet. Exinde conuentus iudicum maiores, parlamenta cœperunt appellari, nedum apud Gallos, sed & apud Anglos, quod pluribus alibi docui. Ceterum conuentus etiam laicorum ad pietatis, & religionis opera non prohibentur. Quare sodalitates, siue confratriæ, aut confraternitates, quæ ad diuinum cultum, & eleemosynas in Ecclesijs cogi consueuerunt, non improbantur. Fratriæ apud Aristotelem in politicis dicuntur hominum conuentus propria sibi sacra, & pecularia habentium: ij enim homines communi puteo utebantur, quod Græce dicitur *φρέαρ*. Hæc Budæus ad tit. de offic. quæst. Inde fraternitates pro collegijs Christianorum, passim apud Tertullianum, Cyprianum, Hieron. Rhenanus ad Tertullian. lib. de velandis virginibus, & lib. ad martyres. Non me latet quandoque fratriam pro coniuratione, & sodalitate maligna factioque, mète facta vsurpari, vt in Concil. Chalcedon. can. 18. vbi Balsamon can. coniurationum 11. quæst. 1. Sane fraternitates, quæ ad cultum Dei, & misericordiæ opera instituantur, iure nostro approbantur can. si qui clericorum 11. quæst. 1. vbi Glo. can. sane 16. quæst. 7. De his plura in commentarijs nostris d. l. illud. C. de sacrosanct. Eccles. Postremo ea erat Ecclesiæ religio, & immunitas, vt ad eam confugientes non liceret inde extrahere, vel eis aliquam vim inferre. l. 2. & alij sub tit. de ijs qui ad Ecclesiam confugiunt in Cod. Iustin. & Theodos. Quas leges laudat S. Gregor. lib. 11. epist. 54. Harum etiam meminit Constant. Hermenop. lib. 2. promptuar. Iur. tit. 9. Legimus, Eutropium Eunuchum, cum iussisset, legem promulgari, ne quis ad Ecclesiam confugeret, & vt confugientes ad eam inde eriperentur; impiæ eius audaciæ poenas dedisse, legemque illam ex publicis commentarijs deletam fuisse. S. Chrysof. serm. in Eutropium. Sozom. lib. 8. cap. 7. Socrates lib. 6. cap. 5. Suidas in Eutropio. Nicephor. lib. 13. cap. 4. Gratia. 17. quæst. 4. varia decreta Aug. Gelasij, Concil. Tribur. & Toletan.

Toletan. adfert aduersus eos, qui ad Ecclesiam confugientes e templo eripiunt. Barbari Ecclesijs ius asyli conseruabant, teste August. de Ciuitate Dei, libro 1. capitulo 34. Martyrum loca, & Basilicæ Apostolorum, ait idem August. libro 1. de Ciuitate Dei, capitulo 2. in illa vastatione vrbs Romæ ad se confugientes suos, alienosque receperunt. Hucusque cruentus sæuiebat inimicus, ibi accipiebat limitem trucidatoris furor, & eodem libro capitulo 4. Compara nunc asylum illud non cuiuslibet: Dei gregalis, vel de turba plebis, sed Iouis ipsius, sororis, & coniugis, & reginæ omnium Deorum cum memorijs nostrorum Apostolorum: & postea ibi: Amissa, hic seruata libertas, ibi clausa, hic interdicta captiuitas, ibi possidendi a dominantibus hostibus premebantur. Theodoricus Rex apud Casiodor. libro 3. epistola 47. Iouino, qui intra Ecclesiæ septa confugerat, vt & sancto templo reuerentiam habere videretur. Nec Iouinus culpæ poenam omnino fugeret, poenam moderatur. Edoardus Anglorum Rex lege lata, reum ad Ecclesias confugientem poenam grauiorem meritum, perpetuo dumtaxat exilio mulctat, ea tamen lege, vt exulare iussus, vsque ad littus maris crucem manu gestet, veluti signum seruatae vitæ, religionis ergo. Polydor. Virgil. libro 1. histor. Anglic. in Henrico: Amplius fideles ingressione Ecclesiæ consecratae venialium, seu leuiorum peccatorum remissionem consequuntur. S. Thom. tertia parte, quæstione 83. articulo 3. versic. ad tertium. Plura de iure asyli apud prophanos auctores, & Alexandrum ab Alex. libro 3. genial. dier. capitulo 20. vbi Tiraquei. Hanc Ecclesiæ immunitatem si quis, siue ciuili, siue criminali nomine obstrictus in Ecclesiam confugisset. Galli religiose colebant, vt in capitulari Caroli Magni tit. de ijs quæ ad l. de clericorum occisione statuuntur: & apud Ansegi. libro 2. capitulo 8. quod & Petrus de Ferrar. in practica inquisitionis vers. Ex his potest non improbabiler quæri de eo, quod seruatur in partibus Franciæ, & Alemanniæ, &c. Indicat, & infinitis parlamentorum antiquioribus placitis apparet. Lucius sub tit. de ijs qui ad sacras ædes confugiunt. Verum quia huiusmodi siue immunitates complures ad delinquendum, & creditores fraudandos alliciebant, & inuitabant, ne Ecclesia, quæ domus orationis est, & sanctitatis, spelunca latronum, & inuitamentum maleficiorum fieret, ne etiam sacrorum locorum immunitas a lege iniuria affectis concessa iniuriaribus proficiat, vt Iustin. loquitur Nouel. 17. de mandat. principum. §. sed neque fidem publicam. Itaque apud nos nullæ immunitati locus est, vbi iudex mandat, aliquem in sacris ædibus cap. Quod & probat Petrus de Ferrar. vbi supra. Plene Aufser. ad Capell. Tolos. quæstione 422. Milleus in praxi criminis persequendi in verbo, locum sacrum. Ceterum sine mandato Iudicis non licet eos, qui ad Ecclesiam confugiunt, inde extrahere, ne Eutropij lex instaurari videatur. Legimus, Dianæ Ephesiæ templum asylum fuisse, cuius libertatis termini sæpe immutati ab Alexandro, Mithridate, & Antonio tandem Augusto cum id damnosum existimaret, & nihil aliud esse quam multis malefaciendi causam exhibere, irritum fecisse Strabo libro 14. Tiberius quoque eadem ratione ius, & morem asylorum, quæ vsque erant, aboleuit. Suetonius, & Tacitus in Tiberio. Nedum autem Ecclesijs, sed earum vestibulis honos habebatur. S. Chrysofom. homilia 30. in 2. ad Corinth. Nonne videtis quod vestibula templi huius exofculantur, illi quidem flectentes, alij autem manu continentis, & ori manum admouentes?



FINIS LIBRI PRIMI.

IOANNIS STEPHANI
 DURANTI
 DE RITIBVS ECCLESIAE
 CATHOLICAE.
 LIBER SECVNDVS.

DE MISSAE NOMINE,
 & de Missa Cathecumenorum.
 CAPVT PRIMVM.

- 1 *Missæ nomen, an sit Hebraicum, vel Latinum.*
- 2 *Cathecumenorum Missa.*
- 3 *Cathecumeni qua Missæ parte mittebantur foras.*
- 4 *Missæ pro missione.*
- 5 *ITE MISSA EST ἀπόλυσις, & liberam populo abeundi potestatem fieri denotat.*
- 6 *Missæ nomen apud Latinos antiquissimum esse Patrum testimonijs comprobatur.*
- 7 *Missæ nomen Gregoriano seculo confictum esse, hæreticorum est impudens figmentum.*
- 8 *Missæ apud Græcos Patres varia nomina.*

DE Missæ nomine non omnes conueniunt. Quidam huius sæculi Græcis atque Hebraicis litteris eruditi Missæ nomen Hebræis acceptum ferunt, a voce מִסָּה Missah quæ a verbo מָסַ Mas desleclitur. Reuelin. lib. 2. de Erudit. Hebraicis. Alciat. li. 7. Parerq. cap. 10. De Xainctes Episcopus Ebroicensis. In præfatione ad Liturgiam. Hector Pintus in c. 3. Daniel. Pamel. in liturg. & alij complures. Hanc sententiam præcipue iuuat quod vox hæc, מִסָּה Missah. Deut. 16. oblationem spontaneam significat. Quod & Munsterus probat in dictionar. Hebraico in verbo מָסַ Massa. Verum scrupulum & dubitationem affert: quod si Missæ nomen Hebraicum esset & a Christianis ab Hebræis retentum, Græci patres, a quibus Sabbaoth, Alleluia, Ofanna, Amen. Aliq. Hebraicorum vocabula ad nos transmissa sunt, nominis Missæ meminissent: at nemo Græcorum Patrum ea voce vsus est. Deinde nullus veterum Latinorum auctorum Missæ vocem, vt Hebraicam vsurpauit. Addo quod si Hebraica esset, eam Latini auctores cum aspiratione missah exarassent. At nusquam apud Latinos legimus Missæ nomen cum aspiratione. Alij Missæ nomē Latinum putant ab emittendo. Alcuin. de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, ex Isidoro lib. 6. Etymolog. cap. 19. Quia dum inchoabantur sacra mysteria cathecumeni mittebantur foras. Vnde ait ille ad finem eiusdem capituli, Missam cathecumenorum canones dicunt, quoniam post Euangelij lectionem incipiunt celebrari sacra mysteria. Quibus non nisi baptizatis interesse licet. Tum enim clamante Diacono cathecumeni mittebantur foras. Missa ergo cathecumenorum, inquit Alcuinus, fiebat ante actionem sacramentorum: Missa vero fidelium post confessionem, & participationē eorumdem. Populus enim a sollempni obseruatione dimittitur. Rabanus Maurus lib. 1. de instit. clerico. cap. 32. Missa, inquit, est temporis sacrificij, quando cathecumeni foras mittuntur clamante Leuita: Si quis cathecumenus remansit, exeat, & inde Missa, quia sacramentis altaris interesse non possunt. Remig. lib. de offic. Missæ. Missa, inquit, dicta est, vt Isidorus ait, ab emittendo. Nam tempore quo sacerdos incipit

incipit consecrare corpus Dominicum, dicendum est a diacono post Euangelium: Si quis cathecumenus est, procedat foras: Et quia tunc emittuntur cathecumeni ab Ecclesia, quia non debent interesse sacris mysterijs, ideo dicitur Missa ab emittendo. Missam cathecumenorum apposite Iuo epist. 75. fecerit a Missa sacramentorum: Hanc sententiam magnopere confirmat S. August. serm. 237. ad mensam S. Cypriani. Ecce post sermonem fit Missa cathecumenis, manebunt fideles, venietur ad orationem. Concil. Carthaginense 4. cap. 84. can. Episcopus. de consecrat. dist. 1. Episcopus nullum prohibeat ingredi in Ecclesiam, & audire verbum Dei, siue Gentilem, siue Iudæum, siue Hæreticum, vsque ad Missam cathecumenorum. S. Ambros. libro 5. epistola 33. Post lectionem atque tractatum dimissis cathecumenis, symbolum aliquibus competentibus; in baptisterijs tradebantur Basilicæ: illic nunciatum est mihi comperto quod ad Portianam Basilicam de Palatio decanos misissent, & vela suspenderent: Ego tamen mansi in munere, Missam facere cœpi. Ad hæc in Concil. Ilerdensi can. 4. can. de his qui Incesti 35. q. 2. vt ij qui se incestus pollutione commaculant, quo vsque in ipso detestando, & illicito carnis contubernio perleuerant vsque ad Missam tantum cathecumenorum. Cassian. libro 2. Institut. capitulo 15. Cumq. subsistens senex audisset eum finisse tractatum, & mutato rursus officio celebrare, velut diaconum, cathecumenis Missam. Et ad finem capit. Modo, inquit, veni quando tu Missam cathecumenis celebrabas. De emissionem cathecumenorum plura hoc loco afferri possunt ex S. Clemente lib. 8. constit. apostolicarum cap. 12. Concil. Laodicenf. can. 19. Maximo de Ecclesiastica Mythagog. Quibus locis vetus mos mittendi foras cathecumenos ante sacrificium detegitur. Hunc veterem morem emittendi cathecumenos amplius confirmant S. Dionys. de Ecclesiast. Hierarch. Tertul. de præscript. aduersus hæretic. S. Athanas. in Apolog. 2. contra Arrianos. Cyrillus Alexandr. lib. 12. in Ioan. cap. 50. S. Gregor. lib. 2. dial. cap. 2. Guillel. Durand. in Rational. Et alij innumer. Missæ igitur nomen a cathecumenorum missione dictum est. Neque nouum est Missam pro missione vsurpari. Cassianus in argumento cap. 13. lib. 2. Instit. nocturnæ Missæ meminit. Ea vero nihil aliud erat quam dimissio illa, quæ noctu peracta oratione publica, fiebat. Et lib. 3. Instit. cap. 7. Qui tardius ad orationem accedit pro foribus congregationis iubetur Missam præstolari, hoc est expectare pro foribus donec congregatio dimittatur: & cap. 8. Contenti somno qui nobis, post vigiliarum Missam, vsque ad lucis indulgetur aduentum. Et paulo post: Nisi post vigiliarum Missam, quo loci Missa vigiliarum significat dimissionem peractis vigilijs. Sic & veteres patres remissam pro remissione dixerunt. Tertul. lib. 4. aduers. Marcion. cap. 18. ibi: Diximus de remissa peccatorum, vbi Rhenanus: plene & luculenter. S. Cypri. lib. de bono patientiæ. Dominus baptizatur a seruo, & remissam peccatorum daturus. Et lib. 3. epist. 8. ibi: Qui ad remissam peccatorum accipiendam hoc ipso facilius. Accedit & epist. 14. Qui autem blasphemauerit in Spiritum sanctum non habet remissam, sed reus est æterni peccati. Non desunt qui a gemina missione Missam appellatam dixerunt. Prima missio est cathecumenorum de qua iam diximus, altera fidelium quæ fieri solet sacris peractis clamante diacono: I TE MISSA EST, hoc est finita, & completa est oblatio. Quemadmodum in Regula S. Benedicti, vbi cap. 9. de publicis precibus, & cap. 12. & 13. compleantur, pro eo. c. 17. dicitur: Missæ sint, & fiant Missæ, hoc est, compleantur, & finiantur. Inde fideles peractis sacris mittebatur quisque ad sua negotia, eaq. missio siue dimissio a Græcis dicitur ἀπόλυσις & ἀπολύειν dimittere. Quo verbo diaconus in Ecclesia Græca, peracto sacrificio denunciat populo potestatem abeundi, vt nos dicimus: I TE MISSA EST, simile quiddam in sacris gentium fieri consuetum erat. Peractis enim eorum sacris Sacerdos ad plebem conuersus dicebat λαοῖς ἀφίεσις, id est, populis missio. Et apud Apuleium libro vndecimo, vbi Beroaldus, de quo plura in vltima parte Missæ. Porro quemadmodum Missa cathecumenorum quandoque significat totum illud ministerium quod in Ecclesia peragitur, donec illi clamante diacono foras mittantur, vt in Concil. Valentino, & Hispano can. 1. ibi: Vt sacrosancta Euangelia ante munerum illationem in Missa cathecumenorum in ordine lectionum post legantur. Ita Missa in hunc vsque diem vniuersum illud complectitur sacrarum actionum, quasi corpus quod sacerdotes perficiunt donec populo idem nunciet diaconus: I TE MISSA EST. Sane Missæ nomen apud Latinos antiquissimum esse, eoq. Patres Christianæ religionis primarios pro sacrificio vltos fuisse, constat innumeris sanctorum Patrum testimonijs. Euaristus tertius a Petro Pontifex Romanus. Apud Bruchardum lib. 3. Decretal. capitulo 27. Omnes Basilicæ cum Missa semper debent consecrari. Alexander Papa 4. post Petrum,

Imperante Traiano epist. 1. ad omnes orthodoxos. can. in sacramentorum, de consecrat. distinct. 2. In sacramentorum, inquit, oblationibus, quæ inter Missarum sollempnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut eius, cuius corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur. Rursus eadem Epist. In sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum sollempnia Domino offeruntur, panis & vinum aqua permixtum sacrificio offerantur. Telephorus Papa sextus a Petro temporibus Antonini, & Marci: Nocte, inquit, sancta natiuitatis Domini Saluatoris Missas celebrent, & hymnum angelicum in eis sollempniter decantent. can. nocte sancta. de consecr. dist. 1. Et paulo post: Reliquis enim temporibus Missarum celebrationes rursus pro tempore, & loco in Missarum sollempnijs. Higinus Papa 7. Omnes Basilicæ debent semper cum Missa consecrari. can. omnes basilicæ. de consecr. distinct. 1. & apud Iuonem libro 2. decretal. Pius Papa epist. 8. ad Iustum. Antequam Roma exisset, foror nostra Euprepia, sicut bene recordaris, titulum domus suæ pauperibus assignauit, ubi nunc cum pauperibus nostris commorantes Missas agimus. Et alibi ut post Missarum sollempnia, qui communicare non fuerint parati, eulogias omni die dominico, & in diebus festis exinde accipiant. Bruchard. libro 5. Decret. capit. 27. Iuo parte 2. Decret. capit. 37. Soter decimus a Petro, Imperante M. Aurelio Vero: Ut nullus, inquit, presbyterorum sollempnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus. can. hoc quoque statutum. de consecr. distinct. 1. Bruchard. libro 3. capitulo 74. Iuo parte 2. capitulo 127. Fabianus Papa 18. Apud Bruchard. libro 5. decret. capitulo 36. Sacrificium non est accipiendum de manu Sacerdotis qui orationes, vel actiones, & reliquas obseruationes in Missa secundum ritum implere non potest. Idem Fabian. epist. 3. ut presbyter illiteratus Missam celebrare non audeat, Felix primus Claudij & Aureliani temporibus epistola 2. ad vniuersos Galliarum Episcopos. Qua propter in præfata constituimus Synodo, vobisq. omnibus Ecclesijs tenendum, & agendum mandamus, ut super memorias martyrum Missæ celebrentur. Eutyrianus Felicis successor apud Gratianum, can. Siquis Episcopus. 11. quæstione 3. Siquis Episcopus, aut Abbas presbytero, aut Monacho suo iusserit Missas pro hæreticis cantare, non licet. Syluester in Synodo can. nullus presbyter Missas celebrare præsumat nisi in sacris ab Episcopo locis. de consecr. distinctione 1. Damasus Papa in Pontificali, in Alexandro, Sixto, & Telephoro. Et epistola 4. de Chorepiscopis. Non licet Chorepiscopis publice in Missa quemquam pœnitentem reconciliare. Quibus etiam verbis utitur Leo Magnus epistola 88. S. Ambrosij dicta epistola 33. Ego tamen mansi in munere, & Missam facere coepi. Idem Ambrosij oratione præparatoria ad Missam: Propter clementiam tuam magnam concede mihi hodie, & semper Missarum sollempnia puro corde, & pura mente celebrare. In comment. Prouerb. capit. 2. quæ cum operibus S. Hieronymi circumferuntur: Sunt, inquit, qui de leuioribus peccatis cum quibus defuncti obligati sunt post mortem possunt absolui, vel pœnis videlicet castigati, vel suorum precibus, et eleemosynis Missarumq. celebrationibus. S. August. sermone 91. de tempore: In lectione, quæ nobis ad Missas legenda est, & serm. 251. Sunt aliqui, & maxime potentes istius mundi, cum veniunt ad Ecclesiam non sunt deuoti ad laudes Dei celebrandas, sed cogunt presbyterum ut abbreviet Missam, & ad eorum libitum canter: nec ei licet morem Ecclesiasticum sequi, propter illorum gulam, & auaritiam. Ruffin. Aquileien. interpres epist. 3. Clement. Missæ nomine utitur, quod sane indicat nomen Missæ fuisse vsitatū. Seuerus Sulp. in vita S. Martini semel atque iterum Missæ meminit. Cassian. item libro 3. Institut. cap. 11. Verum ne hoc quidem ignorandum, die Dominico vnam tantum Missam ante prandium celebrari, ubi proculdubio Missa pro sacrificio, quam alibi Collo. 22. capit. 4. 6. & 8. sacrosancta mysteria a Christo initiata nominat Leo Magnus, epist. 79. Sen. 81. Ad Dioscorum Alexandrum: necesse est autem, ut quædam pars populi sua deuotione priuetur. Si vnus tantum Missæ more seruato sacrificium offerre non possint, nisi qui prima diei parte conuerint. Prætereo Gregorium Magnum, Bedam, & complures illius sæculi patres, qui passim huius vocis meminerunt, quibus satis superq. conuincitur eorum perfidia, & calliditas, qui Missæ nomen recens, & Gregorij sæculo confictum mentiuntur. Omnes enim hi auctores S. Gregorium longo interuallo præcesserunt. Prætereo canones Apostolorum, Clementē, Abdiam, Ignatium, & quosdam alios qui Græce scripserunt, quorum interpretes Missæ vocabulo vsi sunt. Prætereo item Concilium Carthaginense 2. can. 3. Agathen. can. 21. Carthaginense 4. can. 84. Mileuitanum can. 12. Matisconense cap. 50. Apud Bruchard. libro 5. cap. 32. Aurelianense 1. can. 28. Gerundenense can. 1. Et alia complura: in quibus Missæ nomen

Passim

passim legimus. Græci Missam frequentius *λειτεργίαν*, appellant *λειτεργία*, ait Suidas, *κυρίως ἢ δημοσία ὑπηρεσία παρὰ τὸ λήϊτον & τὸ ἔργον*. Liturgia dicitur officium seu ministerium, & munus publicum a *λήϊτον*, publicum, & *ἔργον*, munus seu opus. Apud Synesium epist. 79. & alibi passim, *λειτεργία*, pro munere publico. Isocrates magistratuum functiones liturgias *λειτεργίας*, appellat. In nouo Testamento, *λειτεργίας*, vox ad sacra, & sacrificia refertur. Vnde Actuum 13. Ministrantibus illis Domino, Græce est *λειτεργείων*, id est, ut Gagnæus, & Erasmus ipse, atque alij plures interpretantur, sacrificantibus. Apud Simeonem Metaphrastem, in vita Petri, & Pauli Apostolorum, hic locus ita legitur: Vbi Domino sacrum obeuntes ministerium a Spiritu sancto segregantur. Hanc interpretationem. S. Luca stylus confirmat. Is enim eadem voce utitur Luc. 1. de sancto Zacharia sacerdote, ut impleti sunt dies officij eius, quod in sacrificio offerendo versabatur. Græce legitur, *ἔργον ἐν τῷ ἱερῷ ὡς ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτεργίας αὐτοῦ*. Iustinian. Nouel. 7. §. quia vero cognouimus, liturgiæ meminit Iulianus antecessor, eadem Nouell. 7. Missam interpretatur. Idem Iustinian. Nouel. 131. De Eccles. titul. §. si quis in sua domo. Græce legitur, *εἴ τις ἐν τῷ ἱερῷ οἴκῳ ἢ προαίειν ἢ χωρίῳ ἐκκλησιαστικῆν λειτεργίαν τολμήσῃ ἐπιτελέσαι*. Nonnumquam Græci Missam *ἱερουργίαν*, hoc est sacram operationem appellarunt, eoq. nomine S. Ignatius semel atque iterum utitur. Quandoque *μυσταγωγίας*, quasi summi ministerij nomine Græci auctores vsi sunt. Gregor. Nazianz. quibusdam in locis. Iustin. Nouel. 58. *τὴν ἱεράν ἐπιτελεῖν μυσταγωγίαν*. Iulianus Missam interpretatur interdum *προσφοράν*, hoc est oblationem in can. 3. & 7. apost. & apud Ignatium: non licet sine Episcopo neque baptizare neque *προσφέρειν*, id est, offerre. Nonnulli *θυσίαν* can. 3. apost. *ἐπὶ τῇ θυσίᾳ*, de sacrificio S. Ignatius ad Smirnenenses *ἐδὲ θυσίαν προσκομίζεν ἐδὲ δόξαν ἐπιτελεῖν*, neque sacrificium immolare, neque coenam celebrare. Gregor. Nazianz. *ἀναίμακτον θυσίαν*. Incruentum sacrificium. Alij *τελετήν*. Synesius Missam vocat *τελετήν ἀπόρρητον*, id est arcanum mysterium. Inde S. Dionys. Christum tanti mysterij auctorem *τελετάρχον*, appellat.

DE MISSAE SACRIFICIO CAPVT SECVNDVM.

1. Sacrificium verum, & proprium Deo in Missa offerri, patrum tum Græcorum, tum Latinorum testimonijs contra hæreticorum inania figmenta proluxe cumulateq. probatur.
2. Sacrificium Missæ ex conciliorum etiam decretis conuincitur.
3. Sacrificij incruenti quod in Missa offertur figura.
4. Sacrificium Missæ ex varijs prophetarum prædictionibus ostenditur.
5. Psalmi 71. locus explicatur.
6. Sacrificium Missæ ratione etiam ostenditur.
7. Sacrificium esse in noua lege non modo *δι' ἁριστῶν* sed etiam pro peccatis propitiatorium, contra lutheranorum stultam calliditatem probatur patrum luculentis testimonijs, conciliorum decretis, & Ecclesiæ perpetuo vsu.

M

ISSAM esse sacrificium, hoc est in Missa offerri Deo verum, & proprium sacrificium negant Lutherani, Caluinistæ, & alij huius sæculi hæretici. At sanctorum veterum patrum consentiens, conspirans, & continuata sententia docet, in Missa verum, & proprium Deo offerri sacrificium, can. Apostol. 3. Si quis Episcopus aut presbyter præter ordinationē Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est aut mel, aut lac, aut pro vino siceram, &c. & can. 8. si quis Episcopus presbyter, vel diaconus, vel ex sacerdotali catalogo facta oblatione non communicauerit, causam dicat. S. Andreas, testatē Philocteto, ex epistola Achaïæ sacerdotū ad Ægeam Proconsulem, ait, immaculatū agnum immolari quotidie in altari sacrificij: huius vero epistolæ Sanctus Vuolphelmus Abbas. S. Bern. & auctor libelli de duplici martyrio, mentionem faciunt. S. Dionys. de Eccl. hierar. c. 3. diferte ait in Missa litari hostiam salutarem. Quo circa, inquit, reuerenter simul, & ex Pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes quod hostiam salutarē, quæ supra ipsum est licet, se excusat ad ipsum primo decenter, exclamans: Tu dixisti, hoc facite in meam commemorationē, verba

I 3 eius

eius sunt ὅθεν ἐυλαβῶς τε ἀμακῆ ἱεραρχικῶς, ὑπερῶς ὑπερ᾽ αὐτὸν ἱεραρχίας ἀπολογεῖται, πρότερον ἱεραῶς πρὸς αὐτὸν ἀναβοῶν, Σὺ εἶπας, τὸ ποιεῖτε εἰς τὸ ἐμεῦ ἀνάμνησιν. S. Ignatius ep. ad Smirnenfes: Non licet sine Episcopo, neque baptizare, neque offerre, neque sacrificium immolare, neque δ᾽ ἄπνον, idest coenam celebrare. Iustinus martyr in dialogo cum Triphone: Ceterum de sacrificio, quod offertur in omni loco a nobis gentibus, idest Eucharistiæ, tū pane, tum poculo. Et postea eodem Dialogo: A nemine autem Deus victimas, nisi per sacerdotes suos accipit. Vnde certo constat quod huius nominis sacrificia, quæ Iesus Christus tradidit, hoc est Eucharistiam panis, & poculi, vbi cumque terrarum apud Christianos fiant, Deus accipiat, ei grata sibi esse testetur. Et Apolog. 2. vbi desitum a precibus, affertur Antifiri frustum panis, & calix aquæ, & vini diluti, atque ita is capiens laudem, & gloriam Patri omnium rerum, per nomen Filij, & Spiritus sancti enunciat, offert, pariterq. benedictionem in longum facit. Anacletus Papa epist. 1. Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat. canon. Episcopus de consecr. dist. 1. Clemens epist. 3. hic ergo, idest in præfenti vita, positos oportet nos agnoscere voluntatem Dei, vbi & agendi, & sacrificandi est locus: quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, canon. hic ergo de consecr. dist. 1. Alexander Quintus a Petro epist. 1. Nihil in sacrificijs maius esse potest, quàm corpus, & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit. can. nihil de consecr. distinct. 1. Idem Alexand. eadem epist. Ipsa vero veritas nos instruit calicem, & panem offerre in sacramento, quando ait: Accepit Iesus panem, & benedixit, &c. Soter Papa 13. in decret. apud Bruchardum lib. 3. cap. 73. luo. parte 2. capit. 126. Gratian. de consecr. distinct. 1. vt illud cauendum, ne horis illis atque temporibus quibus Deo psallitur, vel sacrificatur, & postea canens Deo, atque sacrificans post se vicini solaminis adiutorem, rursus censuimus ergo conuenire, vt cum a sacerdotibus Missarum tempore sacra mysteria consecratur, &c. Irenæus l. 4. aduersus hæreses cap. 32. sed & suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis non quasi indigenti, sed vt ipsi, nec infructuosi, nec ingrati sint, eum qui ex creatura panis est accepit, & gratias egit dicens: Hoc est corpus meum, & calicem similiter, qui est ex ea creatura, quæ est secundum nos, suum sanguinem confessus est, & noui Testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens in vniuerso mundo offert Deo. Tertullianus de cultu feminarum: Aut imbecillis aliquis ex fratribus visitandus, aut sacrificium offertur, aut Dei verbum ministratur. vbi Pamel. Idem Tertul. libro de oratione accepto corpore Domini, & reseruato, vtrumque saluum est, & participatio sacrificij, & executio officij: & in libro de velandis virginibus, non permittitur mulieri in Ecclesia loqui, sed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec vllius ciuilibus muneris, neque sacerdotalis officij, fortem sibi vendicare. Sane ibi verbum offerre verum sacrificium notat, mulieribus enim offerre panem, & vinum ad futurum sacrificium non denegatur. Item de exhortatione castitatis, ait, ius sacerdotis esse tingere, & offerre. Offerre autem improprie non est solius sacerdotis, sed totius populi, & de corona militis: Oblationes pro defunctis pro natalitijs annua die facimus. Cyprian. l. 1. epist. 9. decretum Synodi recitans, ait quod si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro eius dormitione celebraretur, neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece: hoc loco Cyprian. & sacerdotum, & altaris, & sacrificij meminit. Idem Cyprian. epist. 63. ad Cæcilium: Nam si Iesus Christus dominus, & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & ipse primus sacrificium Deo patri obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi fungitur, qui hoc quod fecit Christus imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri. Et paulo post: At enim non mane, sed post coenam, mixtum calicem frequentâdis Dominicis offeramus. Christum offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum, & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est, & occident illum omne vulgus Synagogæ filiorum Israel ad vesperam, & de coena Domini sacrificium omnes victimas excellens. Hippolytus martyr, quem sanctus Hieronym. cuiusdam Ecclesiæ Episcopum nominat, vrbis nomen ignorans. Portuensem vero Episcopum fuisse, auctores sunt Euseb. libro 6. capitulo 21. & Nicephorus l. 5. capit. 15. Is in oratione de consummat. mundi huius sacrificij mentionem facit his verbis: ἀλλὰ τὰ ἱερά τῆς ἐκκλησιᾶς ὡς ὁπωροφυλάκιον γῆσι, καὶ τὸ τίμιον σῶμα, & αἷμα τοῦ χριστοῦ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐν ἀφανίσσει, λήθουργία, σβειδήσει. ἡ λαμπρότητα σβειθῆσται. Sed Ecclesiarum ædes sacræ, tugurij instar erunt, pretiosumq. corpus & sanguis Christi non extabit in diebus illis, liturgia extinguetur, psalmodiarum decantatio cessabit.

Marcel-

Marcellinus papa epist. 1. ad Salomonem episcopum: Sacrificium itaque quod a Christianis sacris altaribus admouetur, non solum deo patri, sed etiam filio, communi deuotione offertur, quoniam nec patri sine filio potest offerri, neque filio sine patre sacrari. Athanas. Apolog. 2. in narratione quo modo e Tyro abierit: Nam de mysterijs, inquit, inquirentes Iudeos interrogarunt, & catechumenos examinauerunt, vbi nam eratis cum Macharius accessit, & mensam subuertit? Illiq. responderunt: Nos intus fuimus. iam si id verum est, ergo eo tempore oblatio celebrari non potuit, si quidem Catechumeni intus erant. æque tamē scripturarum, stante presbytero & sacrum faciente Macharium ingressum subuertisse omnia. S. Basilius serm. 2. de baptismo cap. 2. hoc pacto poterit quis dignus fieri ad sacrificandum mysterium Domini secundū euangelium. Gregorius Nazian. in carm. de vita sua:

Non attingi sic ut sacrum nec unicum.

Illic obirem ungerem aut preces meas.

Et orat. 1. in Iulianum Apostatam: Nox incruenti sacrificij oblatione manus commaculat, per quod nos Christo vnimur nec non passionis, ac diuinitatis eius participes reddimur. Innocentius primus epist. 3. ad Exuperium Episcopum Tolosanum cap. 1. ibi: Quanto magis ij sacerdotes vel leuitæ pudicitiam ex die ordinationis suæ seruare debent, quibus vel sacerdotium, vel ministerium sine successione est, nec præterit dies quæ vel a sacrificijs diuinis vel a baptismatis officio vacet. nam si S. Paulus apost. ad Corinthios scribit, dicens: Abstinete vos ad tempus, vt vacetis orationi; & hoc vtique laicis præcepit: multo magis sacerdotes quibus & orandi, & sacrificandi iuge officium est, semper debebunt ab huiusmodi confortio abstinere. S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 41. S. Laurentius, inquit, cum videret Sixtum Papam ad martyrium duci, flere coepit, non passionem illius, sed suam remanionem: itaque, ait Ambros. his verbis appellare coepit: Quo progredieris sine filio, pater? quo sacerdos sancte, sine diacono properas? nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras, quid in me ergo displicuit, pater? num degenerem me probasti? experire certe, vtrum idoneum ministrum elegeris: cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorū confortium sacramentorum, huic confortium tui sanguinis negas? idem Ambros. in psal. 38. Vidimus principem sacerdotum ad nos venientem: vidimus, & audiuius offerentem pro nobis sanguinem suum: sequamur, vt possimus, sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium: etsi infirmi, merito tamen honorabiles sacrificio: quia etsi nunc Christus non videtur offerri, tamen ipse offertur in terris, quando Christi corpus offertur: Et in cap. 10. epist. ad Hebræos: Offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis eius, & vna est hæc hostia, non multæ. Quo modo vna est, & non multæ? quia semel oblata in sancta sanctorum, hoc autem sacrificium exemplar illius est: id ipsum semper offerimus, nec nunc quidem alium agnum cras, alium hodie, semper id ipsum, proinde vnum est hoc sacrificiū. Alioquin hac ratione quoniam multis in locis offertur, multi Christi sunt? nequaquam, sed vnus vbiq. est Christus, & hic plenus existens, & illic plenus, vnum corpus. Sicut enim qui vbiq. offert vnum corpus, non multa corpora: ita etiam & vnum sacrificium. Pontifex enim noster ille est, qui hostiam mundantem nos obrulit, ipsam offerimus, & nunc quæ tunc oblata quidem consumi non potest: hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est: Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem. Quæ toridem verbis exarauit S. Chrysof. hom. 17. in epist. ad Hebræos, adeo vt ea ipsa verba in vno græce, in altero latine exarata legantur. Idem Ambros. serm. 8. in psalm. 118. Immo plerique sunt eiusmodi dies, vt statim meridianis horis adueniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc vtique paratus assiste vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini Iesu: Quibus verbis indicat, prius oblationem celebrari, quàm sumatur corpus Domini. Idem Ambros. lib. 1. comment. in cap. 1. Lucæ: Atque vtinam nobis quoque adolentibus altaria, sacrificium deferentibus, assistat angelus, immo præbeat se videndū: non dubites enim assistere Angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. Et lib. 5. epist. 28. Ego, inquā, causam in te contumaciæ (de Theodosio loquitur) nullam habeo, sed habeo timoris, offerre nec audeo sacrificium, si volueris assistere. Et paulo post: Cum enim essem sollicitus ipsa nocte, qua proficisci parabam, venisse quidem visus es ad Ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit. Prætereo complura eiusdem auctoris loca in eandem sententiam, præsertim lib. 4. de sacramentis cap. 5. & in prima præfatione præparante ad Missam. S. Hieron. lib. 3. aduersus Pelagian. cap. 5. Sic docuit Apostolos suos, vt quotidie in corporis illius sacrificio credentes audeant loqui: Pater

pater noster. &c. in psal. 65. Holocauſta medullata offerā tibi, id est offeram tibi corpus Christi. & epist. 146. ad Damasum: Conuiuū siue epulū in Ecclesia quotidie celebratur, quotidie pater filium recipit: semper Christus credentibus immolatur. Idem Hieronym. in psal. 21. Vota mea reddam Domino coram timentibus eum, hoc est mysterium corporis, & sanguinis mei offeram cum ijs, qui in eius timore hæc celebrant. & lib. 14. comment. in cap. 46. Ezechielis: Sacrificium hoc Deo legitimum, iuge, atque perpetuum, quod nulla intermittitur die, sed omni tempore, orto sole, semper offertur. &c. Idem Hieronym. in cap. 1. Ioelis: Auferetur autem sacrificium & libatio de domo Domini, quando multiplicata iniquitate refrixerit charitas multorum: & principes populi, & ministri altaris viderint campos, & plana credentium fructus non afferre virtutum, sed omnia vitij inhorrescere. Idem Hieronym. aduersus Vigilantium cap. 3. Male facit ergo Romanus Episcopus qui sic per mortuorum hominum Petri, & Pauli secundum nos ossa veneranda, secundum te vile puluisculum offert Domino sacrificia, & tumultus eorum Christi arbitratu altaria. idque non solum vnius vr̄bis sed totius orbis faciunt Episcopi. Sunt & alia in eandem sententiā S. Hieronymi testimonia. Euseb. Emis. homil. de S. Blandina: Photinus, inquit, ecclesiae huius Antistes, & pro eruditionis, vt credimus, merito, gregi suo iungitur, ac post dominici corporis sacrificium, profanis tribunalibus nouam de se hostiam Christo oblaturus infertur. S. Chrysoſt. lib. 6. de sacerdotio, post principium: Cum autem ille & Spiritum sanctum in uocauerit, sacrificiumque illud horrore, ac reuerentia plenissimum perfecit, communi omnium Domino, manibus assidue, pertractato. Et homil. 17. in epist. ad Hebr. post exarata eadem verba, quæ ex S. Ambrosio retulimus, addit: Sed quia sacrificij huius mentionem feci. &c. Item homil. 21. in acta Apostol. Dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, & ineffabilia sacramenta. Et antea homil. 18. in acta Apostol. Venerabilis erit & presbyter, postea & ad securitatem agri. conduceret, preces illic perpetuæ propter te laudes, & synaxes, propter te oblatio per singulos dies dominicos. Rursus memoria defunctorum in sacrificio meminit idem Chrysoſt. homil. 3. in epist. ad Philipp. & homil. 69. ad populum Antioch. & plenius homil. 24. in epist. 1. ad Corinthios *ἐν ταῦτα δὲ ἐπὶ τὸ πολλαφ' ἑρμηνεύσεων, & μεγαλοπρεπέστερον ἢ ἱερεργίαν κατεσκευάσθη, & τὴν θυσίαν ἀντὶ τῆς ἀμελείας, & ἀπὸ τῆς ἀλόγων σφαγῆς ἐαυτὸν προσφέρειν κελύσας.* Hic autem multo admirabilius & magnificentius sacrificium præparauit, & cum sacrificium ipsum commutaret, & pro brutorum cæde seipsum offerendum præciperet. S. August. de fide ad Petrum cap. 29. Cur cum Patre & Spiritu sancto a Patriarchis, prophetis, & sacerdotibus tempore veteris testamenti animalia sacrificabantur? & cur nunc, id est tempore noui testamenti, cum Patre & Spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis, & vini in fide, & charitate sancta Ecclesia Catholica per vniuersum orbem terræ offerre non cessat? & lib. 10. contra Faustum manichæum. cap. 18. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo multis & varijs modis, sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Christus obrulit. Vnde iam Christiani peracti eius sacrificij memoriam celebrabant sacrosancta oblatione, & participatione corporis, & sanguinis Christi. & lib. 9. confess. cap. 23. memoriam sui ad altare fieri desiderauit, cui nullus diei prætermessione seruierat: vnde sciret dispensari victimam sanctam qua deletum est chirographum, quod erat contrarium nobis. Et de ciuitat. Dei lib. 17. cap. 5. Ideo hic dicit manducare panem, quod est in nouo testamento sacrificium Christianorum. Et de spiritu, & littera cap. 11. Vnde in ipso verissimo & singulari sacrificio gratias agere Deo nostro monemur. & cap. 20. Pro illis omnibus sacrificijs, & oblationibus corpus eius offertur, & participantibus ministratur. Epist. 23. ad Bonifacium: Nonne semel immolatus est Christus in seipso; & tamen in sacramento non solum per omnes paschæ sollempnitates, sed omni die populis immolatur: nec vtrique mentitur qui responderit. Et lib. 22. de ciuit. Dei cap. 8. Vir Tribunitius hesperius, qui apud nos est, habet in territorio fuffalensi fundum, Zubedi appellatum, vbi cum afflictione animalium, & feruorum suorum domum suam spirituum malignorum vim noxiam perpeti comperisset, rogauit nostros, me absente, presbyteros, vt aliquis eorum illo pergeret: porrexit vnus, obrulit ibi sacrificium corporis Christi, orans quantum potuit, vt cessaret illa vexatio: Deo protinus miserante cessauit. Item epist. 112. de videndo Deo. Cum Euangelium exponens S. Ambros. Mediolanensis episcopus venisset ad eum locum, vbi angelus apparuit in templo Zachariæ sacerdoti, ex hac occasione vide quanta, & qualia de Dei visione, disseruit. Non Immerito, inquit, Angelus videtur in templo: quia veri sacerdotis iam nunciabatur aduentus, & cæleste

& cæleste sacrificium parabatur, in quo Angeli ministrarent. Quæ verba ad sacrificium Missæ proculdubio referuntur; quod cæleste sacrificium August. appellat. Rursus epist. 59. ad Paulinum in solutione 5. quæstionis: Vouetur omnia, quæ offeruntur Deo, maxime sancti altaris oblatio. & ep. 122. ad Victoriam. ad finem: Sicut nec istæ, loquitur de virginibus captiuis, possunt vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi sacerdotem, per quem offerant Deo. Et lib. 1. de anima. cap. 11. & lib. 2. capitulo 15. Salua fide Catholica, & Ecclesiastica regula, nulla ratione conceditur, vt pro non baptizatis cuiuslibet ætatis hominibus offeratur sacrificium corporis, & sanguinis Christi, tamquam per huiusmodi pietatem suorum, ad regnum cælorum quo perueniant adiuuentur. Optat. mileuit. libro 6. contra Donatist. Quid est tam sacrilegum, quàm altaria Dei, in quibus & vos aliquando obtulistis, frangere, radere, remouere? In quibus vota populi, & membra Christi portata sunt. Hesichius in Leuitic. capitulo 8. Nisi enim Christus, ore sacerdotum ipse venerit, & coenam sanctificauerit, & initiauerit ea quæ aguntur, nullatenus sacrificium dominicum fiunt. S. Fulgentius lib. 2. ad Monimum. cap. 2. 3. 4. 5. pluribus probat, sacrificium corporis & sanguinis Christi non solum Deo patri, sed sanctæ Trinitati offerri. Leo papa epist. 81. cap. 2. semel atque iterum sacrificij, & Missæ mentionem facit. Can. Necessè est. de consecrat. distinct. prima. Petrus chrisologus serm. 5. de filio prodigo. Qui proprio filio non pepercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: hic est vitulus, qui in epulum nostrum quotidie ac iugiter immolatur. Seuerus Sulpit. libro 3. de vita S. Martini dialog. 2. Cum hac igitur oblaturus Martinus sacrificium Deo veste procedit, quo quidem die mira dicturus sum cum iam altare, sicut est sollempne, benediceret, globum ignis de capite illius emicare, ita vt in sublime contendens longius collum, crinemque flamma produceret. Theodoretus in Exodum quæst. 24. non quod incorporea natura huiusmodi si quis egeret, sed quia conueniebat vt per symbolum intelligerent illi prouidentiam diuinam: Et nos, cum agnum immaculatum sacrificamus, cognosceremus ante descriptum fuisse typum. Non desunt varia conciliorum decreta, quæ Missæ sacrificium confirmant. 2. Synodus Nicæna 1. can. 18. *ὅτι ἔτε ὁ κανὼν, ἑστὴ ἡ συνήθεια παρὰ δὲ ἁπασιν τὰς ἐξουσίας μὴ ἔχοντας προσφέρειν τοῖς προσφύροισι διδόναι τὸ σῶμα τῆς χριστοῦ.* neque canon, neque consuetudo tradidit, vt qui offerendi potestatem non habent, ijs, qui offerunt, dent corpus Christi. Synodus Laodic. can. 29. oportere seorsum primum post Episcoporum sermones, Cathecumenorum orationem peragi, & postquam exierint Cathecumeni, eorum qui poenitentiam agunt fieri orationem: & cum ij sub manum accesserint, & secesserint, fidelium preces: sic ter fieri, vnam quidem scilicet primam, silentio: secundam autem, & tertiam per pronunciationem impleri: deinde sic pacem dari, & sic sanctam oblationem perfici, & solis licere sacratis ad altare accedere & communicare. *ἑστὴ ἡ τῶν τῶν εἰρηλίων διδόναι, καὶ μετὰ τὸ προσβυτέρως δέναι τὰ ἐπισημῶν τῶν εἰρηλίων, τότε τὰς λαϊκῶν τῶν εἰρηλίων διδόναι ἕτω τῶν ἀγίων προσφορὰν ἕπιτελεῖσθαι, & μόνοις ἐξὸν εἶναι, τοῖς ἱερατικοῖς εἰσέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν.* & can. 58. quod non oportet in domibus fieri oblationem ab Episcopis vel presbyteris. Synodus ephesina epistola synodica ad Nestorium, cuius particula exaratur in can. necessario, de consecratione distinctione secunda: Incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij feruitutem. Sic etiam ad benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris effecti. In Concil. Carthaginen. 3. capitulo 24. apud Gratia. can. in sacramento, de consecrat. distinct. secunda: In sacramento corporis, & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est panis, & vinum aqua mixtum, nec amplius in sacrificijs offeratur, quàm de vuis, & frumentis. Concil. Toletanum primum can. 5. Si ad Ecclesiam, aut sacrificium quotidianum non venerit. Antifiodor. can. 8. Non licet in altario in sacrificio diuino melitum, quod mulsum appellatur, nec vllum aliud poculum extra vinum cum aqua mixtum, offerre. Concil. Tolet. 11. Can. 14. Summopere cauendum est, ne horis illis, atque temporibus, quibus Domino psallitur, vel sacrificatur. Et postea: Abeat ille, quisquis canens, Deo, atque sacrificans. Toletanum 12. can. 5. Certum est, quod ij, qui sacrificantes non edunt, rei sunt dominici sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps diuino altari sacrificium oblaturus accesserit. &c. Relatum de consecrat. distinctione 2. Concilium Brachar. 3. can. 1. can. cum omne, de consecratione distinct. secunda: Contra diuinos ordines, & apostolicas institutiones lac pro vino in diuinis sacrificijs dedicare, & canon. 3. Vt cum sacerdos ad sollempnia

sollemnia Missarum accedit, aut per se, Deo sacrificium oblaturus, aut Sacramentum corporis, & sanguinis Domini nostri sumpturus, non aliter accedat, quam oratio viroque humero circumseptus. Synod. Nicæna 2. Act. 6. Nemo enim vniquam sanctorum Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosum Patrum nostrorum incruentum nostrum sacrificium in memoriam passionis Christi Domini Dei nostri, & totius suæ dispensationis factum, imaginem corporis illius dixerit. Et paulo post: Legas, quousque voles, numquam inuenies, neque Dominum, neque Apostolos, neque patres incruentum illud sacrificium, quod a sacerdote offertur, imaginem dixisse: verum ipsum corpus, & sanguinem. Quæ verba diligenter notanda sunt Concil. Lateran. capitulo primo: vna vero est fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus, & sanguis in Sacramento altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur. Concil. Constantiens. damnatur error Ioannis Vuicles. qui affirmabat non esse fundatum in Euangelio, quod Christus Missam ordinasset. Quibus addo Concilium Florentinum, capitulo de Sacramentis, ac Tridentinum sessione vigesima secunda, canon. 1. Siquis dixerit, non offerri in Missa verum, & proprium Sacrificium, aut quod, offerri, non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit. Quibus etiam verbis eorum opinio arguitur, qui dixere, idem esse corpus, & sanguinem Christi offerre, ac Christum nobis ad manducandum dari: quorum error amplius conuincitur, tum ex S. August. libro 3. de Trinitate, capitulo decimo, & epistola 122. ad Victoriam sub finem, & libro secundo, retract. capitulo vndecimo, tum ex sancto Ambrosio, serm. 8. in psal. 118. & Concil. Neocæsari. canon. 13. tum etiam ex sancto Sixto, tertio Pontifice, Maximo libro de castitate his verbis: Offerre autem Deo hostias, tam audenter potest, quam celebratam iam Eucharistiam fiducialiter sumere, huius vero sacrificij Missæ figura, & typus fuit sacrificium Melchisedech, cuius mentio fit Genes. 14. sacrificium enim illud Typum fuisse non illius quod in Cruce oblatum, cuius Typus fuit Aaronis sacrificium, sed eius, quod Patri in vltima cœna Christus obtulit. Atque ita sacrificij Missæ probant innumeri patres, Clemens Alexandrinus libro 4. Stromatum. S. Cyprian. epistola sexagesimatertia. Eusebius Cæsariens. libro 5. demonstra. Euangel. S. Ambros. libro de Abraham Patriarcha, capitulo tertio, & in capitulo quinto ad Hebræos, & libro quinto de sacramentis capitulo primo, & de ijs, qui initiantur mysterijs capitulo nono. S. Chrysostom. in psal. 109. S. Hieronymus, in capitulo vigesimo sexto Matthæi, & in 75. psalmo, & 109. & librum quæstionum in Genesim: plenius epistola 126. ad Euagrium. S. August. loculenter varijs in locis de Ciuitate Dei. libro 16. capitulo vigesimo secundo, & libro decimo septimo, capitulo decimo septimo, & vigesimo: necnon libro decimo octauo, capitulo trigesimo quinto, & decimonono, capitulo vigesimo tertio, & libro primo contra aduersarium legis, & prophetarum capitulo vigesimo, & libro quarto de doctrina Christiana, capitulo vigesimo primo, & in psalmo 33. & 106. Hesichius libro sexto in Leuitic. Eucherius Lugdunensis, libro secundo, in Genes. capitulo decimo octauo. Theophil. in capitulo quinto Hebr. Cassiodor. in psal. 109. Damas. libro 4. orthodoxæ fidei capitulo decimo quarto. Prophetarum quoque prædicta Missæ sacrificium præmonstrarunt Malach. primo capitulo: Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in gentibus. Quem locum de Missæ sacrificio interpretantur sanctus Clemens libro 8. constitut. Apostol. capitulo quinto, Iustin. martyr in Dialogo cum Triphone, sanctus Irenæus, libro quarto capitulo trigesimo secundo, & trigesimo quarto. Cyprian. libro primo aduersus Iudæos capitulo decimo sexto. Eusebius libro primo, demonstra. Euangel. capitulo sexto, & decimo. Cyrillus Alexandrinus libro de Adoratione in Spiritu, & veritate. Chrysost. homil. 95. in psal. & oratione 2. contra Iudæos. Hieronym. in Commentarijs ad Malachiam prophetam. S. August. libro decimo octauo, de Ciuitate Dei, capitulo trigesimo quinto, & decimonono, capitulo vigesimo tertio: contra aduersarios legis capitulo 20. & 22. Damas. libro 4. orthodox. fidei capitulo 14. Rabbi Samuel, capitulo vigesimo, & alij complures non me latet. Remnitium, & Herbrandum, nonnul-

nonnullosq. alios huius ætatis hæreticos, ea quæ diximus de typo Melchisedech, & Malachiae varicatio conatos effugere: at eorum ieiunas frigidasq. calumnias erudite refellit Gregor. de Valentia. Soc. Iesu lib. de sacrosancto Missæ sacrificio. Extat & alia huius sacrificij præductio Psal. 71. Et erit firmamentum in terra, in summis montium super extolletur super libanum fructus eius: ille enim psalmus proprie, ait Hiero. ad Christum refertur. Plane et si in vulgata editione legamus firmamentum, littera tamen Hebraica habet יהי מסת נר בארץ בראש הרים Hieronym. vertit memorabile triticum in terra, in capite montium. Paulus Burgenis ex Iudæo Christianus in additionibus ad postillam Nicolai de Lyra interpretatur, & erit placentula frumenti, additq. thargum, hoc est translationem Chaldaicam, pro eo quod habemus, in summis montium, dicere, in capitibus Sacerdotum. At A. Montanus in sua translatione Chaldaicæ paraphrasis vertit, in capite montium, &c. & fortassis rectius: nam in Chaldaicæ paraphrasi est vox טוריא constat autem, טוריא apud Chaldaeos significare montem: quamuis postea per hos ipsos montes recte intelligamus Sacerdotes, prophetas, & apostolos. Sanctus vertit, erit pugilus frumenti. Plura circa enotationem horum verborum Finus Adrianus l. 8. aduersus Iudæos, capitulo quarto. Galatinus l. 10. capitulo 4. Richard. Coenomanensis in collat. ad magistrum sentent. in Psal. 71. & Pamela. tom. 1. liturgicon. Sunt & alia huius sacrificij prædicta apud Finum Adrianum, & Gregorium de Valentia, quas breuitatis gratia prætereo. Missos item facio complures ex Rabbinis, qui & Eucharistiæ sacrificium agnouerunt, horum Galatinus Garetius Faber l. 2. de Missa Euangelica, capitulo 8. & alij nonnulli meminerunt. Ad hæc, Missam esse sacrificium, manifesta ratione confirmatur. Nam ab ipso mundi initio fideles sacrificio externo, & visibili Deum coluerunt, quod quidem sacrificium visibile inuisibilis sacrificij signum est, solum Deo offerendum. S. August. libro 10. de Ciuitate Dei, capitulo decimonono. Hoc & dæmones agnoscunt eodem August. teste epistola 49. ad Deo gratias quæstione tertia. Et libro primo, contra aduersarios legis, & prophetarum capitulo 18. Quare idem August. capitulo sequenti, arguit Manichæos, qui sacrificium visibile Deo non deberi, probare conabantur Pauli testimonio. 1. ad Corinth. 10. Qui sacrificant, dæmonijs sacrificant, inquit: non enim dicit Paulus, qui sacrificant, sed quæ sacrificant, vel, sicut ait August. a me positum est, quæ immolant, illi scilicet, qui idola colunt, quæ sacrificant dæmonijs, & non Deo sacrificant, siue immolant, & ideo subiicit: Nolo vos socios dæmoniorum fieri: at in Ecclesia Christiana nullum extat sacrificium externum, & visibile præter corporis Christi in Missa sacrificium. Consequens est Missam esse sacrificium. Hanc ratiocinationem varijs testimonijs, & argumentis illustrat Petrus venerabilis libro primo, epistola secunda, contra Petrobrusianos hæreticos. Porro nonnulli ex lutheranis in noua lege sacrificium non inficiantur. Sacrificium enim gratiarum actionis Eucharisticon, vel laudis, nec non commemorationis Christi agnoscunt. At pro peccato, quod propitiatorium appellatur, negant, quasi iniuria inferatur perfectissimo Christi sacrificio, quo vna cuncta sunt remissa peccata. Nituntur vero Ambrosij, Chrysostomi, & quorundam aliorum testimonio: verum etsi alicubi Ambrosij, Chrysostomi, & nonnulli alij sacrificium istud ad gratiarum, vel laudis actionem, vel passionis Christi commemorationem offerri dixerint, consequens non est, quin idem sacrificium propitiatorium sit. Iidemq. patres alibi propitiatorium pro peccato non solum offerenti, sed etiam alijs fidelibus viujs, & defunctis prodesse plane, & aperte affirmarunt. S. Iacobus in liturgia sua: nostras animas sanctificat. Et paulo post: Vt ea deleantur delicta, quæ admisimus. Rursus ne aduerseris nos peccatores, verendum hoc, & incruentum sacrificium atrectantes, supplicamus, & imploramus bonitatem tuam, ne mysterium hoc, quod ad salutem nobis dispensatum est, in condemnationem populo sit, sed in remissionem peccatorum, & animarum, & corporum renouationem. Deinde: Et fac, vt oblatio nostra grata, & acceptabilis sit, per Spiritum sanctum sanctificata in propitiationem peccatorum nostrorum, & eorum quæ populus per ignorantiam admisit, & in requiem animarum eorum, qui ante nos dormiunt. Eadem fere leguntur in liturgijs S. Basil. Chryf. S. Martialis, ep. 1. ad Burdegal. Sacrificium enim Deo creatori offertur in ara non homini, non angelo. Et paulo post: Quod autem Iudæi per iniudiam immolauerunt, putantes se nomen eius e terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, sciates hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam,

gandam: hoc enim ipse Dominus noster iussit nos agere in suam commemorationem. Alexander Pontifex, & martyr epist. 1. ad omnes orthodoxos cap. 4. crimina atque peccata, oblati his Domino sacrificijs, delentur. Idcirco & passio eius in his commemoranda est, qua redempti sumus, & sapius recitanda, atque haec Domino offerenda, talibus hostijs delectabitur, & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Iustinus martyr in dialogo cum Triphone: Vacca, inquit, quae pro his, qui elephantia expiarentur, immolari iussa est, figura erat, & quasi simulacrum quoddam panis Eucharistiae, quem pro his, quorum animi ab omni scelere expiarentur, Iesus Christus dominus noster faciendum tradidit. Vbi faciendi vox, offerre significat, ut ex ijs, quae sequuntur, colligere licet: de hostijs antiquae a nobis gentibus ubique offeruntur, idest de pane Eucharistiae, &c. S. Cyprian. ferm. de coena Domini. Ex quo a Domino dictum est: Hoc facite in meam commemorationem, haec est caro mea, & hic est sanguis meus, quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste substantialis, & calix benedictione sollemni sacratu ad totius hominis vitam salutemque proficit; simul medicamentum, & holocaustum ad sanandas infirmitates, & purgandas iniquitates existens. Origenes homil. 13. in Leuit. Si inspicias, inquit, illam commemorationem, de qua dicit Dominus: Hoc facite in meam commemorationem, inuenies quod ista est commemoratio sola, quae Deum hominibus facit propitiu. Euseb. Emis. homil. 5. de Pascha: Hoc sacrificium redemptionis oblationem appellat. S. Ambrosii lib. 1. offic. cap. 48. Ante agnus offerebatur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert seipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat. Et lib. 5. de sacrament. cap. 4. Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur, & remissio peccatorum. Plura in eandem sententiam Ambr. precatone 1. preparante ad Missam. S. August. quæst. 57. super Leuitic. Quid sibi vult, quod a sanguine sacrificiorum, quae pro peccatis offerebantur, tantopere populus prohibetur, si illis sacrificijs vnum hoc sacrificium significabatur, in quo vera fit remissio peccatorum: a cuius tamen sacrificij sanguine in alimentum sumendo non solum nemo prohibetur, sed ad bibendum potius omnes exhortantur, qui volunt habere vitam. Idem August. cap. 109. Enchirid. & ad Dulcitium quæst. 2. can. tempus 13. q. 2. Cui sacrificia siue altaris, siue quatumcumque elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis propitiationis sunt. Et de Ciuitate Dei l. 20. cap. 25. Omnes enim, qui sic offerunt, profecto in peccatis sunt, pro quibus dimittendos offerunt, ut, cum obtulerint, acceptumque Deo fuerit, tunc dimittantur. S. Epiphanius in epist. ad Ioan. Ierosolymit. quam S. Hieronymus de Graeco in Latinum vertit, cap. 1. In hac parte ministerij, nempe in exercendis sacrificijs laborare, in eo praecipua Christianorum salus sita est. S. Chrysostom. homil. 69. ad populum Antioch. Non temere, inquit, ab Apostolis haec sancta fuerunt, ut in tremendis mysterijs defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim inde multum eis posse contingere lucrum. Timotheus Archiepiscopus Alexandrinus enarrans Pauli verba ad Hebraeos 10. Voluntarie peccantibus iam non relinquitur hostia pro peccatis, sic scribit in procemio narrationis martyris Menæ: Hostiam mundam quotidie offerri, εἰς ἐπίσηρότητα, καὶ μετανοίαν τῶν πιστῶν, in conuersionem, & poenitentiam fidelium. Cyrillus Ierosolym. cathec. 5. Mystagogica: Deinde postquam confectum illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, &c. Quae verba haeretici quidam non ad Missae sacrificium, sed ad publicas Ecclesiae preces scelerate, & malitiose transferunt: hos verba, quae sequuntur, a pertissime conuincunt, cum hoc sacrificium offerimus, postea facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Et paulo post: Maximum esse credentes animarum iuuamen, pro quibus offertur obsecratio sancti illius, & tremendi quod in altari positum est sacrificij. Et postea: Et nos, inquit, pro defunctis preces ei offerentes, quamuis peccatores simus, non coronam teximus ad offerendum, sed ipsum Christum pro nostris peccatis immolatum offerimus, ἐξελθόντες ὑπὲρ αὐτῶν ὡς ἡμῶν τὸν φιλόνηθρον, sacrificium propitiationis pro illis, & pro nobis offerentes. Primasius in cap. 10. ad Hebraeos: Ita etiam ista oblatio redemptio, & mundatio sit omnibus in vera fide offerentibus. Damasc. l. 4. orthod. fidei cap. 14. Pura scilicet hostia, & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per prophetam Dominus loquitur, corpus scilicet, & sanguis in stabilimentum animae nostrae, &c. omnimodi nocenti reparatio sordis, omnis purgatio sunt, & alia testimonia quae euincunt, Missae sacrificium offerri pro mortuis, quae infra in canone Missae laudabi-

laudabimus: Primasius Augustini discipulus in cap. 10. ad Hebr. Quotidie, inquit, peccamus, & quotidie indigemus mundari; quia ille non potest iam mori, dedit nobis hoc sacramentum corporis, & sanguinis sui, ut sicut passio illius redemptio, & absolutio fuit mundi: ita etiam ista oblatio, redemptio, & oblatio sit omnibus in fide offerentibus. Concil. Bracharen. 3. cap. 1. Cum omne crimen atque peccatum oblati Deo sacrificijs deleatur. Synodus Trident. sess. 22. capitulo 2. Et quoniam in diuino sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruento obtulit: docet sancta synodus sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si vero corde & recta fide, cum metu ac reuerentia contriti, ac poenitentes ad Deum accedamus misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno. Et ibidem can. 3. Si quis dixerit Missae sacrificium tantum esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro viuus, & defunctis, pro peccatis, poenis, satisfactionibus & alijs necessitatibus offerri debere, anathema sit: hanc Ecclesiae Romanae fidem Orientis Ecclesia constanter, & perpetuo retinuit, ut ex antiquis Graecis patribus, necnon ex Cabasilla in Liturgiae expositione, & ex Hieremiae Patriarchae responsis in libro, qui censura Orientalis inscribitur, manifeste apparet. Eandem fidem sequuntur Aethiopes, Armeni, aliaeque nationes, quae Christum cognouerunt, soli huius saeculi haeretici dissident, nouamque fidem comminiscuntur: infolentissima insania est, ait Augustinus epist. 118. si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, de eo, quin ita faciendum sit, disputare. Plura in hanc sententiam adferri possent ex Sancto Gregorio hom. 37. in Euang. & lib. 4. Dialog. capitulo 57. Theophylacto in capitulo 5. 7. & 10. epist. ad Hebraeos, Echumenio in dicto capitulo 5. Alcuino de diuinis officijs, Paschasio de corpore & sanguine Domini, Guitmundo de veritate Eucharistiae, Algero de sacramento corporis & sanguinis Domini, Nicolao Cabasilla in Liturgiae expositione, & Melchiore Cano. lib. 12. locorum theologiae capitulo duodecimo, ubi Lutheri & Caluini argumenta docte ac perite refellit. Quibus vero profuit hoc sacrificium ac de eius valore, & applicatione in canone Missae tractabimus.

DE MISSAE INSTITUTIONE.

CAPVT TERTIVM.

- 1 Missae sacrificium a Christo institutum fuisse perspicue demonstratur.
- 2 Facere, sacrificare significat non modo apud ecclesiasticos, sed & prophanos auctores.
- 3 Institutionem sacrificij in Missa a Christo, patrum insuper, & ipsorum Apostolorum testimonijs probatur.
- 4 Liturgia, diuina traditio.
- 5 Liturgiae tam Apostolorum quam aliorum patrum testantur Missae sacrificium a Christi institutione profuxisse.
- 6 Liturgia Sancti Iacobi.
- 7 Trullani canonis cuiusdam difficilis expositio.
- 8 Liturgia Sancti Marci.
- 9 Liturgia Apostolorum, ac veterum patrum recensentur.



CHRISTVM Missae sacrificium instituisse eiusque auctorem esse, ipsius Christi nec non Pauli Apostoli, ac veterum patrum testimonijs, omni luce clarioribus perspicuum est. Primum Luc. 21. cap. Et accepto pane, cum gratias egisset, fregit, ac dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam recordationem. & 1. ad Corinth. 11. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Iesus in ea nocte, qua traditus est, accepit panem, & postquam gratias egisset, fregit ac dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur τὸ τοιοῦτο εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. hoc fa-

cite in meam commemorationem. Quibus verbis sacrificandi præceptum Christus sacerdotibus dedit: nam facere sacrificare significat, nedum apud Plautum in *Asinaria*, Virgilius in *Bucolicis eclog.* 3. Cicer. pro *Murena*, Macrobius l. 3. *Saturnal.* & alios plerosq. prophanos auctores. Sed & in sacris litteris, *Leuitic.* 15. & 23. Num. 6. 8. & 9. & *Iudic.* 13. 3. *Regum.* 18. *Ezechiel.* 43. *Jerem.* 7. apud Hebræos quoque *Afa*, quod facere significat pro sacrificare usurpatur *Exod.* 10. & faciemus Domino Deo nostro, hoc est sacrificabimus in Hebræo habetur יָשַׁחֲנוּ faciemus: plane his verbis sacrificium a Christo præceptum testantur omnes veteres. Sanctus Dionysius de *Ecclesiast. hierar. cap.* 3. Quo circa reuerenter simul ex pontificali officio post sacras diuinorum operum laudes, quod hostiam salutarem, quæ supra ipsum est, licet se excuset, ad ipsum primo decenter exclamans. Tu dixisti: facite in meam commemorationem: & *Martia. epist. ad Burdegal. cap.* 3. Quod autem Iudæi immolauerunt, per inuidiam immolauerunt, putantes se nomen eius a terra abolere, nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugiendam; hoc enim ipse Dominus noster iussit nos facere in sui commemorationem. *Clemens lib.* 5. *constit. Apostol. cap.* 18. Idcirco igitur, & vos, excitato Domino a mortuis, facite sacrificium vestrum, de quo vobis per nos constituit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Vbi *Turrianus, Alex. Papa primus epist. 1. cap.* 4. Ipsa vero veritas nos instruit calicem, & panem in sacramento offerre, quando ait: Accepit Iesus panem. *Tertul. in Apologet.* Qui ei, nempe Deo offero, opimam, & maiorem hostiam, quam ipse mandauit. *Sanctus Irenæus l. 4. capit.* 31. suis discipulis dans consilium primitias Deo offerre ex suis creaturis, non quasi indigenti, & vt ipsi, nec infructuosi, nec ingrati sint, eum, qui ex creatura panis est, accepit & gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum & calicem similiter, qui ex ea creatura, quæ est secundum nos suum sanguinem confessus est, & noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens offert Deo in vniuerso mundo. *Sanctus Cypr. lib. 2. epist.* 3. quoniam quidem, vel ignoranter, vel simpliciter in calice Domino sanctificando, & plebi ministrando non hoc faciunt quod Iesus Christus Dominus, & Deus noster sacrificij huius auctor, & doctor fecit, & docuit. Et postea: Admonitos autem nos scias, vt in calice offerendo dominica traditio seruetur, neque aliud fiat a nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecit, vt calix, qui in commemorationem eius offertur, mixtus vino offeratur. Rursus, nam si Iesus Christus Dominus, & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. *Sanctus Ambros. in cap. 10. epist. ad Hebr.* Pontifex noster ille est, qui hostiam mundantem nos obrulit, ipsam offerimus, & nunc quæ tunc oblata quidem consumi non potest, hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est: Hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem, quod totidem verbis repetit *Chrysost. homil. 17. epist. ad Hebr.* Idem *Ambrosius oratione prima præparante ad Missam*: Ego enim Domine memor venerandæ passionis tuæ accedo ad altare tuum, licet peccator, & offeram tibi sacrificium quod tu instituisti, & offerri præcepisti in commemorationem tui pro salute nostra. *Chrysostomus in homil. de prodicione Iudæ*: Pascha Iudaicum fuit aliquando, sed exemptum, & euacuatum est Paschæ spiritualis aduentu, quod Christus tradidit. Nam cum manducarent, & biberent accepit panem, & fregit, & dixit: Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur. Agnoscant quid loquor, qui sunt diuinis consecrati mysterijs. *S. August. lib. 83. quæstionum quæst.* 61. Dominus noster Iesus Christus ipse est sacerdos noster in æternum secundum ordinem Melchisedech, qui seipsum obtulit holocaustum pro peccatis nostris & eius sacrificij similitudinem celebrandum in suæ passionis memoriâ commendauit; vt illud, quod Melchisedech obtulit Deo, eam per totum orbem terrarum in Christi Ecclesia videamus offerri. *Sanctus Proclus Episcopus Constantinopolitanus tractatu de traditione diuinæ liturgiæ*: Multi quidem, & alij diuini pastores, qui Apostolis successerunt, atque Ecclesiæ Doctores, sacrorum illius diuinæ liturgiæ mysteriorum rationem explicantes scriptis mandatum Ecclesiæ tradiderunt, in quibus primi, & clarissimi sunt, Sanctus *Clemens summi illius Apostolorum discipulus,*

discipulus, ac successor, & postea, commemoratis Liturgijs Sanctorum Iacobi, & Basilij, de *Basilio* agens, ait: Quare multa præcidit, & vt breuior esset, constituit, ne sensim homines libertatem, & otium maxime amplectentes fallacibus, & furiosis aduersarij sermonibus decepti ab hac Apostolica, & diuina traditione deficerent. Ecce Liturgiam diuinam, & apostolicam traditionem *Proclus* affirmat: is vero vixit circa annum Domini 428. *Gaudentius Brixienf. Episcopus Tract. 2. De regressis fonte Neophitis sacrificium Eucharistiæ a Christo institutum testatur*: *Theodoretus* item in capitulo 8. *epist. ad Hebr.* Si, inquit, sacerdos, qui est ex lege finem accepit, & sacerdos, qui est secundum ordinem Melchisedech obtulit sacrificium, & effecit, vt alia sacrificia non essent necessaria, cur sacerdotes noui Testamenti mysticam liturgiam peragunt seu sacrificium? sed perspicuum est ijs, qui sunt in rebus diuinis edocti nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnus, & salutaris memoriâ agere; hoc enim nobis ipse præcepit, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Amplius, Christum Deum, & Dominum nostrum huius sacrificij auctorem esse testantur *Apostoli can. 3. si quis Episcopus, aut presbyter præter ordinationem Domini alia quædam in sacrificio offerat super altare, id est, aut mel, aut lac, &c. quæ Apostolorum sanctio instauratur Concil. Carthag. 3. capitulo 24. S. Dionys. capitulo 3. Ecclesiasticæ hierarchiæ, Missæ sacrificium appellat diuinissimam traditionem ἡ θεοτάτη παράδοσις*. *Clemens libro 6. constitut. Apostol. capitulo 23. pro sacrificio, inquit, cruento, rationale, & incruentum, ad illud mysticum sacrificium corporis, & sanguinis Domini, quod in symbolum mortis eius celebratur. Eusebius Cæsarienf. libro 1. Euangel. demonstrat. capitulo vltimo*: Igitur & sacrificamus, & incendimus alias quidem memoriâ magni illius sacrificij secundum ea, quæ ab ipso Christo tradita sunt. mysteria celebrantes. *S. Basil. in Liturgia*: Et Pontifex (Christum alloquitur) noster appellatus es, & huius Liturgici, ac incruenti sacrificij consecrationem sine *ἑσπερυσίαν* nobis tradidisti. *Hesichius. l. 16. in Leuitic.* Non oportet nos habentes in manibus, & consummantes verum mysterium, sequi figuras, quia Christus primum celebrauit figuratum Paschæ. Post hoc autem propriam tradidit coenam, ex qua nobis est oblatio ad sacrificium intelligibilis agni, quem offerimus, & immolamus secundum Domini traditionem. His antiquorum patrum testimonijs addo *Rabanum Maurum libro 1. de institutione clericorum capitulo 32. Isidorum libro 1. de Ecclesiast. offic. capitulo 18. Innocent. 3. l. 4. mysteriorum Missæ capitulo 26. Honor. in gemma animæ l. 1. capitulo 86. Nicephor. libro 1. capitulo 28. S. Thomam opusc. 57. de festo corporis Christi, & in hymno: Sacris sollempnijs, sic sacrificium instituit, cuius officium committi voluit solis presbyteris. Concil. Constantin. sess. 8. quo loci damnatur hæresis Vuiclef, qui impudenter affirmat non esse fundatum in Euangelio, sunt eius verba, quod Christus Missam ordinauerit. Concil. Viennens. clement. 1. de reliquijs, & veneratione sanctorum, & Concil. Trident. sess. 22. can. 2. Ad hæc Christum esse auctorem huius sacrificij confirmat, quod post eius Ascensionem celebratio huius sacrificij vsitata, & quotidiana fuerit, sanctum Petrum Missam celebrasse testantur innumeris, & vt omittam *Abdiam Babylonium libro 1. Linum de passione Petri, & Egesippum, libro 3. de excidio Ierosolym. capitulo 2. de hoc idem aperte tractant Isidor. libro 1. de diuinis offic. capitulo 15. Alcuinus de diuinis offic. capitulo de celebratione Missæ. Simeon Metaphrast. in vita S. Petri: Vualfridus Strabo de reb. Ecclesiast. capitulo 22. Remigius libro de offic. Missæ. Hugo de sancto Victore lib. sacrament. parte 8. cap. 14. extat Petri Liturgia Græce scripta, cuius Francif. Turian. libro 3. de dogmaticis characteribus: post quemdam Simeonem Græcum auctorem, mentionem facit S. quoque Iacobum fratrem Domini Ierosolymitanum Episcopum, cuius sanctitatem prædicat Epiphanius hæres. 78. Missæ sacrificium celebrasse: Liturgia illius iamdiu typis excussa planum facit hanc vero Liturgiam vere ab ipso Iacobo editam. Auctores sunt S. Proclus Episcopus Constantinop. de tradit. diuinæ Missæ, Nicolaus Episcopus Methonenfis orat. ad eos, qui hæsitant, aiuntq. consecratum panem, & vinum non esse corpus Domini. *Bessarion Cardinalis de sacra Eucharistia, ac denique Trull. Synod. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, canon. 30. cuius verba corrupta, & deprauata sunt in can. Iacobus de consecratione distinctione prima, ibi in scripturis, sacra Missæ celebrationem addiderunt. Quæ verba torquent interpretes. Non enim sanctus Iacobus sacrificium Missæ instituerat. Quare ad fontem recurrendum est, verba Græca Synodi hæc sunt: ἑγγράφως τὴν μυστικὴν ἡμῶν ἑσπερυσίαν παραδεδωκότες, hoc est, in scriptis mysticum sacrificium nobis tradiderunt, sanc* Missæ**

sacrificium ante institutum erat a Christo . At Iacobus , & Basilius Missæ ritum in scriptis tradiderunt , vel , vt docet Nicolaus Methonenfis , Iacobus mysticam , incruentamq. Liturgiam exposuit . Notum est atque peruulgatum S. Marcum Liturgiam celebrasse . Notar. in vita sancti Marci factum est, inquit, vt beatissima festiuitas nostra Paschalis, idest Dominicus dies sanctus occurreret vigesima die Mensis parmuthi, quod est 8. Kal. Maiarum, quo tempore eorum serapiaca agebatur celebritas: hac igitur opportunitate adunati insidiatores protinus dirigunt, qui repererunt eum, scilicet Marcum orationis oblationem diuinæ Maieftatis sacratissimam celebrantem . Beda in Martyrologio ad 7. Kalend. Maij . At postquam constitutis, & confirmatis Ecclesijs, per Lybiam, Marmaricam, Ammonicam, Pentopolim, Alexandriam, atque Ægyptum vniuersam ad vltimum captus est a Paganis die sanctæ Paschæ Missas faciens, fune in collo eius missus. Quæ Bedæ verba repetunt Marianus Scotus l.2. Antoninus parte 1. tit. 6. Ado quoque Treuirensis, in Martyrologio, scribit Paganos videntes Marcum die Paschæ Missam facientem, misisse funem in collo eius, eumq. traxisse ad loca bucolicæ Alexandrini Episcopi, & sacerdotes, ait, Balsamon ad canon. 32. Trull. Synod. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, sacrificia peragunt, cum orationibus, vt aiunt, a sancto Marco traditis . Extat sancti Marci Liturgia Græce scripta, nuper e Græco in Latinum conuersa, S. item Barnabam Liturgiam celebrasse: Testis est locupletissimus Alexander Monachus in vita sancti Barnabæ, apud Simeonem Metaphrastem: Dominicæ oblationis celebratæ a sancto Nicomede, Marcellus Petri discipulus in vita sanctæ Petronillæ, & sancti Nicomedis, Beda in Martyrologio pridie Kalend. Iunij, & Martyrologium Romanum. 17. Kalend. Octobris meminerunt, Missæ mysteria ab Apostolis reuelata, sanctum Clementem Petri discipulum, & successorem conscripsisse, & in lucem edidisse testantur. Sanctus Proclus tracta. de traditione diuinæ Liturgiæ, Nicolaus Methonen. ad eos, qui hæsitant, & c. M. Ephesinus & Bessarion de Eucharistiæ sacramento, & alij complures. Missæ autem Clementis ritus exaratur, ab ipso Clemente libro 8. constitut. Apostol. Apostolos insuper omnes sacrificium Missæ peregrisse scriptum reliquerunt, Abdias Babylonicus in histor. certaminis Apostol. nec non Nicolaus Methonen. auctor grauissimus ad eos, qui hæsitant his verbis: Plane quale ipse primus noster, ac magnus Pontifex, & sacrificus, victimaq. suis ipsius discipulis tradidit, ij. denuo, qui ab initio suis ipsi oculis verbum intuiti sunt, eiq. ministrarunt, catholicæ Ecclesiæ ab extremis ad extremos vsque orbis terrarum limites tradiderunt. Omnes quidem Ierosolymitanæ, vbi & S. Iacobus primi magniq. Pontificis frater, & successor mysticam incruentamq. Liturgiam exposuit, Petrus autem, & Paulus Antiochensis, Paulus vero peculiariter orbi vniuerso: Marcus Alexandriæ, Ioannes, & Andræas Asiæ, & Europæ, omnesq. vniuersæ Ecclesiæ vbicumque sit per eam, quam sanctus Clemens conscripsit, Liturgiam tradiderunt, in qua hæc ita ad verbum habentur: Memores igitur eorum, quæ propter nos passus est, gratias agimus, Deus omnipotens, non quantum debemus, sed quantum possumus. Extant & Basiliij, & Chrysofomi Liturgiæ, quarum, & Trull. Synod. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, canon. 32. & Balsamon ibidem, nec non Marcus Ephesinus, & Bessarion mentionem faciunt. Extat etiam Ambrosiana Missa apud Pamelium tomo 1. Liturgicon Ecclesiæ Latinæ, hæc Apostolorum, & veterum patrum Liturgiæ hæreticorum impudentiam conuincunt, dum Missæ originem sancto Gregorio tribuunt, Missamq. recens inuentum, veteribusq. patribus incongnitum dolose, & malitiose calumniantur.

D E M I S S A P V B L I C A ,
& priuata seu peculiari, nec non de ea, quæ dicitur
sicca, vel nautica.

C A P V T Q V A R T V M.

1 Missarum publicarum, item & particularium mentio, tum in sacris Concilijs, tum in veterum patrum scriptis, ac monumentis.

2 Missæ,

- 1 Missa, quæ publica sint, & quæ priuata.
- 2 Lutheranorum de Missa publica commentum.
- 3 Missa licet aliqua particulares dicantur, & solitariae, tamen omnes sunt publica, & cur de-nique publica dicantur, & cur particulares.
- 4 Communicare sacramentaliter numquam cogebantur catholici, quoties Missæ sacrificio intererant. Et sacerdotibus semper liberum fuit Missæ sacrificium offerre, populo non communicante.
- 5 Canon peracta de consecrat. distinct. 1. explicatur cum quibusdam alijs canonibus, & argu-mentis contra Missam solitariam.
- 6 Communio quàm fuerit frequens in Ecclesia.
- 7 Missa quæ, & cur sicca, ac nautica dicatur.



ISSARVM publicarum mentio fit in Concil. Carthag. circa tempora Cy-
ricij Papæ cano. 3. vel 6. apud Balsamonem, & Concil. Lateranensi seden-
te S. Gregorio, item apud eundem Gregor. lib. 4. epist. 43. canon. Luminoso
18. quæst. 2. & lib. 5. ep. 46. lib. 7. epist. 71. & lib. 8. epist. 3. Alcuin. lib. de diuin.
offic. capit. de sabbato sancto Paschæ. Amal. Fortun. lib. 1. de Ecclesiast. offic.
cap. 8. Iuo. carnoten. epist. 139. peculiarium vero in can. & hoc attendendum
de consecrat. distinctione prima, & capitulo. Quidam laicorum de celebrat. Missarum, has
solitarias appellant. Odo Camer. in expositione canon. Missæ in verbo circumstantium,
& Steph. Eduens. libro de sacramentis altaris capitulo 13. Non desunt, qui has priuatas ap-
pellant. Verum quæ sint Missæ publicæ, quæ item priuatæ non omnes conueniunt. Non-
nulli, quos lutherani sequuntur, commenti sunt Missam publicam eam esse, in qua po-
pulus communicat. Priuatam vero in qua nullus præter Sacerdotem communicat,
eamq. reiiciendam esse, quasi veteribus, & prisicis patribus incognitam. At verius est
Missam omnem esse publicam: etsi nemo præter sacerdotem communicet. Deinde
Missas in quibus nullus præter sacerdotem communicat, quas illi priuatas appellat, vtilitas
longe ante Gregorij sæculum, neque reiiciendas esse. Primum Missas omnes publicas esse
suadet liturgiæ vox, quæ proprie officium, & munus publicum significat a *λειτουργία*, publicum,
& *εργον* munus seu opus: inde Isocrates magistratuum functiones liturgias appellat, quod
pluribus docui in capitulo de nomine Missæ. Præterea sacerdos quilibet in celebratione
Missæ publico fungitur munere, & pro toto mundo legatus publico totius Ecclesiæ nomi-
ne intercedit auctore Chrysofomo, homilia vigesima sexta in Matth. & libro sexto de sa-
cerdot. nec non homilia quinta de verbis Isaia: neque enim sacerdos priuatim pro se, etsi
solus sacrificium peragit: verum pro toto Christi corpore mystico, velut Ecclesiæ mini-
ster publicus. Ceterum etsi quædam peculiare, seu solitariae dicantur, considerandum
est publicam Missam dici dupliciter, quandoque quia totius Ecclesiæ nomine a ministro
publico celebratur, eoq. nomine Missa omnis publica est, & commune sacerdotis, & ple-
bis Christianæ sacrificium, quod & canon Missæ aperte indicat: Memento Domine om-
nium circumstantium, & postea: Hanc igitur oblationem seruitutis nostræ: Sed & cun-
ctæ familiæ tuæ, hoc est, Ecclesiæ. Rursus: Vnde & memores Domine nos tui serui, et
plebs sancta. Quandoque Missa publica dicitur, quia fit in publico loco, & populi con-
uentu, & tum secernitur a peculiaribus, & solitarijs, atque ita apud Gregor. vsurpatur
Missæ publica, dictis, epistola quadragesimatertia, libro tertio, & in decreto Concil. Late-
ranens. & d. cano. luminoso, ibi: Missas autem publicas per Episcopum fieri omni modo
prohibemus, ne in seruorum Dei secessibus popularibus occasio præbeatur vlla conuenti-
bus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat, frequen-
tior quoque introitus muliebris, & c. Peculiares vero Missæ quandoque dicuntur, quæ de
sancta Trinitate, aut in honorem alicuius sancti dicuntur, vt in dicto capitulo quidam
laicorum frequentius, quæ non publice, & in conuentu populi, vel in monasterijs, vt
apud Gregor. dictis epistola quadragesima sexta, libro quinto, 71. libro septimo, & tertio,
libro 8. vel in oratorijs, in quibus domesticis, & alijs quibusdam patet dumtaxat aditus:
Idē ex Trullanis can. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, canone trigessimoprimum, can-
clericos, de consecratione distinctione prima. Gregorius libro quinto, epistola quadra-
gesima secunda, & quadragesimatertia: legimus Gregorium Nazianenum in paruo ora-
torio

torio sacra celebrasse. Histor. tripart. libro nono, capitulo octauo. Adde Concil. Agathen. can. 21. can. Siquis etiam de consecratione distinctione prima, ibi: Vt ibi Missam audiat, vt propter fatigationem familiæ, & d. cano. & hoc attendendum ibi: Non ita in publico fiant, vt propter eas populus a publicis Missarum sollempnibus, quæ hora tertia canonicè fiunt abstrahatur. Itaque Missæ publicæ dicuntur, vel quia totius Ecclesiæ nomine, vel quia publice, & in conuentu populi celebrantur, etsi nullus communicet. Neque enim sanctissimi sacrificij vis pender ex præsentia plurium, vel ex eorum, qui ad sunt sumptione, sed ex Christi præsentia, & oblatione in memoriam cruenti sacrificij, quod Christus in Cruce Deo patri obtulit. Oprat sane Tridentina Synod. sess. 22. capit. 6. vt in singulis Missis fideles astantes non solum spiritali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi huius Sacramenti fructus vberior procederet, nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, vt priuatas, & illicitas damnat. Sed probat atque adeo commendat, siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent, partim quod in eis populus spiritaliter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro, non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Christi corpus pertinet, celebrentur. Eademq. sess. can. 8. Siquis dixerit Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoq. abrogandas, anathema sit. Porro, etsi hæc Synodi decreta, ad fidem Ecclesiæ stabilendam, catholicis sufficere debeant, ne quis tamen hac in parte amplius hæreat, paucis probabo, nusquam in Ecclesia sancitum, vt qui officio Missæ interfunt, sacramentaliter communicare cogantur. Notum atque testatum est, in orientali Ecclesia Græcorum, Laicos fere omnes, Ambrosij, Augustini, & Chrysostomi sæculo, semel tantum singulis annis communicare consueuisse. S. Ambros. lib. 6. de sacram. cap. 4. Si, inquit, quotidianus est cibus, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in oriente consueuerunt: hoc ipsum totidem verbis scribit. S. August. serm. 28. de verbis Domini. Idem August. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 12. Plurimi, inquit, in orientalibus partibus non quotidie, coenæ Dominicæ communicant. S. Chrysost. homil. 17. in cap. 10. ad Hebr. Plurimi, ait, ex hoc sacrificio semel accipiunt in toto, alij bis, alij sæpius. Ad omnes ergo nobis est sermo. Et paulo post: Quid ergo est, quos magis acceptamus, eosne qui semel, an eos, qui sæpius, an illos qui raro accipiunt: neque illos qui semel, neque qui sæpius, neque qui raro, sed eos qui cum munda conscientia, qui cum mundo corde, cum vita irreprehensibili semper accedunt: Qui vero tales non sunt, neque semel. Verum licet Græci laici non communicarent, S. tamen Chrysostomus, ac alij Græcorum presbyteri quotidie sacrificabant, Missasq. celebrabant, eo ipso Chrysostomo testante dicta homil. 17. his verbis: Nonne per singulos dies offerimus? offerimus sane: & serm. 3. in cap. 1. epist. ad Ephesios, in morali exhortatione. In alijs quidem temporibus sepe numerum, neque cum mundi estis, acceditis. In Paschate vero, etiam si quid temerarium a vobis sit commissum, nihilominus acceditis. O consuetudinem, o præsumptionem, frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stamus ad altare. Nemo est qui simul participet, & reliqua: quæ omnia reperuntur homil. 61. ad pop. Antioch. Ecce, tum Missæ sacrificium fiebat, etiam si nemo simul cum sacerdote participaret. Quod autem hac expostulatione frustra habetur, &c. Non præscribat legem, vel prohibeat oblationem fieri, si non adsunt, qui communicent: sed tantum optet, arguat, & excitet, verba quæ sequuntur indicant, ex quibus colligere licet, primo tum complures Græcorum quotannis semel communicasse, alios bis, alios sæpius. Tantum abest, vt communicare consueuerint, quoties Missæ sacrum ageretur, etiam qui Ecclesiam quotidie, vel certe frequenter adibant. Ibi per singulos dies Ecclesiam ingrederis. Deinde eum vehementer optasse, vt mundati, ac probati non semper, at quam solerent, frequentius accederent: hæc ait, dico, non vno vos, & annuo accessu prohibens, sed volens vos semper accedere, sanctis hæc concessa sunt, hoc etiam Diaconus insonat, in illa hora sanctos vocans, & per hanc vocem veluti maculas inspiciens. In occidentali Ecclesia veteres Episcopi quotidie celebrabant: quod ex Cypriano libro 4. epist. 9. ad Florent. Pupia. Ambros. epist. 1. ad Timotheum cap. 3. August. epist. 23. ad Bonifac. & in psal. 135. de fide ad Petrum capit. 19. & Hier. epist. ad Lucinium, & ad Hedibiam, quæst. 2. Nec tamen laicos ad communicandum adigebant; admonebant quidem eos, simulq. quid sentirent, aperiebant: se neque laudare, neque vituperare quotidianam Eucharistiæ communionem, hortantes, vt saltem Dominicis diebus communicarent, si tamen mens

sine

sine affectu peccandi sit. S. August. de Ecclesiast. dogmatib. capit. 53. canon. quotidie, de consecrat. distinct. 2. Magist. sentent. in 4. dist. 12. hanc a communionem quotidiana abstinenti libertatem planius, & apertius explicat. Idem August. epist. 118. ad Ianuar. capit. 3. Amplius Missas celebrari consuetum ante S. Gregorij sæculum, & si nullus præter sacerdotem communicet, probari potest ex decreto Soteris Papæ 11. epist. 2. ad Episcopos Italiae, quo presbyteris vetatur, sacra Missarum sollempnia celebrare, nisi duo adsint, qui sibi respondeant. canon. hoc quoque de consecrat. dist. 1. Ceterum non exigitur, vt populus adsit, nec, vt hi duo, qui præsentés adesse debent, communicent. Idem Soter eadem epist. diserte scribit, nonnullos tum neglexisse perceptionem Eucharistiæ in coena Domini, cano. in coena Domini de consecr. dist. 2. Ex quibus verbis facile conijcere licet, ceteris diebus eos amplius neglexisse, nec tamen præcepit alijs diebus sumere. Fabianus Papa 19. in cuius electione, auctore Eusebio lib. 6. capit. 21. apparuit super ipsum columba, quæ ferebat figuram illius, quæ super Christum in Iordane descendit, epist. 3. ter in anno saltem, fideles communicare præcipit can. & si non frequentius, de consecr. distinct. 2. Quæ constitutio renouatur in Concil. Agathensi can. 18. S. Greg. Nazian. orat. 19. in laudem patris suis, summa hominū frequentia testificatur patrem suum grauiter, & periculose ægrotantem, e lecto surrexisse, & in cubiculo venerandum Missæ sacrum celebrasse, ac populum, etsi absentem, benedixisse. Ibi vero aliquem alium communicasse, confingere non licet. Cyrilius Papa epist. ad Hymerinum Tarracon. capitulo 5. De quibus, inquit, quia iam suffragium non habet peccati, id duximus decernendum, vt sola intra Ecclesiam fidelibus oratione iungantur, sacris mysteriorum celebratibus, quamuis non mereantur, intersint: a Dominicæ autem mensæ conuiuio segregentur. Quibus verbis palam fit, omnes qui Missæ interfunt, non communicasse. Paulinus in vita S. Ambr. narrat, Ambrosium Romæ trans Tyberim, apud quandam mulierem clarissimam inuitatum, vt sacrificium in domo offerret, ibiq. paralyticam, cum vestimenta Ambrosij exosculata esset, ambulare coepisse. S. August. lib. 22. de Ciuitate Dei cap. 8. commemorat, sacerdotem quemdam celebrasse Missam in quadam domo territorij Fufsalensis, qua malignose domo eiecit spiritus, etsi nullus alius communicauerit. Leontius Neapoleos Cyprorum Episcopus, in vita sancti Ioannis Alexand. scriptum reliquit, Ioannem illum cleemofynarum Alexandrinum Patriarcham, cum post lectionem Euangelij de Ecclesia ciues exiissent, exiisse & ipsum, sedisseq. cum his, qui egressi erant, quibus obstupescens dixit ad eos: Vbi oues, illic & pastor. Ingredimini Ecclesiam, & ego accedam. Quod si extra Ecclesiam manseritis, hærebo: ego propter vos descendi ad sanctam Ecclesiam. Nam poteram mihi met facere Missas in Episcopo. Ecce, quo modo extra Ecclesiam, & populi conuentum celebrabantur Missæ in Episcopo. Prosper Aquitanicus libro de promiss. & prædict. dimidij temporis capit. 6. narrat oblationem rursus gratiarum actionis factam, in Ecclesia sancti Stephani, ob beneficium in puellam dæmoniacam collatum. Neque his aduersatur canon per acta, de consecr. dist. 1. qui perperam Calixto tribuitur. Est enim Anacleti, in cuius epist. 1. eadem verba exarata leguntur. In ea enim Anacleti epist. agitur de ministris Ecclesiæ, qui sacris induti, Episcopo sacrum facturo, assident, hi vero omnes, ait, Anacletus, nulla laicorum mentione facta, peracta consecratione communicare debent, ne carere malint liminibus Ecclesiasticis. Sic enim & Apostoli statuerunt. Quæ verba ad can. 8. Apost. referuntur. Eo enim canone, si quis Episcopus, aut presbyter, aut alius ordinis Ecclesiastici, oblationis factæ particeps non extiterit, causam dicere debet, quæ si iusta fuerit, veniam consequetur: sin minus segregandus est. Quibus verbis apparet, Apostolos hoc loco de Episcopis, & presbyteris, qui conficiunt, agere, quod & Balsamon ibidem luculenter probat: quamquam nonnulli alij, ad diaconos, & alios, qui sunt ordinis Ecclesiastici, protrahant, eoq. nomine diaconi, & subdiaconi iubentur ad altare semper ieiuni accedere, can. 19. consil. Antiodor. Romæ, vbi reliquiæ sacræ antiquitatis complures extant, Papa sollempniter celebrante Cardinales, & ceteri ministri astantes communicant. Nemo vero hunc canonem ad Laicos pertinere scripsit. Neque officit canon 9. Apostol. quo laici fideles Ecclesiam ingredientes, & scripturas audientes, si non permaneant in precatione, & sacra communionem segregantur. cano. omnes fideles de consecr. dist. 1. Ea enim Apostolorum constitutio interpretanda est de ijs, qui propter aliquam insolentiam sanctam Eucharistiæ communionem refugiunt, vel, vt legitur in Concil. Martini Papæ cano. si quis intra de consecr. dist. 2. pro luxuria sua auertunt se a communionem, & vniuersalem Christianorum communionem in hoc sacramento auersantur. Atque ita eam interpretatur Synodus

Antiochena

Antiochena can. 2. quo loco Balsamon, & canonem Apostolicum, & Antiochenam Synodum intelligit de ijs, qui pra contemptu, & arrogantia ex Ecclesia, ante sanctam participationem inordinate exeunt, nec intueri sustinent: in ijs vero qui propter pietatem, & propter condignam reuerentiam sacramentorum, se ad sanctam participationem non conuertunt, canon locum non habet, vel auctore eodem Balsamone ad cano. 8. Apost. can. 9. Intelligitur de fidelibus laicis, qui non expectant, seu ad finem vsque non perseverant, donec a dignis facta fuerit sancta communicatio: ideo canon dicit: Qui non permanent. Dicere enim, ait ille, fideles laicos oportere quotidie sanctis communicare, alioqui segregari, nec est ex sententia canonis, nec potest fieri. Non obstat item quod S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 23. commemorans veterem Ecclesiae consuetudinem, ait diaconum, dum Missarum sollempnia celebrabantur ex more clamasse: Siquis non communicat, det locum. Et postea: Et a diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes ab Ecclesia exirent: Gregorius enim eo loci de duabus sanctimonialibus agit, quas Benedictus antequam vita fungerentur, excommunicauerat. Quare locus ille non de ijs qui sacramenti communionem abstinent: defunctae enim erant haec moniales, verum de excommunicatis intelligendus est: minus pugnat text. in canon. neque potest. 1. q. 1. ex August. lib. 4. de ciuitate Dei cap. 14. Neque potest, inquit, id rite offerri nisi per sacerdotem iustum, & sanctum, nec nisi ab eis accipiatur quod offertur, pro quibus offertur. Ibi enim Augustinus agit de Christi sacrificio cruento non de altari in cruento, quod verba, quae sequuntur, aperte indicant. Quis ergo tam iustus, &c. Non me latet initio nascentis Ecclesiae dum feruebat pietas Christianorum nedum clericos, sed & laicos astantes sacrificio quotidie communicasse, cum & fideles pauci essent, & templa perpauca, & altaria rara, & sacerdotes minime multi, quod tum ex liturgijs Iacobi, Marci, Basilij, & Chrysostomi, atque Latinorum, vt quotquot ex hac altaris participatione sumptimus, & iterum fiat commixtio, & consecratio corporis, & sanguinis accipientibus nobis in vitam aeternam. Rursus: Satiasti Domine familiam tuam inde Micrologus c. 19. de Ecclesiast. obseruat. Postquam omnes communicauerint, dicit sacerdos sub silentio iuxta Romanum ordinem: Quod ore sumpsimus, tum ex Clemente lib. 2. constit. Apost. capit. 57. ad finem: & lib. 8. cap. 13. S. Dionys. Ecclesiast. hierarch. cap. 3. parte 2. & Ignatio epistola ad Ephes. Cypr. lib. 4. epist. 6. & sermone de orat. & de cardin. operibus Christi: & serm. de lapsis: Chrysostomo hom. 8. in 2. ad Corinth. hom. 3. de incomprehensibili Domini natura. 61. ad pop. Antioch. & 3. ad Ephesios. Ambros. lib. 6. de sacram. cap. 4. August. serm. 28. de verbis Domini, Thoma 3. part. quaest. 80. art. 10. ad quintum: & alijs innumeris, immo nedum praesentes communicabant, sed & ad eos qui propter varios persecutionis casus abfuerant. Diaconi sacramentum deferebant: Iustin. 2. Apolog. Optaret sane Ecclesia hanc communicandi consuetudinem instaurari, semperq. sacerdos praesto est iuxta Ecclesiae votum in Missis quantumuis priuatis seu peculiaribus populo sacramentum ministrare. At numquam Ecclesia quotidie inuitos ad communionem compulit, neque Christus de ea re quidquam statuit. Certe iniustum esset propter inertiam, vel contempionem populi frequenter non accedentis, sacerdotes ipsos, ac ceteros fideles, tanto tamq. necessario sacrificij fructu carere, ipsumq. Deum singulari, ac praecipuo cultu fraudari. Plane et si Sacerdotes priuatim Missam celebrant, intelligi potest illos eiusdem actionis esse cooperatores pro quibus ipsa tunc celebrantur officia, & quorum personam in quibusdam responsionibus sacerdos exequitur. Vualfrid. Strabo. lib. de reb. Eccles. cap. 22. haec de Missis publicis, & peculiaribus. Quod vero pertinet ad Missam, quae vulgo sicca, vel nautica dicitur. A Thoma Vualdenfi commemoratio Missae, quae sine communicatione, & consecratione celebratur, huius videtur meminisse Socrates lib. 5. histor. Eccles. cap. 21. Rursus in Alexandria 4. Feria, & ea quae dicitur paraescue, & leguntur scripturae, & doctores eas interpretantur, & omnia quae ad Synaxim spectant administrantur, praeter mysteriorum celebrationem, seu consecrationem *αυθις δε εν αλεξανδρεια τη τετραδι, και τη λεγομενη παρασκευη γραφεη αναγνωσκουν*, & οι διασκαλοι ταυτα ερμηνευσαι, παντα δε τα συναξευς γαρ διχα τη ε των μυσηριων τελευτη ε, Missa vero sicca dicitur, auctore Durando de rationali lib. 4. cap. 1. num. 23. quoniam ait ille: Si sacerdos non potest conficere, quia forte iam celebrauit, vel ob aliam causam, potest accepta stola, epistolam, & Euangelium legere, & orationem Dominicam dicere, & dare benedictionem. Quinimmo si ex deuotione, non ex superstitione, velit tantum officium Missae sine sacrificio dicere, accipiat omnes vestes sacerdotales, & Missam suo ordine celebret vsque ad finem offerendae: praefationem vero dicere potest, licet in eadem videantur Angeli inuocari ad con-

ad consecrationem, de canone vero nihil dicat, sed orationem Dominicam non praetermittat, & quae ibi dicuntur sub silentio dicenda, non dicat Calicem, vel hostiam non habeat, &c. Extat liber sacerdotalis a Leone 10. vt ait Nauarrus, libro de oratione, Miscell. 53. probatus in eo, parte prima, tractat. 4. cap. 34. haec ex ara leguntur data benedictione post Missam celebratam, & Euangelio sancti Ioannis lecto, celebrans deponit casulam, & omnibus alijs paramentis retentis, stans in cornu epistolae, versus ad altare detecto capite, legit absolute ex Missali introitum alterius Missae: Gloria in excelsis Deo, si illud in prima Missa non dixit, & illi Missae conueniat, alioquin ipsum praetermittit. Idem obseruat de Credo in vnum Deum, subiungit, praetermissis Dominus vobiscum, & oremus, orationem, Epistolam, &c. haec Missa item dicitur naualis, seu nautica, quia vt in eod. lib. sacerdotali legitur c. 35. in mari, & fluminibus celebrari solet, quibus locis propter motum, & agitationem fluctuum Missae sacrificium celebrandum non est. Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 6. §. 4. hanc Tolosae dum post prandium defuncti sepulturae dantur celebrari consuetum, dixi libro 1. capitulo de coemeterijs.

Q V I B V S M I S S A E S A C R V M
celebrandi, & sacram Eucharistiam conficienda potestas
commissa, & credita est.

C A P V T Q V I N T V M.

- 1 Missa sacrum facere solis sacerdotibus rite ordinatis permixtum est.
- 1 Sacerdotum quanta sit dignitas obiter ex Patrum testimonijs declaratur.
- 2 Missa sacrificium a solis sacerdotibus offerri ex Concilijs ostenditur.
- 3 Diaconi an possint Eucharistiam populo ministrare.
- 4 Sacerdotis peccatum non impedit consecrationem Eucharistiae, dummodo adsint alia, quae requiruntur, argumenta contraria soluuntur.
- 5 Opus, quod vulgo dici solet operatum, ab operantis opere diuersum est.
- 6 Episcopus malus, est Episcopus. Explicatur S. Clementis locus.
- 7 Oratio sacerdotis boni an utilior quam non boni.



M I S S A E sacrum facere, & diuinam Eucharistiam conficere solis sacerdotibus rite ordinatis potestas concessa est. can. 3. Apost. Siquis Episcopus, vel presbyter, praeter Domini de sacrificio ordinationem alia quaedam ad altare attulerit, &c. S. Dionys. epist. ad Demophil. monachum. Ac mihi quidem videtur audax, & temerarius, si quis ea sibi sumat, quae propria sacerdotum, neque metu, ac pudore a diuinorum tractatione praeter captum, ac meritum detur. S. Clemens lib. 3. constit. Apostol. c. 10. Immo neque laico permittimus facere aliquod opus sacerdotale, vt sacrificium, aut baptismum. Et paulo post: Huiusmodi enim gratia per impositionem manuum Episcopi datur. Qui vero non est ad eam electus, sed potius eam sibi rapuit, hic supplicio Oziae afficietur. Tertul. de exhort. castitatis c. 7. differentiam inter ordinem, & plebem constituit, Ecclesiae auctoritas, & honor per ordinis confessum sanctificatus a Deo, vbi Ecclesiastici ordinis est confessus, & offert, & tingit sacerdos. Nicæna Syn. can. 18. Peruenit ad sanctam Synodum, quod in nonnullis locis, & ciuitatibus diaconi dant presbyteris Eucharistiam, quod neque canon, neque consuetudo tradidit, vt qui offerendi potestate non habent, ijs qui offerunt dent corpus Christi. S. Cypr. lib. 2. ep. 3. Nā si Iesus Christus Dominus & Deus noster ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem praecipit: vtique ille sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod fecit Christus, imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Greg. Nazian. Apolog. sacerdotis dignitatem enarrans, ait: Sacerdotem cum Angelis stare, cum Archangelis glorificare, ad superum altare sacrificia transmittere, & cum Christo sacerdotio fungi. Quae postrema verba notatione digna sunt. Antherus Papa 18. ep. decr. ad Episcopos Hispanos: Absit, vt quidquam sinistrum, de his loquar, qui Apostolico gradui succedentes

cedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos etiam Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, ante iudicij diem indicant: in veteri quidem lege habetur, quod quicumque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus, &c. Fabianus Papa 22. epistola 2. Sacerdotes quoque sibi Dominus elegit, ut sacrificent ei, & offerant oblationes Domino. Leuitas quoque sub eis esse iussit in ministerijs eorum S. Hieron. ad Euagrium, agens de contemptu presbyterorum a diaconis, inquit: Quid patitur mensarum, & viduarum minister, ut super eos sic timidus offerat, ad quorum preces Christi corpus sanguisq. conficitur. S. Epiphanius epist. ad Ioannem Episcopum Ierosolymitanum, quæ extat lib. 2. epistolarum Hieronymi, epist. 60. Cum enim vidissem, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam, & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, & laborare in hac parte ministerij, quæ Christianorum præcipua salus est, de sacrificio Missæ proculdubio intelligit: inuenire autem, & comprehendere seruum Dei non posses, qui te, eo quod graue onus sacerdotij nollet suscipere, sæpe fugiebat, &c. S. Chrysost. homil. 60. ad popul. Antioch. Verum & tu laice, cum sacerdotem videris offerentem, ne ut sacerdotem putes esse hoc facientem, sed Christi manum inuisibiliter extensam. hom. Et de prodit. Iudæ: Non homo est, qui proposita de consecratione mensa Domini corpus Christi facit, & sanguinem: sed ille, qui pro nobis crucifixus est Christus sacerdotis ore verba proferunt, & Dei virtute consecratur, & gratia. Et lib. 3. De sacerdotio, qui manducant carnem Domini, & bibunt sanguinem Domini indigne, æterna vita priuatur. Omnia autem hæc non aliter, quam per sacrosanctas illas manus perficiuntur, manus, inquam, sacerdotum. Quo nomine, sacerdotes merito non modo plus vereri debemus quam Principes vel Reges, verum etiam maiori honore, quam parentes honestare. Et lib. 6. de sacerdotio, de sacerdote loquens: Cum autem ille Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq. illud horrore, & reuerentiâ plenissimum perfecit. Et postea: Per id tempus, & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatem vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, angelorum choris plenus est. Felix 4. epist. ad omnes Episcopos cap. 2. Sicut non alij, quam sacrali Domino sacerdotes Missas debent cantare nec sacrificia super altare offerre. Isidorus lib. 2. de Ecclesiastic. offic. cap. 7. Presbyteris, sicut episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est. Præfunt enim Ecclesijs Christi & in consecratione diuina, corporis & sanguinis confortes cum Episcopis. Sunt & alia August. Hierony. & aliorum Patrum innumera testimonia: plene Iuo Carnotens. epist. 1. 24. Magist. sentent. lib. 4. dist. 13. vbi S. Bonaventura & ceteri. S. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 1. Extant in eandem sententiam saeculorum concil. decreta. In Concil. Rhemen. can. 6. Missarum ibi discussa est ratio, ut presbyteri minus antea scientes intelligerent, qualiter Missarum sollempnia deinceps melius celebrare deberent. Concil. Lateran. sub Innocent. 3. cap. 1. & hoc utique sacramentum nemo potest conficere, nisi sacerdos fuerit rite ordinatus secundum claves Ecclesiæ, quas ipse concessit apostolis, & eorum successoribus Iesus Christus. Concil. Florent. de Eucharistiæ sacramento: Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficit sacramentum. Quare in ordinatione sacerdotis dicit Episcopus: Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, Missasq. celebrare tam pro viuis, quam defunctis. Itaque nedum clericis inferioris ordinis, sed nec ipsis diaconis Missæ sacrum facere licet. Concil. Nicænum can. 18. Carthag. 6. can. 18. Arelaten. 1. can. 15. Diaconus enim non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecrat. Concil. Carthag. 4. can. 4. can. Diaconus distinct. 23. Eoq. pertinent verba S. Laurentij ad Sixtum Pontificem apud S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 41. Quo sacerdos sancte sine Diacono properas? Numquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Antiquitus tamen Diaconis Eucharistiam, astantibus ministrare licebat, & ad absentes deferre. Iustinus martyr. Apolog. 2. S. Cyprian. ferm. de lapsis, vbi & miraculum ingens commemorat Synod. Nicæna can. 14. S. Clemens lib. 8. Constit. Apostol. cap. 28. Diaconus, inquit, non baptizat, non offert: oblatione vero ab Episcopo aut presbytero, facta ipse Diaconus dat populo non tamquam sacerdos, sed tamquam qui ministrat presbyteris. S. Leo ferm. de S. Vincentio martyre. Qui & S. Augustino ascribitur. Igitur, inquit, S. Vincentij spiritus tanto virtutum munere claruit, ut sacri ministerij fultus officio. Qui filium Dei Dominum nostrum sequuturus esset in passione eiusdem Christi, calicem credentibus prius ministraret in salutem. Cuius loci alias me admonuit Danes Vaurenf. Episcop. homo doctrina, atque optimarum artium studijs eruditus, Quæ tamen intelligenda sunt, iubente Episcopo, vel presbytero.

bytero. Concil. Carthag. 4. cap. 38. ut Diaconus, præsentem presbytero, Eucharistiam corporis Christi populo, si necessitas cogat, iussus eroget. Concil. Arelat. 2. can. 15. In secretario: Diaconos inter presbyteros sedere non liceat, vel corpus Christi, præsentem presbytero, tradere non præsumat. S. Thomas. 3. part. quæst. 82. artic. 3. & ad 4. Sentent. dist. 11. & 13. Soli ergo sacerdotes consecrant, & offerunt: quod obtinet, etiam si mali, & peccato mortifero irretiti sint. Nam & hi ordinant, consecrant, & conficiunt. S. August. contra epist. Parmenia. lib. 2. cap. 21. 29. & tractat. 5. in Euangel. Ioannis. Et contra Cresconium grammat. lib. 3. cap. 6. lib. de corpore Domini can. intra can. Non nocet prima quæst. prima, & can. secundum Ecclesiæ dist. 19. & can. Vtrum de consecrat. dist. 2. plene & luculenter. Paschasius de corpore & sanguine Domini cap. 12. S. Algerus lib. 3. de sacramento cap. 3. cap. 8. S. Thom. 3. part. quæst. 82. art. 3. Iuo Carnotens. epist. 124. præclare. Innocent. 3. lib. 3. mysteriorum Missæ cap. 5. ad finem. In sacramento corporis Christi, nihil a bono magis, nihil a malo minus perficitur sacerdote, dummodo sacerdos cum ceteris in arca consistat, & formam obseruet traditam a columba: quia non in merito sacerdotis, sed in verbo conficitur Creatoris. Non ergo sacerdotis iniquitas effectum impedit sacramenti: sicut nec infirmitas medici virtutem medicinæ corrumpit. Quamuis igitur opus operantis aliquando sit immundum, semper tamen opus operatum est mundum. Plane hoc loco Innocent. nec non scholastici ad 4. sentent. dist. 13. per opus operatum in sacrificio altaris intelligunt, non externas sacerdotis actiones, sed opus Dei in consecratione, & sanctificatione sacramenti. Quod non a merito sacerdotis, sed a Christi potentia dependet, qui sacramentum suum ipse veraciter consecrat, conficit, & fidelibus dispensat. Quamquam ministerio sacerdotis, licet mali nonnumquam, & indigni. Neque his aduersatur quod scriptum est can. præter hæc, distinctione 32. vbi vere idolatræ dicuntur, qui ab improbis sacerdotibus sacramenta suscipiunt. Ibi enim idolatræ dicuntur, non quidem idolatria simpliciter, & absolute sumpta, verum propter contumeliam, & despicientiam: non parendo Pontificum decretis, & sacris canonibus. Quibus sacramentorum consecratio, nec non, aliter quam permixtum est, scienter susceptio prohibentur. Quod verba, quæ sequuntur, aperte innuunt. Ait enim Samuel propheta, peccatum ariolandi repugnare, & quasi scelus idolatriæ non acquiescere. Præterea eodem can. non prohibetur sacramenta baptismi, & Eucharistiæ suscipere, vbi vrget necessitas. Ergo qui suscipiunt, non sunt proprie idolatræ, neque enim quantumcumque necessitas premat, licet idola colere. Addo quod in plerisque exemplaribus legitur, fere idolatræ, non vere idolatræ. Minus pugnat, quod Chrysost. vel quicquid auctor fuerit operis imperfecti homil. 53. in Matth. ex libro 8. canon. Apostolorum, hoc est constituit. Apostolicarum circa princip. ait: Eos qui ministerium suum non bene consummauerunt, ex hominibus ordinatos: Ex hominibus vero ordinatos, quantum ad Deum, non esse diaconos, aut sacerdotes. Verba vero Clement. lib. 8. constituit. Apostol. cap. 1. Bossio interprete, & apud Turrianum sunt huiusmodi: Neque Episcopus ignorantia, aut malo animo oppletus Episcopus est: sed falsus Episcopus, non a Deo, sed ab hominibus promotus. Nam ut Carolus Bossius Ostunensis Episcopus in scholijs adnotauit, non est ita interpretanda Clementis sententia, quasi velit, vitiosos Episcopos amittere potestatem, quam in ordinatione acceperunt: sed eos negat esse Episcopos, quatenus officia, & munera, quibus funguntur, non sunt grata, & accepta Deo, nec electio eorum ei tribuitur, sed hominibus. Sunt igitur ij Episcopi, quoad potestatem, non autem, quoad Deum attinet, quia institutiones ipsorum, atque officia, quæ postea exercent, non sunt probata a Deo. Immo auctore Turriano, ad eum locum, ibi: Mali sacerdotes, appellantur sacerdotes. Sunt igitur sacerdotes, etsi mali, hunc errorem Durandus in Ration. lib. 4. cap. 1. ascribit Arnaldistis, quorum mentio fit cap. penult. de hæreticis authentic. Gazaros c. de hæreticis huffitæ eundem errorem instaurarunt, quos Synod. Constant. damnat. Ceterum etsi quoad sacramentum, mali sacerdotis Missa, non minoris sit momenti, & ponderis, quam ea, quæ a bono sacerdote celebratur: nihilominus, quoad orationes, melioris sacerdotis magis sunt fructuosæ, quamquam fructu non careant sacerdotis etiam mali orationes in persona Ecclesiæ prolata. Plene S. Th. 3. par. q. 82. artic. 6. Idem Thom. & Bonauent. ad 4. sentent. dist. 13.

DE LOCO CELEBRATIONIS
Missæ.

CAPVT SEXTVM.

- 1 Missas extra sacratas ades non esse celebrandas, docent patres, & concilia.
- 2 Missarum sollempnia, an in piorum virorum oratorijs peragi possint.
- 3 Missa an in priuatis adibus celebrari possit, permittente Episcopo, vel vbi premit necessitas.
- 4 Missa antiquitus martyrum sæculo, extra sacratas ades, & oratoria celebrari poterant.
- 5 Missa in mari, & fluminibus cur non celebranda.



ISSAE non nisi in sacratis adibus celebrari debent. S. Paulus 1. ad Corinth. 11. plane & perspicue docet vsu receptum apud Corinthios in Ecclesia Dominicam coenam manducare, ibi: Conuenientibus in vnum, & postea: Aut Ecclesiam Dei contemnit. S. Clemens epist. de 3. officio sacerdotis cano. hic ergo de consecr. dist. 1. Quoniam in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in ijs, in quibus proprius Episcopus iusserit, aut ab Episcopo regulariter ordinato, tenente scilicet ciuitatem, consecratus fuerit. Anacler. Papa epist. 1. de oppressione Episcop. Ipsi autē quando Domino sacrificant, non soli hoc agere debent, sed testes secum adhibeant; vt Domino perfecte in sacratis Deo sacrificare locis probentur. Ait namque auctoritas legis diuinæ: Vide ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris, sed in loco quem elegerit Dominus tuus. Deuter. 12. vbi Raban. Synod. Romana sub Siluestro Papa tom. 1. Concil. hic Siluester scilicet, in Synodo constituit omnium cum consensu, vt nullus presbyter Missas celebrare præsumat, nisi in sacratis ab Episcopo locis. S. Basilius in regulis breuioribus, interrogatione 3010. Quemadmodum ratio non permittit vt vasellum commune in sancta introferatur, eodem modo etiam vetat sancta in domo communi celebrari. Cum ex iussu Dei in veteri testamento, nihil isto modo fieri permittatur. Cum autem Dominus dicat, plusquam templum est hic: & Apostolus item: Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, quid dicam vobis? laudabo vos, in hoc non laudo. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, & quæ sequuntur: sane admonemur non debere nos, neque communem coenam in Ecclesia manducare, aut bibere, neque Dominicam in priuata domo in contumelia habere, extra quam, si quis cum necessitas poscat, locum, ædemve elegantiorē deligat in tempore opportuno. Pſichius lib. 2. in Leuit. cap. 8. Præfigurare, inquit, hoc mysterium, Domino volente, quod in tus oportet in Ecclesia, in loco sancto, id est altare coqui, & comedi: alibi vero nequaquam. Propter quod Paulus Corinthijs præcipiebat: Conuenientibus autem vobis in vnum, numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? Ecclesiam Dei despicitis: & hoc ideo vt illic absolute mystica coena deberet celebrari. Itaque Missæ sacrum facere in prophanis domibus, diligenter vetitum est, Concil. Laodicensis can. 58. & Cabilonen. sub Carolo Magno cap. 49. quod non oportet in domibus fieri oblationem ab Episcopis, vel presbyteris. Concil. Triburien. apud Bruchard. lib. 3. cap. 56. Iuonem lib. 3. cap. 59. Gratia. can. Missarum de consecr. dist. 1. Missarum sollempnia non vbi que sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus. Concil. Aurel. cap. 3. apud Bruchard. lib. 3. cap. 86. Vnicuique fidelium oratorium in domo sua licet habere, & ibi orare: Missas autem ibi: Celebrare non licet cano. vnicuique de consecr. distinct. 1. Procopius Gazens. ad cap. 6. Leuit. enarrans verba illa: In sanctis locis eduntur. Nam inquit: In Ecclesijs offeruntur mystica. Extat in eadem sententiam apertissima Iustiniani constitutio nouella 58. vt in priuatis domibus, & nouel. 131. de Eccles. tit. 9. si quis in sua domo. Verum an in oratorijs intra domos, Missæ sacrum facere liceat, quæri solet. Leo sapiens nouel. 4. & 15. præcise statuit, licere omnibus sacerdotibus in piorum oratorijs, & sacrificia, & baptisimata peragere. At sacri canones, eos, qui præter Episcopi proprii sententiam talia peragunt, si clerici fuerint, deponunt: si laici, segregant. Trull. Syn. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, can. 31. & can. 59. & d. can. vnicuique de consecr. dist. 1. sane ante Concil. Trident. permissu Episcopi,

Episcopi, super altare portatile, quod *ἀντιυλωσία*, appellatur, sacerdotibus in oratorijs, & priuatis adibus Missas celebrare licebat. can. concedimus, de consecr. dist. 1. hodie vero cum Concil. Trident. sess. 22. capit. de obseruandis, & euitandis, in celebr. Missæ Episcopi prohibentur pati in priuatis adibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi. Episcopi indulgere nequeunt, Missas in priuatis adibus celebrari. Quo etiam decreto antiquata sunt Minorum, & Dominicanorum priuilegia, quibus in quocumque loco honesto, Missæ sacrum celebrare indultum erat. Nauar. in Enchirid. capit. 25. num. 81. Plâne quoties magna premit necessitas, venia necessitati datur, etiam sine permissu Episcopi, Missarumq. sollempnia celebrare licet in priuatis adibus, necnon in itinere sub dio, seu in tentorijs, modo adsint tabula consecrata, & quæ ad Missæ officium pertinent. Concil. Maguntien. anno Domini 881. capitulo 9. his verbis: Concedimus etiam, vt sicubi, quod nostris exigentibus culpis per plurimum est factum, a Normanis, seu alio qualicumque modo Ecclesiæ fuerint incensæ, in capellis Missas interim liceat celebrare, donec ipsæ Ecclesiæ instaurari queant. In itinere vero positus, si Ecclesia defuerit, vbi sub dio, seu in tentorijs, si tabula altaris consecrata, ceteraq. mysteria sacra ad id officium pertinentia adsint, Missarum sollempnia celebrari permittimus. Quibus verbis, ait Alex. de Ales, notatur fauor generalis celebrandi Missam, dum talis premit necessitas. Felix 4. epist. ad omnes Episcopos capit. 1. De Missarum, inquit, celebrationibus non alicubi, quàm in sacratis Domino locis absque necessitate magna fieri debere liquet omnibus, quibus sunt nota noui, ac veteris testamenti præcepta. Et postea paulo ante finem: Et non in alijs locis, quàm in adibus sacratis ab episcopis, & non a chor-episcopis, qui sæpe prohibiti sunt, nisi vt prædictum est, summa exigente necessitate. can. sicut non alij, de consecr. distinct. 1. Constantinus Imperator in castris sibi tabernaculum fieri curauerat, in quo sacra fierent. Sozomenes libro 1. capit. 8. Tripart. libro 1. capit. 9. Nicephor. lib. 7. capit. 46. Martyrum sæculo, feruente persecutione, Christiani in priuatis domibus, in cryptis, & carceribus collectam, & dominicum seu Missam agebant. S. August. in Breuiul. collat. cū Donatist. collation. tertij diei: & lib. vno cōtra Donatist. post collation. c. 14. Cornel. Papa epist. ad Lupicinum Viennensem Episcopum commemorat, aream Domini persecutionis vento, adeo agitatum, vt Romæ neque in cryptis notioribus Missas agere Christianis liceret. Christiani, ait Gregor. Turon. lib. 2. histor. capit. vltimo. Eo tempore occulte, & per latebras diuinum officium celebrabant: & lib. 10. cap. 13. Primus, inquit, Gracianus Episcopus anno Imperij Decij primo Turonicis a Romano Papa transmissus per cryptas, & latibula cum paucis Christianis per eundem conuersis, mysterium sollempnitatis diei Dominicæ celebrat. Victor Vticensis libro 1. de persecut. Vuandal. Recedentes, ait Victor, qui supererant, magni sacerdotes a Geiserico duce tristitia, & mœrore confecti, coeperunt qualiter poterant, & vbi poterant oblati Ecclesijs diuina mysteria celebrare. Itaque & post Concil. Trident. si necessitas flagitat vbi cumque terrarum Missæ celebrari possunt, sine venia Episcopi. Nauarrus vbi supra. In mari vero, vel flumine, vbi effusio sanguinis timeri posset, quæcumque premit necessitas, Missæ sacrificium peragere non licet. Antoninus 3. par. tit. 13. capit. 6. §. 4.

DE TEMPORE CELEBRATIONIS
Missæ.

CAPVT SEPTIMVM.

- 1 Missæ sollempnes cur tribus potissimum horis celebranda.
- 2 Missæ particulares, vsque ad quam diei horam celebrari possint.
- 3 Missa an post Meridiem nec non post nonam celebrari possit.
4. 5 Missa non est celebranda nisi a ieiuno, & qua sit pœna de hac re statuta.
- 5 Canon, sacramenta, de consecr. distinct. 1. explicatur.
- 6 Missa & communione peracta, quanto tempore abstinendum sit a cibo temporali.
- 7 Communio neganda omnibus non ieiunis, præterquam in graui, & periculosa infirmitate.
- 8 Communione quis cibis corporalis impediatur, & an medicina.

L

9 Missa

9 *Missæ quoties eodem die celebrari possit ab uno sacerdote, & quibus sit permissum Missam sapius celebrare.*



RIBVS horis Missæ sollempnes celebrari consueuerant. Sunt enim tres horæ in die ex Dominica passione, ad celebranda mysteria præcipue consecrata, hora tertia, quia ea hora Dominus crucifixus est linguis Iudæorum: sexta, quia manibus gentilium crucifixus est: nona, quia emisit Spiritum, hæc pluribus Amalar. Fortunat. de Ecclesiast. offic. lib. 3. cap. 42. & lib. 4. cap. 40. Micrologus de Ecclesiast. obseruat. capitulo 58. Ioannes Belet in explicat. diuinor. offic. capitulo 50. Guillel. Durand. in Rationali libro 4. capitulo 1. S. Thomas 3. parte q. 83. art. 2. Plane festis, & sollempnibus diebus hora tertia Missarum celebratio inchoari debet. Ea, vt putat Micrologus, ratione quod inter reliquas passionis horas, tempore Dominicæ resurrectionis, siue natiuitatis propinquior esse videatur. Alia exarata legitur ratio, in Concil. Aurelianensi 3. c. 11. de Missarum, inquit, celebritate in præcipuis dumtaxat sollempnitatibus id obseruare debemus, vt hora tertia Missarum celebratio in Dei nomine inchoetur, quo facilius intra horas competentes, ipso officio expedito, sacerdotes possint ad vespertina officia, in vespertino tempore conuenire: sacerdotem enim vespertinis officijs ad Ecclesiam, talibus præcipue diebus, nec decet deesse, nec conuenit. Tertiam rationem elicere licet ex Aug. apud Bruchard. lib. 2. c. 54. Admonendus est populus, inquit Aug. vel vt alij credunt Greg. vt ante publicum peractumq. officium ad cibum non accedat, sed omnes ad publicam sanctam matrem Ecclesiam, Missarum sollempnia & prædicationem audituri, conueniant. Et vt sacerdotes Missas hora tertia celebrent, vt populus a publicis sollempnibus non abstrahatur. Sed sacerdotes, qui in circuitu vrbs, aut in eadem vrbe sunt, & populus, in vni ad publicam Missarum celebrationem conueniant. Quasi dicat Aug. ideo Missæ sacrum inchoandum hora tertia, quia prædicatio, seu concio intra Missarum sollempnia fieri consuevit, atque ita totum impleri possit ante meridiem. Deinde, vt sacerdotes, & populus, qui in circuitu vrbs sunt, liberum spatium habeant in vnum ad Missam publicam conueniendi: huius canonis pars habetur in can. Et hoc de consecr. dist. 1. Missam. Item hora tertia, celebrari consuevit se indicat S. Greg. hom. 37. circa finem, dum de Cassio Narniensi Episcopo verba facit, his verbis: Quibus auditis Episcopus in oratione, se cum magna cordis contritione prostravit, & qui oblaturus sacrificium ad horam tertiam venerat, hoc pro extensa orationis magnitudine, ad horam nonam vsque produxit: Inde existimo tertiam horam sacram appellari can. fin. dist. 44. quia sacris Missarum sollempnijs dicata est. Sexta vero, vel Nona, aut Microlog. ieiuniorum officijs deputantur. Verum sexta hora Missa celebrari potest, etiam extra ieiunij tempus. S. Ambr. sermone 8. in psal. 118. vt statim meridianis horis adueniendum sit in Ecclesiam, canendi hymni, celebranda oblatio. Tunc itaque paratus assiste, vt accipias tibi munimentum, vt corpus edas Domini Iesu hora nona in quadagesima. can. solēt de consecr. dist. 1. Amalar. Fortunat. l. 1. de Ecclesiast. offi. c. 7. Itaque ante horam tertiam Missarum sollempnia celebrari nequeunt, ex decreto Telesphori Papæ ep. ad omnes, c. 2. can. nocte de consecr. dist. 1. Vualfridus Strabo de reb. Ecclesiast. c. 23. præterquam in nocte natiuitatis d. can. nocte quin ipsa natiuitatis nocte primam dumtaxat licet celebrare, adeo, vt reliquas duas, neque publice, neque priuatim ante auroram continuare liceat. Ang. de clauas. in voce Missa §. 46. Siluester in ead. voce §. 6. Nauarrus, in Enchirid. confessar. c. 25. nu. 87. & alij Summistæ: quæ omnia de Missis sollempnibus intelligenda sunt. Peculiares siquidem Missæ quacumque diei parte, modo ante nonam celebrari possunt, Alex. de Alef. 4. parte q. 36. memb. 2. S. Thom. ad 4. sent. dist. 13. Idem Thomas 3. par. q. 83. art. 2. ad 3. Gabriel Biel, super can. Missæ lect. 14. de Turre Cremata, in d. can. nocte sancta, Leo Papa epist. 79. alias 81. cap. 2. ad Dioscorum, Alexand. Episcop. in Ecclesia Rom. sacrificium offerri consuetum, prima diei parte, scriptum reliquit, quo argumento vulgo creditur Missas peculiares diluculo, nec non paulo ante lucē celebrari posse, nedum ab Episcopis, quibus id proculdubio fas est, Glo. in capit. fin. de priuil. Paludanus ad 4. senten. dist. 13. q. 2. conclus. 2. artic. 2. Verum, & alij presbyteris, pro populi commoditate, vel alia iusta causa, Anton. 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 4. Angel. & Siluester, in voce Missa, idq. vsu receptum Tolosæ, & in nonnullis alijs prouincijs testatur Nauar. in libro de oratio. capitulo 21. numero 31. & in Enchirid. confessar. capitulo 25. numero 85. vbi & hunc vsu difficile relicto, iri putat etiam post receptum. Concil. Trident. quo verantur sacerdotes alijs, quam debitis horis celebrare, ibidem etiā Ioannis Andreae sententiam improbat, qui in

qui in cap. 1. de celebrat. Missarum scripsit, illicitum esse post præteritam horam sextam celebrare, tum quod nulla lege, aut ratione nitatur, tum etiam quia Missa est sacrificium incruentum, quod a sacerdote in persona Christi offertur: quod quidem cruentum ea ipsa hora oblatum fuit a Christo. Plura apud Nauarrum in can. Quando, & can. Solēt de consecr. dist. 1. Plane & post nonam in ieiunijs quattuor temporum, & sabbato sancto licitum erat antiquitus celebrare, dicto can. Solent versic. in ieiunijs. S. Thomas, Richard. & Petrus de Palude ad 4. senten. distinctione 13. Amalar. Fortunat. libro quarto de Eccles. offic. capitulo 40. Rupertus Tuitiensis libro 10. de diuinis offic. capitulo 18. Belet in explicat. diuinor. offi. capitulo 50. Antoninus 3. parte tit. 13. capitulo 6. §. 4. Siluester in voce, Missa: Hi vero, ait Amalar. Fortunat. libro 3. capitulo 42. qui ante horam tertiam, vel post horam nonam necessario offerunt sacrificium Deo, amore diuino inflammati, vt non prætereant dies sine illorum sacrificio, non hoc agunt, quasi petulanter contra instituta Apostolica, sed habent causam seriam, qua excusare probabiliter se possint, vt Dominus discipulos defendit reprehensos a Iudæis quando vellebant spicas. Et postea: Huic rei scribit aliquid simile Innocen. Papa capit. 55. & c. Et paulo post: Namque vidi Leonem Apostolicum diluculo intrare ad Missam, nescio vtrum causa necessitatis intercedente hoc ageret, an sola potestate, & c. consuetudine tamen receptum est non licere Missæ sacrum post horam sextam celebrare præterquam in ieiunijs quattuor temporum, & sabbato sancto. Ioannes Maior, & Sotus ad 4. senten. dist. 13. Idem Sotus de iussu. & iure, lib. 10. quæst. 5. art. 4. Glof. pragmat. Quo tempore quisque debeat esse in choro, in voce, Missa, legimus in Missali Romano sub Rubr. de hora celebrandi Missam, quod Missa priuata quacumque hora ab aurora vsque ad meridiem dici potest. Quod si ante meridiem Missa coepta fuerit, vetitum non est eam post meridiem perficere: sane hæc omnia intelligenda sunt, modo presbyter, qui celebraturus est, sit ieiunus. Nam si ea die aliquid ediderit, quantum id cumque sit ex Apostolorum instituto, & more vniuersi orbis offerre, vel communicare prohibetur. Tertul. l. 2. ad vxorem: Non sciet maritus, quid secreto ante omnem cibum gustes, & si sciuerit, panem non illum credit, qui dicitur, & c. S. Cypr. l. 2. epist. 3. At enim non mane, sed post coenam mixtum calicem obtulit Dominus. Numquid ergo Dominica post coenam celebrare debemus? vt sic mixtum calicem frequentandis Dominicis offeramus: Christum offerre oportebat circa vespertam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum, & vesperum mundi, & c. Eutichianus Papa apud Bruchard. l. 5. capitulo 25. & Iuonem parte 2. capitulo 45. Qui acceperit sacrificium post cibum, aut post aliquam modicam refectionem pueri tres dies, maiores septem, clerici viginti dies poeniteant. Gregor. Nazianz. orat. in sanctum baptisma: Ad hæc ille Paschatis mysterium discipulis, in coenaculo tradidit, & a coena, & vnico ante passionem die nos in templis, & ante coenam. Concil. Carthag. 3. capitulo 29. African. capitulo 8. & Mathisonen. secundum, capitulo 6. can. Sacramenta de consecr. distinctione 1. Sacramenta altaris non nisi a ieiunis hominibus celebrentur, excepto vno die anniuersario, quo coena Domini celebratur: Verum hæc posterior decreti pars, vt quinta Feria, in qua coena Domini peragitur fideles coenati communicent, abrogatur can. 29. sextæ Synodi Constant. quo etiam renouatur canon 50. Synodi Laodicensæ ne ea die soluatur ieiunium. Concil. Bracharenf. 2. can. 10. Cognouimus quosdam presbyteros in huius præsumptionis audacia retineri, vt Missas mortuorum etiam post acceptum merum, vel oblationem, ausi sint consecrare. Ideoq. hoc præfixe euidenti sententiæ admonitione seruetur, vt si quis presbyter post hoc edictum nostrum amplius in hac vesania fuerit deprehensus, hoc est non ieiunus, sed quocumque cibo præsumpto oblationem consecrauerit in altari, continuo ab officio suo priuatus a proprio deponatur Episcopo. Concil. Antifiodor. capitulo 19. Non licet presbytero, aut diacono, aut subdiacono, post acceptum cibum, vel poculum Missas tractare, aut in Ecclesia, dum Missæ dicuntur, restare. Concil. Tolet. 7. cano. 2. Nullus post cibum potumq. quamlibet minimum sumptum, Missam facere. Et postea: Si quis hæc temerarie præsumpserit, excommunicationis sententiam sustinebat, can. vt illud de consecratione distinctione prima, can. nihil 7. quæstione prima. S. August. epistola 118. ad Ianuar. capitulo 6. Illud magis mouere potuit homines, vt iam refecti eo die, sic enim legendum cenfeo: vel offerrent, vel sumerent Eucharistiam, quod in Euangelio dicitur. Cum autem illi manducarent: & postea: Post enim tradidit sacramentum: & postea: Et hoc enim placuit Spiritui sancto, vt in honorem tanti Sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Nam ideo per vniuersum orbem mos iste seruetur, & quæ


- sequuntur, quæ ad rem maxime pertinent, cano. liquido de consecrat. distinct. 2. S. Chrysofotomo obiectum legimus non ieiunos ad communionem recepisse, quod adeo deprecatur, ut non recuset, si hoc fecerit expungi nomen suum ex albo Episcoporum, & eijci a Christo e regno, suo epist. 3. ad Cyriacum Episcopum exulem. His addo Christianum Deuthmarum ad cap. 26. Matth. Paschasium de corpore, & sanguine Domini cap. 20. Isidorus libro primo, de offic. capitulo 18. Amalar. Fortunat. l. 3. de Ecclesiast. offic. capitulo 34. Vualfrid. Strabonem libro de rebus Ecclesiast. cap. 19. Innocent. 3. libro 4. mysteriorum Missæ cap. 26. Magist. sentent. libro 4. distinct. 8. Nudum autem sacrificatur, & communicatur ieiuni esse debet: sed & post aliquanto in honorem sacramenti ab omni cibo abstinere debent. S. Clemens epist. 2. ad Iacobum fratrum Domini: Clerici, qui residua corporis Domini, ea quæ in sacrario relicta sunt, consumunt, non statim ad communes cibos accipiendos conueniant, ne putent sanctæ portioni commiscere cibum, qui per aqualiculos digestus in secessum funditur. Si ergo mane Dominica portio editur, vsque ad sextam ieiunent ministri, qui eam consumpserint: & si tertia, vel quarta hora acceperint, ieiunent vsque ad Vesperam can. tribus gradibus, de consecrat. dist. 2. hic tamen canon longa desuetudine antiquatus est, ut ex Archidiacono, & alijs refert Siluester verbo Eucharistia 3. §. 9. S. Chrysof. homil. 27. in cap. 11. epist. 1. ad Corint. Considera, cum sacras illas coenas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant: nonne in preces conuertebantur, & hymnos? Et paulo post: Tu autem priusquam accipias, ieiunas, ut aliquo modo dignus communicatione videaris: Cum autem acceperis, & oportet in continentia perseverare, omnia perdis, quamquam æquum est ante, & post communionem ieiunare. oportet enim utroque tempore continentem esse, sed maxime post acceptum spiritum. Ante, ut dignus fias accipiendi: postmodum ut non indignus videaris, qui acceperis. Porro etsi liceat non ieiuno, dum premit infirmitas corporis, vel mortis periculum imminet, Eucharistiam sumere arg. can. presbyter de consecrat. distinct. 2. S. Thomas 3. par. quæst. 80. art. 8. Numquam tamen licet non ieiuno sacrificare, & conficere. Petrus de Palude, ad 4. sentent. dist. 8. de Turre Cremata in can. liquido de consecrat. dist. 1. Ceterum etsi præsumus, vel potus non debeat conficere, & conficiens grauissimas poenas sustinere debeat, nihilominus vere conficit, reiecta Hugutionis opinione. Plene de Turre Cremata in d. can. liquido, Durand. in Rational. lib. 4. cap. 1. nu. 27. adeo vero exigitur non esse pransum, neque potum eum qui communicat, ut sumptio medicamenti, vel alterius cuiuscumque potitionis communionem impediatur, S. Th. 3. par. q. 80. art. 8. Glossa & doctor. in c. ex parte de celebrat. Missæ, Is item qui vinum perfusionis accepit aliam Missam celebrare non potest. Innocent. 3. in c. ex parte de celebrat. Missarum: licet enim regulariter sacerdoti Missæ sacrum, nisi semel eadem die celebrare liceat: Alexand. 2. in can. sufficit de consecrat. distinct. 1. sufficit sacerdoti vnam Missam in die vna celebrare quia Christus semel passus est, & totum mundum redemit. Et valde felix est qui vnam digne celebrare potest. Qui vero pro pecunia, aut adulationibus præsumunt plures Missas celebrare non æstimo euadere damnationem. Innocent. in cap. consuluit de celebrat. Missar. excepto igitur die natiuitatis Dominicæ, vel nisi causa necessitatis suadeat, sufficit sacerdoti semel in die vnam Missam celebrare. Honor. 3. in cap. Te referente de celebrat. Missar. Vualfrid. Strabo de rebus Eccles. cap. 21. S. Tho. 3. par. q. 83. articulo 2. ad finem. In quibusdam tamen casibus licet eidem sacerdoti eadem die plures Missas facere: hos vero casus enumerant Durand. in Rational. lib. 4. capitulo 1. Paluda. ad 4. sentent. dist. 12. q. 1. artic. 4. & 15. quæst. 2. Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 6. §. 4. de Turre Cremata in d. can. sufficit. Siluester in summa, in voce Missa. §. 7. de Soto ad 4. sentent. distinctio. ne 13. quæstione 2. art. 2. Nauarr. in Enchirid. cap. 25. num. 87. Ex his vnus expungendus est quoties Missa celebrata, accedit Episcopus, vel alius dignitate præstabili ornatus, quo casu Glossa in d. cap. consuluit, quam vulgo scholastici sequuntur, credidit Missam iterari posse: nullo enim iure nullave ratione hæc opinio nititur, ab eaq. discedit de Turre Crem. in d. capitulo sufficit. Neque obstat caput finale, de priuilegijs, in sexto. Nam etsi Episcopo impedito indulgeatur eo cap. habere altare viaticum, in eoq. celebrare, vel celebrari facere, ibi tamen, nec vsquam alibi permittitur ob Episcoporum, vel aliorum, qui in amplissimo dignitatis gradu sunt, impedimenta, Missam eodem die ab eodem sacerdote iterari. Addi potest alius casus, quo idem sacerdos Missam iterare potest, quoties, ait Leo primus epistola octuagesima prima, ad Dioscorum, sollempnior festiuitas conuentum populi numerosioris indixerit, & ad eam tanta multitudo conuenerit, quam recipere Basilicam simul vna non possit. Tum enim, ait Leo, sacrificij oblatio proculdubio iteratur, ne his

ne his tantum admissis ad hanc deuotionem, qui primi aduenerint, videantur: hi qui postmodum confluerunt non recepti, & hac de causa eundem Leonem, vna die septies ac nouies Missarum sollempnia celebrasse, testantur Vualfrid. Strabo de reb. Eccles. cap. 21. & Durandus in Ratio. Ceterum in his omnibus casibus, ab eodem sacerdote Missa repeti potest, si ieiunus sacerdos fuerit, quod si non fuerit ieiunus, etiam si nihil præter solitam calicis purificationem sumpserit, etiam in his casibus Missam repetere non poterit, Nauarr. vbi supra.

DE PRÆPARATIONE SACERDOTIS ante Missæ celebrationem.

CAPVT OCTAVVM.

- 1 Sacerdoti tempus conceditur quo se ad Missam preparare debet, & quid mystice nobis in hoc significetur.
- 2 Missa a sacerdote celebranda non est, nisi præmissa conscientia examine: etsi peccati lathalis vinculo tenetur necessaria est præterea confessio auricularis.
- 3 Caietani opinio de necessitate confessionis ante communionem.
- 4 Missam quæ orationes præcedere debeant.
- 5 S. Carpi præparatio memorabilis ante Missam.
- 6 Missam celebraturus sacerdos cur, & quoties manus abluat.



ANTI certe est Missæ sacrificium in quo illa Deo patri placens hostia Iesus Christus in odorem suauitatis offertur, ut singulari pietate, ac religione celebrari debeat. Agnoscite, ait S. German. in theor. rerum Ecclesiast. omnes sacerdotes, qui sacro altari assidetis, & incruentam victimam sacrificatis, quod vias Christi passiones, annunciat. Conceditur itaque tempus sacerdoti inchoaturo diuinam mystagogiam: Id autem tempus præsentat tempus prædictum ab Isaia propheta, quando nasciturus esset præcursor Ioannes, & ad nos Christus peregrinaturus. Interea sacerdos conscientiam diligenter scrutari debet, ne forte aliquo exitiali peccato inquinatus sit, ut prius contritionis, & confessionis medicamento eluatur. S. Cypr. sermone de lapsis, eos, qui sacram confessionem prætermittunt, grauiter infectatur. Spreto, ait Cypr. his omnibus, atque contemptis, vis inferitur corpori eius, & sanguini. Et paulo post: Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam, sacrificio, & manu sacerdotis, ante offensam placatam indignatis Domini, & minantis, & c. S. Itē Firmilianus ep. 13. ad Cyprianum: Ceterum, inquit, quale delictum est, vel illorum qui admittuntur, vel eorum qui admittunt, ut non ablutis per Ecclesiæ lauacri fordibus, nec peccatis expositis vsurpata temere communicatione contingant corpus, & sanguinem Domini, cum scriptum sit: Quicumque ederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini. S. Aug. de salutaribus documētis c. 33. Quando enim illud accipere debemus, de Eucharistiæ sacramento loquens, antea ad confessionem, & poenitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem, & poenitentiam abluere. Itaque Missam celebraturi, vel Eucharistiam sumpturi, peccato mortifero irretiti, peccata sacerdoti confiteri tenentur, ac nisi legitima, & sacramentalis intercedat confessio, damnationem acquirunt, modo non desit illis copia sacerdotis. S. Th. 3. par. q. 80. art. 4. & ad 4. sentent. dist. 17. q. 3. art. 1. Glossa singular. in c. de homine, de celebratione Missarum, accedat Synodi Tridentinæ sanctio sess. 13. c. 7. his verbis: Ecclesiastica autem consuetudo declarat eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione, ad sacram Eucharistiam accedere debeat. Quod a Christianis omnibus etiam, ab ijs sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo seruandū esse decreuit, modo non desit illis copia confessoris. Rursus eadē sess. can. 11. Et ne tantum sacramentū indigne, atque ideo in mortē, & condemnationē sumatur, statuit atque declarat ipsa S. Syn. illis, quos conscientia peccati

- mortalis grauat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse sacramentalem confessionem, si quis contrarium docere, &c.
- 3 Quibus conuincitur opinio Caietani in summa, in verbo communio, & 1. ad Corinth. 11. & in S. Thom. 3. parte q. 80. art. 4. Ad hæc celebraturi, præcipue Episcopi quinque psalmos dicere debent. Quam dilecta 83. Benedixisti 84. Inclina 85. Credidi 115. & De profundis 129. vt quidquid immundum, ait Innocent. 3. lib. 1. myster. Missæ. cap. 47. quinque sensuum transgressione commisit, quinque psalmorum oratione detergat. Quædam enim continentur in ipsis, quæ recte conueniunt celebraturis altaris mysterium, & Eucharistiæ sacramentum, &c. Micrologus de Ecclesiast. obseruat. cap. 1. Presbyter cum se parat ad Missam iuxta Romanam consuetudinem, decantat hos psalmos: Quam dilecta, Benedixisti, Inclina Domine, Credidi. Deinde *κύριε ἐλέησον*, Pater noster, cum precibus, & oratione pro peccatis, videlicet, vt intus & exterius summo sacerdoti placere valeat. Radulp. Tung. lib. de canon. obseruantia propo. 23. sanctum Carpium, virum (ait S. Dionysius) si aliquis alius, per multam mentis munditiam ad Dei visiones diuinissimum, numquam sacros mysteriorum ritus aggressum, nisi prius in ipsis precibus, quæ ante perfici solent, sacra & læta ei apparuisset visio, auctor est S. Dionys. epist. ad Demophilum. Deinde celebraturus corporaliter lauat manus, vt spiritaliter, ait Innocent. 3. lib. 1. mysteriorum Missæ cap. 49. mundet actus. Rursus sacerdos lauat manus ante oblationem, de ea vero manuum ablutione nos plura infra capit. de manuum lotura.

DE SACRIS VESTIMENTIS.

CAPVT NONVM.

- 1 Vestimenta sacra clericorum ex varijs patrum testimonijs comprobantur, nec ad profanos vsus adhibenda.
- 2 Vestimenta sacra esse debent munda.
- 3 Hereticorum de sacris vestimentis error confutatur, allatis pro hoc Ecclesie ritu varijs rationibus.
- 4 Vestes sacre virtutum insignia sunt, & earum vsus aliquando miraculis comprobatus est.
- 5 Amictus, quod genus sacre vestis, & quid significet, quo ad mores.
- 6 Superhumeralis illud legale, an idem sit quod noster amictus.
- 7 Alba, seu *σχιματιον*, quid sit, & ad quos pertineat, & cur dicatur *σχιματιον*.
- 8 Alba quid moraliter significet, & cur in veteri lege stricta, laxior in lege Euangelica.
- 9 Sacerdotes gentilium lineis vestibus induebantur.
- 10 Zone sacerdotales nomina, vsus, & significatio varia Canon Monacho 27. q. 1. explicatur.
- 11 Stola sacerdoti necessaria, etymologia nominis declaratur, & varia forma.
- 12 Orarium, an idem quod stola.
- 13 Stole significatio accommodatur ad mores, nec ea vtuntur subdiaconi eo modo, quo sacerdotes.
- 14 Manipuli, seu mappula nomina, vsus & significatio vnde dicta, quid significet, & cur.
- 15 Casula sacerdotalis vnde dicta, quid significet, & cur sit in duas quasi diuisa partes, vbi multa ad mores pertinentia declarantur.
- 16 Casula, an Græcis idem sit quod *πλατήτα*.
- 17 Casula quare cappa vulgo appelletur.
- 18 Episcoporum indumenta describuntur.
- 19 Sandalia Episcoporum, quæ sint, & quam habeant, tum significacionem, tum formam.
- 20 Tunica Episcopalis, quæ & subucula dicitur, quid denotet.
- 21 Tunica in veteri testamento due.
- 22 Dalmatica a quo instituta, & quorum sit ea vti, & quid significet.
- 23 Martyres, an sine Dalmatica sepeliendi.
- 24 Dalmatica crucis formam cur habeat, & quo tempore eius vsus intermittatur.
- 25 Dalmatica vnde dicta, & quando cæpit esse in vsu.
- 26 Collobium quid sit, & apud quos in vsu fuerit.
- 27 Chiroteca Episcoporum quid significet.

- 30 Mitra que Græcis *τιμπα* dicitur, a quibusdam infula, in vtroque testamento fuit in vsu, & apud gentiles.
- 31 Mitra significatio, & forma explicatur.
- 32 Hereticorum de mitris impudentia reprehenditur, & explicatur locus Apocalypsis.
- 33 Mitram oraturus deponit Episcopus.
- 34 Abbates qui mitram vsu habent, ubique etiam presente Episcopo mitram deserunt.
- 35 Papa tum mitram gestat, tum coronam, & de corona huius origine.
- 36 Annulus cur detur Episcopo, cur gestetur in indice, & quid significet.
- 37 Baculus pastoralis varia habet nomina, & significaciones non vulgares.
- 38 Pedum quid significet.
- 39 Baculus pastoralis cur acutus, rectus, & retortus, & apud quosdam cruciatus.
- 40 Papa pastorali baculo non utitur.
- 41 Baculum & mitram deponit Episcopus accedens ad altare.
- 42 Pallium nomen est dignitatis, & ad quos pertineat.
- 43 Pallij origo antiquissima.
- 44 Pallij forma, & significatio, eiusq. accurata, tum materialis, tum moralis descriptio.
- 45 Pallij traditio, quibus verbis fieri debeat, & quando eius vsus permissus sit.



ACRIS vestimentis indui clericos, dum sacris operantur, varijs sanctorum patrum testimonijs conuincitur. Anacletus, qui vixit temporibus Domitiani ep. 1. de oppressione Episcop. In sollempnioribus autem, inquit, diebus Episcopus, aut septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos, atque reliquos ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis, in fronte & a tergo, &c. Stephanus Papa, & martyr, qui vixit anno Domini 250. epist. 1. ad Hilar. Vestimenta vero Ecclesiastica, quibus Domino ministratur, cultusq. diuinus omni cum honorificentia, & honestate a sacerdotibus reliquisq. Ecclesie ministris celebratur, & sacrata esse debent, & honesta, quibus alijs, in vsibus cum Deo, eiusq. seruitio consecrata, & dedicata sint, nemo debet frui, quam Ecclesiasticis, & Deo dignis officijs. Quæ nec ab alijs debent contingi, aut ferri, nisi a sacratis hominibus. Huius Stephani constitutionis meminerunt Damasus Papa lib. Pontif. cap. 24. Beda, Ado, Alcuinus, & Strabo, alijsq. complures. Origenes hom. 11. in cap. 20. Leuit. Inuenimus, & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici. Et postea: Super vestimentis etiam sola Pontificis Aaron, & tunica linea, & cetera huiusmodi vestimenta sancta dicuntur: si ergo intueamur, quo sensu hæc omnia sancta vocata sunt, aduertemus quo modo etiam nos operam dare debeamus, vt sancti esse possimus. Et paulo post: Similiter & vestimenta, quæ sancta nominantur non iubentur infra domum vsui deseruire Pontificis, sed in templo esse, & inde omnino numquam offerri, sed ad hoc tantum consecrata esse, vt eis Deo ministrans Pontifex induatur, & sint semper in templo. Ad ceteros vero vsus communes vtatur communibus indumentis. S. Hieronym. l. 13. comment. in cap. 44. Ezech. Per quæ discimus non quotidianis, & quibuslibet pro vsu vitæ communis pollicitis vestibus nos ingredi debere in sancta sanctorum, sed munda conscientia, & mundis vestibus tenere Domini sacramenta. Et paulo post: Vestibus lineis vtuntur Aegyptij sacerdotes non solum intrinsecus, sed & extrinsecus. Porro religio diuina alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu, vitaq. communi. Hunc Hieronymi locum laudat Amalar. Fortun. l. 2. de Ecclesiast. offic. c. 16. Sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco infra Ecclesiam collocentur. Concil. Rhemen. apud Bruchard. libro 2. capitulo 40. & in Concil. Lateranensi, capitulo 19. capitulo 1. de custodia Eucharistiæ: Præcipimus quoque, vt vestimenta prædicta munda, & nitida conferentur. Nimis enim videtur absurdum in sacris fordes negligere, quæ dedecere etiam in profanis. Præcipue vero Ecclesiastici sacro vestitu induti esse debent, dum Missæ sacrum celebrant. Nihil est enim sanctius, & augustius ipso Missæ sacrificio. Hieronym. libro primo, aduersus Pelag. Quæ sunt, inquit, rogo inimicitia contra Deum, si tunicam habueris mundiore? Si Episcopus, presbyter, diaconus, & reliquus ordo Ecclesiasticus in administratione sacrificiorum candida veste processerint. Idem Hieron. epist. 3. ad Heliodorum in epitaphio Nepot. c. 10. Nepotianus morti vicinus apprehensa auunculi manu: Hanc, inquit, tunicam qua utebar in ministerio Christi, mitte dilectissimo mihi ætate patri fratri Hieronymo. Quibus verbis intelligit casulam, siue planetam, qua ipse presbyter in tremendo sacrificio utebatur.

Carolus Magnus, auctore Egmaro in eius vita, in Basilica, quam Aquisgravi extruxit, vestimentorum sacerdotalium tantam copiam procurauerat, vt in sacrificijs celebrandis, ne ianitoribus quidem, qui vltimi Ecclesiastici ordinis sunt, priuato habitu ministrare necesse fuerit. Quibus arguitur Vualdensium & haeticorum huius saeculi error, qui vsu vestimentorum sacrorum, quasi recentem irrident. Plane etsi Christus in coena sacramentum instituens non alijs, quam proprijs vestibus vsus sit, Ecclesia tamen varijs rationibus sacerdotes, ac ministros, ad offerendum, & sacrificandum ordinatos, non sine ornamentis mysticis ad hoc officium sanctificatis sacris operari constituit. Nam cum in veteri testamento praeeperit Dominus Moyfi, vt faceret Aaron sacerdoti, & filijs suis vestes sanctas in gloriam, & decorem, vt non nisi loti vestibus sacris induti, sacerdotio fungerentur. Exod. 28. & 31. Intelligere debet populus Christianus, ait Iuo Carnoten. epist. 124. quod si in sacrificijs, quae tantum faciebant ad emundationem carnis cum tanta reuerentia, iste ritus vestimentorum erat obseruandus, quanto magis in consecratione corporis, & sanguinis Domini, in quibus consistit emundatio carnis, & spiritus non statim ad mysticas benedictiones, & obsecrationes, quibus illa consecratio perficitur, quilibet est admittendus, nisi primum fuerit in ordine sacerdotali consecratus, & omnium congruentium suppelletilium plenitudine ornatus. Deinde institutum fuit, auctore S. Hieron. in cap. 44. Ezechielis, nec cum pollutis pro vsu vitae communis vestibus sacra conficiantur, vt discant ecclesiastici cum munda conscientia & virtutum vestibus adornata Domini sacramenta tractare. Praeterea ornamenta haec sunt virtutum insignia, quibus tanquam scripturis, ait Iuo Carno. ferm. de rebus ecclesiast. vtentes admonentur quid debeant appetere, quid vitare, & ad quem sua facta dirigere. Prouideat ergo diligenter Episcopus, & attendat sacerdos studiose vt signum sine significato non ferat, & vestem sine virtute non portet, ne forte similis sit sepulchro deforis dealbato. Quisquis autem sacris indumentis ornatur, & honestis moribus non induitur, quanto venerabilior apparet hominibus, tanto indignior redditur apud Deum pontificalem. Itaque gloriam iam honor non commendat vestium, sed splendor animarum. Haec Innocent. III. lib. 1. myster. Missae cap. 64. Denique sacra vestimenta ad gloriam & decorem Dei pertinent, Exod. 28. hoc est, ad maiestatem, & gloriam Dei. Quod & Hebraeae voces significant. Legimus apud Theodoret. l. 2. cap. 27. & lib. 5. histor. tripar. cap. 37. Vestem, quam ad Ecclesiam Ierosolymitanam cohonestandam, Imperator Constantinus Machario Episcopo donauerat, vt ea amictus sacrosancti baptismatis mysterium obiret, fuisse venditam, eamque mercatum Thymelicum quemdam saltatorem, quam cum induisset inter saltandum cecidisse, ac contritum interijisse. Simile miraculum narrat Beda lib. 1. histor. Anglicanae. cap. 29. Carolus Magnus, testante Sigisberto, ad annum Domini 795. Ecclesias Dei ornabat sacris vasis, ac vestibus, edicens, vt ne ianitoribus quidem liceret communi habitu in Ecclesia ministrare. Ad haec sacerdotes gentiliolum, sacris & puris vestibus sacrificabant, Virg. lib. 12. Aeneid.

Puraq. in veste sacerdos.

Vbi Seruius, pura & religiosa vestis dicebatur, auctore Festo, qua rem diuinam facturi festo utebantur die. Ea quidem erat soluta omni vinculo, nullis maculis, nec aliquo squalore obsita, nec funesta. Superest sacras vestes, quibus sacerdos Missae sacrum facturus induitur percurrere. In Concil. Rhemen. cap. 4. apud Bruchard. l. 2. cap. 50. diserte prohibentur presbyteri absque amictu, alba, stola, manipulo, & casula Missam celebrare. Primum itaque sacerdos celebraturus assumit amictum. Amictus, ait Amalar. Fortun. l. 2. de Ecclesiast. offic. c. 40. est primum vestimentum nostrum, quo collum vndique cingimus. In collo est namque vox: ideoque per collum loquendi vsus exprimitur, per amictum intelligimus custodiam vocis, de qua Psalmista dicebat: Dixi, custodiã vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Et alibi: Pone Domine custodiam ori meo. In isto itaque primo vestimento vocis castigatio admonetur. Fulbertus ex Amalario Fortunato ep. 63. Amictus aiunt Rupert. Tuitiensis. l. 1. de diuinis offic. Innocent. l. 1. mysteriorum Missae. cap. 35. Et Durandus in Rationali lib. 3. cap. 12. Quo sacerdos caput suum obnubit, illud significat, quod in Apocalypsi describitur cap. 10. Angelum Dei fortem descendisse de caelo amictum nube. Et Isaia 19. Ecce Dominus ascendet super nubem candidam. Veniens autem ad salutem mundi Dei filius amictus est nube, dum diuinitatem abscondit in carne: hoc ergo carnis latibulum amictus sacerdotis significat: hoc ipsum breuius enarrat Steph. Eduen. Episcopus: Caput eius amictu velatur, in quo diuinitas velata humanitate figuratur. Vnde in Apocalypsi Angelus nube amictus

amictus, de caelo descendisse legitur, vel, vt S. Bonauentura in expositione mysteriorum sacrae Missae loquitur, humerale caput cooperiens signat, quod Christus, qui est caput Ecclesiae diuinitatem in humanitate abscondit. Amplius amictus quia super humeros circumaque diffunditur, operum fortitudinem designat. Hugo de sancto Victore. lib. 2. de sacramen. parte 4. Alex. de Ales par. 4. quaest. 26. Durandus in Rationali: Non desunt, qui existimant amictum, velamen seu oprimentum significare, quo perfidi Iudaei, velabant faciem Christi, dicentes Matth. 26. Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Durand. d. cap. 2. Gabriel. Biel. super Cano. Missae. lectione 11. de Soto ad 4. Sent. dist. 13. quaest. 2. artic. 4. At amictu caput sacerdotis, non facies velatur. Amictum vero idem esse hodie, quod in lege superhumerali vulgo creditum est. Alcuinus de diuinis offic. cap. de singulis vestibus Raba. Maurus de institut. clericorum. cap. 15. Quod tamen apud me valde suspectum est. Nam superhumerali Pontificis ex hiacintho bisso cocco, purpura, & auro contextum erat, illiusque duae partes coniungebantur. Exod. 28. Philo de vita Moyfi Ioseph. lib. 3. antiquitatum. cap. 8. Quod cum amictu nostro nihil habet commune. Superhumerali vero sacerdotum, & leuitarum quod אֵפֹד בָּרָא Ephod bad. appellabatur, quo & Samuel, & David, ac plerosque alios vsos sacra Scriptura testatur: & si lineum non caput tegebat, immo infra caput & ceruicem super humeros imponebatur. S. Hieron. epist. ad Fabiolam de veste sacerdot. & epist. ad Marcellam. S. August. in quaest. Iudicum. cap. 41. & sequentibus: eo autem, ait Rabbi David accingebantur colentes Dominum, aut seruientes ei, qui differebant ab alijs hominibus, post amictum sacerdos alba induitur ex Concil. Carthagenensi. 4. cap. 41. Diaconus oblationis tempore indutus esse debet alba, multo magis sacerdos eodem tempore albam induere debet. Alba vero, seu tunica Graece σορξάριον in Liturgia. S. Chrysoft. Sticharj meminit semel, iterum, ac saepius sanctus Philoteus Patriarcha in libro, qui ordo instituendi Diaconum inscribitur: secundum sacerdotum indumentum est, ait Raba. Maurus lib. 1. de instit. cleric. linea tunica quae Graece ποδήρης, Latine talaris dicitur, eo quod ad talos vsque descendat: hanc Iosephus bisfinam vocat. S. Hieron. epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali secunda ex lino tunica est ποδήρης, id est talaris duplici sindone, quam & ipsam Iosephus bisfinam vocat. Iuo Carnoten. sermo. de significatio. sacerdotal. indumentorum. Vtuntur autem tunica linea, quae poderis dicitur, vel talaris. Poderis vero auctore Isidoro lib. 19. etymologiarum cap. 21. est tunica sacerdotalis linea corpori astricta, & vsque pedes descendens. Vnde poderis nuncupatur. Podas enim Graeci pedes dicunt: haec vulgo camisia vocatur poderis, auctore Alcuino lib. de diuinis offic. cap. quid significant vestimenta, vulgo alba dicitur. Significat autem perseuerantiam in bona actione, & postea tunica vsque ad talum est opus bonum vsque ad consummationem. In talo enim finis est corporis. Qui enim perseuerauerit vsque in finem, &c. haec ad talos vsque descendit, ait Raba. Maurus, quia vsque ad finem vitae huius, bonis operibus insistere debet sacerdos, praecipiente, ac promittente Domino. Esto fidelis vsque ad mortem. Et alba item, ait S. Germanus in theoria rerum ecclesiasticarum, diuinitatis splendorem indicat, & sacerdotis splendidam conuersationem. Rursus tunica alba vestem albam repraesentat, in qua Herodes illudit Christum. Durand. in Ration. l. 5. cap. 3. Gabriel. Biel. super can. Missae lect. 11. Amplius ex Stephano Eduensi Episcopo, Alba designat gloriam Dominicae Resurrectionis, quam nunciantes Angeli, apparuerunt in vestibus albis: ideoque induitur veste alba, vt candidatione virtutum ostendatur ornandum esse nouum sacerdotium. Ad haec ex sententia Ruperti Tuitiensis. l. 1. de diuinis offic. cap. 20. & Innocent. III. lib. 1. myster. Missae cap. 36. Alba, lineum vestimentum, longissime distat a tunicis pelliceis, quae de mortuis animalibus fiunt, quibus Adam vestitus est post peccatum, & nouitatem vitae significat, quam Christus, & habuit, & docuit, & tribuit in baptismo, de qua dicit Apostolus: Exiite veterem hominem. Porro haec tunica in veteri testamento stricta describitur propter spiritum seruitutis: de quo Paulus: Non enim loquistis spiritum seruitutis in timore. S. Hieron. epist. ad Fabiolam de veste sacerdotali loquens de talaris tunica ex lino: Haec adharet & tam arcta est, & strictis manicis, vt nulla omnino in veste sit ruga. Volo ait idem Hieron. pro legentis facilitate abuti sermone vulgato. Solent militantes habere lineas, quas camisas vocant, sic aptas membris, & astrictas corporibus, vt expediti sint vel ad cursum, vel ad proelia dirigere iacula, tenere clypeum, enses vibrare, quocumque necessitas traxerit. Ergo & sacerdotes parati in ministerium Dei vtuntur hac tunica, vt habentes pulchritudinem vestimentorum, nudorum celeritate discurrant. In nouo vero larga est, & copiosa propter spiritum

spiritum adoptionis in libertate. Amalar. Fortunat. l. 2. de ecclesiast. offic. cap. 18. Innocent. III. l. 1. myst. Missæ. cap. 51. Manicæ tamen, tunicæ seu albæ, angustæ & restrictæ esse debent. Durand. in Rationali, & longe ante eum Beda in lib. de tabernaculo: Plane sacerdotes Hebræorum sacrificaturi, bisina veste amiciebantur. Iosephus lib. 6. Belli Iudaici: de bisso plura, Cælius Rhodiginus lib. 23. cap. 8. Turneb. lib. 19. aduersariorum cap. 15.

10 Gentilium vero, maxime Aegyptiorum sacerdotes lineis vestibus utebantur. Herodotus testatur sacerdotes Aegyptios vestibus lineis circa crura fimbriatis indui solitos. Plinius 19. cap. 1. Vestes sacerdotibus Aegypti lineas gratissimas esse, eo genere lini quod Xylon appellatur. Vnde dicta Xylina, quibus nulla sunt in candore, mollitie præferenda. Plene Ruellius lib. 2. cap. 1. Phylostratus in vita Apollonij. l. 8. Commemorat, Apollonio apud Domitianum Principem crimini datum, quod vestitu lineo uteretur. Quod quidem crimen diluens, ait: Linum purum indis, purum etiam Aegyptijs videri, & propterea prius Pythagoræ, deinde etiam sibi visum conueniens uti lineo vestimento, quod etiam tam disputantibus congruit, quam orantibus, siue sacrificantibus. Idem Phylostrat. apologia pro se ipso: Prima, atque ea, inquit, lineo textu inuoluere, quod purissimum est, rebus diuinis velamentum, quippe lana segnissimi corporis excrementum pecori detracta, iam inde Orphei & Pythagoræ scitis prophanus vestitus est. Sed enim mundissima lini seges inter optimas fruges terra exorta, non modo indutui & amictui sanctissimis Aegyptiorum sacerdotibus; sed opertui quoque, inde rebus sacris usurpatur. Deinde sequitur zona, quam Hebræi appellant *צִנְטָה* abnet, Babylonij vero *חֵמְיָאִין*. Hemeianin, vel ut legitur apud Iosephum libro 3. c. 8. Emian. S. Hieron. *חֵמְיָאִין* epistol. ad Fabiolam de veste sacerdotali. Hæc auctore eodem Hieronymo in Psal. 132. Cingit lumbos, stringit & mortificat. Isichius lib. 5. in Leuitic. per zonam, fortitudinem intelligit. Vnde Deus Iob subleuans passionibus ac periculis oppressum dicebat: Accinge, ut vir, lumbos tuos: hoc cingulum, ait Beda in lib. qui inscribitur collectanea, & flores cap. de septem ordinibus custodiam significat, quæ necessaria est sacerdoti ne castitas, quam tunica significat, remissa sit. In eandem sententiam Raba. Maurus lib. 1. de institut. cleric. cap. 13. Tertium vestimentum est cingulum siue balteum, quo utuntur, ne tunica ipsa defluat, & gressum impediatur. Et postea: Ergo lineas induunt sacerdotes, ut castitatem habeant, accinguntur balteis, ne ipsa castitas sit remissa & negligens, & quæ sequuntur. Stephanus Eduens. de sacram. altaris cap. 10. Cingulum, quo alba conftruendis renibus coaptatur, mittit nos ad illum Euangelicum sermonem, quo Dominus ad præcingendum lumbos nostros nos hortatur. Innocent. III. lib. 1. myst. Missæ. cap. 15. Tertio, inquit, cingebat se balteo significans castitatem, quæ circa lumbos debet accingi, ut refringat concupiscentiam. Vnde veritas ait: Sint lumbi vestri præcincti, & cap. 37. Zona sacerdotalis illud significat, quod Ioannes Apostolus ait: Conuersus vidi similem filio hominis, præcinctum ad mammillas zona aurea, &c. Recognitet ergo sacerdos, ait Alex. de Ales, veste candida munditiam significari, cingulo continentiam; & illic non sordefcat, hic non defluat vita spiritalis. Tria sunt, ait Bernard. lib. sententiar. ministris Dei communia vestimenta cælestis sapientia, quæ est Ephod; & caput operit perseuerans iustitia, quæ poderis est, & totum corpus induit carnalis continentia, quæ lumbos cingit zona, auctore S. Germano in theoria rerum ecclesiastic. declarat maiestatem, qua Christus regnans magnifica dignitate diuinitatis præcinctus est, & vndique ornatus zona: Ait Alcuinus de diuinis offic. cap. Quid significant vestimenta: Cingulum dicitur, quo restringitur poderis, ne laxè per pedes defluat: per zonam designatur discretio omnium virtutum. Virtutes enim sine discretione non virtutes, sed vitia sunt. Verum hæc omnia, quæ de zona diximus, euertere videtur Concil. Aurelianense can. Monacho. 27. q. 1. Quo loci vetatur monachus in monasterio habere orarium, vel zonas, cum tamen monachi præcipue castitatem colere debeant. Homo quidam eruditus coniciebat corrupte in eo canone scriptum zonas, legendumque esse Tzangas, quarum usum intra urbem vetant Arcadius, & Honorius in l. 2. & 3. De habitu, quo uti oportet intra urbem Tzangarum semel, atque iterum meminit. Curopalates lib. de officialibus palatii. Constantinopolit. meminit item Moschopol. in lib. *περὶ τῆς ἐν τῇ Τραπεζοῦσιν*, quibus locis apparet Tzangas fuisse genus quoddam calceamentorum vetus interpret Horatij Senatorios calceos zangas interpretatur: hanc vero coniecturam confirmat, quod zonæ usus Monachis necessarius sit, S. Basilius de institut. monachor. Zonæ usum, inquit, ostendunt necessarium esse, etiam qui præcesserunt, nos sancti Ioannis zona pellicea constringere, lumbos

lumbos eius dicitur, & Elias antea, &c. in Regul. quoque August. & Benedicti Monachi zonam deferre, & intra monasterium, & extra iubentur: ego communem lectionem retinendam puto. Cum & in omnibus exemplaribus, & Concil. Aurelianensi, & decret. Gratiani legamus zonas. Deinde non solum eis in monasterio, sed nec extra monasterium licet monacho habere zangas. Quare existimo, eo canone sancitum monacho, cui non licet aurum, vel argentum priuatim possidere, zonas habere in monasterio non licere, hoc est marsupia, seu crumenas. Veteres enim zonas nummis refertas habebant, quod Suetonij, Apulei, Lampridij, Spartiani, Iuuenalis, & complurium aliorum testimonijs probat Sabellicus ad lib. 2. epistol. Horat. epist. 2. cui addo Agell. lib. 15. cap. 12. Matthæi. item 10. Neque pecuniam in zonis vestris, ubi Enthimius. Synodus ergo non prohibet monachum in monasterio habere zonam, qua cingi solet: sed zonas, id est crumenas nummis refertas. At ubi ex monasterio proficiscuntur, non prohibentur monachi zonas, marsupia, & nummos viatici ergo deferre. Post cingulum sacerdos stolam induit Concil. Bracharenf. 3. can. 3. vetatur sacerdos Missam celebrare, nisi oratio vtroque humero circumseptus fuerit, sicut & quando fuit consecratus, ita ut de vno eodemque orario ceruicem pariter, & vtrumque humerum premens signum in suo pectore præparet crucis, eodemque can. poena excommunicationis adijcitur can. Ecclesiastica. dist. 23. Theodoretus lib. 2. ecclesiast. histor. cap. 27. mentionem facit sacræ stolæ ex aureis filis contextæ, quam Constantinus ad Ecclesiam Ierosolymitanam cohonestandam Machario Episcopo dono dederat, ut ea indutus sacrosancti baptismatis ministerium obiret instituto præcorum gentilium, sacerdotes sacrificaturi stolis induebantur. Apuleius lib. 11. de asino aureo, non tamen ea ratione, qua Christiani, ut postea docebimus, veteres stolam dixerunt omne quod corpus tegeret, auctore Nonio, a nomine Græco *στολή*, quod indumentum significat: inde passim stola in veteri, & nouo testam. pro veste *στολή μοναχική* pro religiosa veste monachorum. Nouella Iustinia. 5. cap. 2. & 6. apud Iulianum. Plura de stola Lazarus Baifius lib. de re vestiaria. Verum obseruandum est, quod postquam alba deferri coepit, stola mutata est in torquem, auctore Durando in Ration. lib. 3. cap. 5. hoc est in eam formam, qua hodie sacerdotes vbique utuntur. Stola vero orarium nuncupatur, Concil. Brachar. 1. can. 27. Orarium meminit S. Ambrosius in oratione de obitu fratris Satyri. Dicitur autem orarium *ἀποτόριον*, quod est obseru. Balsamon ad synodum Laodicenam can. 22. vel auctore Alcuino de diuinis officiis. quid significant vestimenta, eo quod oratoribus, id est prædicatoribus concedatur. Alcuinum sequitur Raba. Maurus lib. 1. de instit. cleric. cap. 19. his verbis: Quintum quoque est, quod orarium dicitur: licet hoc quidam stolam vocent. Hoc enim genere vestis, solummodo eis personis uti est concessum, quibus prædicandi officium est delegatum. Bene etiam oratoribus Christi orarium habere conuenit: quia cum indumentum eorum officio proprio conuenit, & ipsi sedulo ad verbi ministerium cohortentur: & plebs ipsis commissa iudicium salutare conspiciens ad meditationem legis concurrere feruentius admonetur. Iuuar & hanc sententiam concil. Tolet. 4. can. 59. can. vnum orarium dist. 25. Vnum ergo orarium oportet leuitam gestare in sinistro humero, propter quod orat, id est prædicat. Amalar. Fortunat. lib. 2. cap. 20. Sciat se Diaconus in stola superposita collo ministerium Euangelij esse non præpositum, Euangelium Christus est. Itaque Diaconus orarium deferat in sinistro humero: sacerdos vero ex Concil. Bracharenf. vtroque humero circumseptus esse debet. Quare stolam sacerdotalem nec diaconus attingere debet. Subdiaconi vero, ac ceteri inferiores ministri orarijs siue stolis uti omnino prohibentur. synod. Laodicensis can. 22. & 23. can. non oportet, & sequenti dist. 23. S. Gregor. Nazianz. oratione prima, quæ inscribitur Apologeticus: Nec sacerdotalem stolam cuius attingere licuisse scribit Aelias Cretensis. Beda tamen in collecta cap. de 7. ordinibus innuit, orarium ab oratione appellatum, his verbis: Bene etiam orationibus conuenit orarium conueniens vestimentum officio: Aperte pectus, & collum simul tegit sacerdotis orarium, tamen alibi pro veste, seu stola, quæ concessa est clericis, usurpari solet, ut in concilio Aurelianensi. can. 22. can. monacho. 27. quæst. 1. & in concilio Maguntiaci sub Carolo Magno can. 28. Item in Trull. can. qui sub sexta Synodi nomine circumfertur, can. Nullus. 21. q. 4. & in concilio Triburiensi apud Bruchard. lib. 6. c. 10. can. ut presbyteri. 17. q. 4. Ceterum stola vsque ad genua, quæ curuantur, pro- 15 tenditur, quo & mansuetudinis & humilitatis sacerdotem admoneat: Dicitur a me, quia mitis sum, & humilis corde. Amalar. Fortunat. l. 2. de eccles. offic. cap. 20. Durand. in Rational. cap. 5. admonet illum, qui ea induitur, ut memor sit sub iugo Christi, quod leue & suauis est,

est, se constitutum. Alcuinus vbi supra. Amalar. Fortunat. d. cap. 20. in ordinatione presbyterorum, vt legitur in lib. Pontificali. Pontifex aptat orarium siue stolam ante pectus ordinandi, in modum crucis, dicens: Accipe iugum Domini. Iugum enim eius suaue est, & onus illius leue. Ea vero stola a collo per anteriora descendens dextrum latus ornat, & sinistrum, vt doceat sacerdotem per arma iustitiæ a dextris, & a sinistris, idest in prosperis, & aduersis debere esse munitum. Quod ad fortitudinem pertinet, sine qua ceteræ virtutes facile expugnantur, & minime coronantur. Vnde dicit Apostolus ad Hebr. 10. Patientia vobis necessaria est, &c. Hæc Iuo Carnotenf. sermone de significationibus indumentorum sacerdotaliū, & Hugo de sacram. par. 4. l. 2. cap. 4. Innocentius 3. lib. 1. myster. Missæ c. 54. Addit Iuo quod stola cum zona poderis quibusdam nexibus colligatur, quia virtutes virtutibus adiuuantur, ne aliquo tentationis impulsu moueantur. Stola item, vt ad Christum refertur, obedientiam repræsentat, quam Dominus omnium propter salutem seruorum subiuit. Nam cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo. Exinanuit enim semetipsum, formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem, &c. Rupertus Tuitie. lib. 1. de diuinis offic. cap. 21. Innocent. 3. l. 1. myster. Missæ cap. 38. vtramque stolæ significationem. Steph. Eduenf. lib. de sacramento altaris capit. 10. complexus est his verbis: Stola circumdata collo ad anteriora descendens, significat obedientiam filij Dei, & iugum seruitutis, quod pro salute hominum portauit, obediuit Patri vsque ad mortem crucis, & subiecit se seruituti: quæ enim maior seruitus ea, qua opprobria, irrisiones, & flagella sustinuit? Addit Bonauentura in exposit. mysterij sacre Missæ, quod stola cancellata in pectore ad modum crucis, passionem Christi designat, quam circumferre per uigili meditatione debemus in corde, & in corpore per mortificationem terrenæ delectationis: designat etiã crux ante pectus sacerdotis cancellata, populum Iudaicum in sinistram partem transire, populus vero gentilis, quia in Christum, se in dextram partem per fidem collocauit, quod expressum est (ait Bonauentura) in Genesi, quando Iacob nepotibus suis Manasse, & Effraim benedicens cancellatis manibus dextram supra iuniorem scilicet Effraim, læuam vero supra senioreman Manassem posuit, & ait, &c. Induit sacerdos deinde mapulam, seu manipulū, vulgus phanem appellat. Alcuinus de diuinis offic. capit. de singulis vestibus. Raba. Maurus lib. 1. de institut. cleric. cap. 18. & in Concil. Rhemen. apud Bruchard. l. 2. cap. 50. Mapulæ, seu manipuli vsus non ab Aaron, sed ab antiquis patribus Christianis initium duxit, Legimus in Martyrologio Bedæ. 14. kal. Aug. S. Arsenium, propter copiam, & affluentiam lacrymarum, quas perpetuo effundebat, mapulam seu sudarium semper in sinu, vel in manu habuisse, quo fletum abstergeret. Amalar. Fortunat. l. 3. cap. 6. Habebant, ait idem Durand. sancti patres dum sacra tractabant, & sacramenta conficiebant, mapulas, & parua mantilia pro manibus tergendis. Mapula, inquit, Beda in libro, qui collectanea, & flores inscribitur cap. de septem ordinibus, manibus tergendis præbebatur: oportebat, inquit, sacerdotem mapulas tenere manibus, vt cum emendatione mentis opus spontaneum concordet. Oportet, sacerdotes, & ministros altaris auctore Raba. Mau. l. 1. de institut. cleric. cap. 18. mapulas manibus tenere, quorum officium est, diuina sacramenta conficere, vt cum deuotione mentis opus spontaneum concordet, digne exerceatur officium, quod pie diuino munere est collatum: mapula, quæ in sinistra parte gestatur, qua pituitam oculorum, & narium detergimus, præsentem vitam designat, in qua superfluos humores patimur. Hæc Alcuinus lib. de diuinis cap. quid significant vestimenta. Item Amalar. Fortunat. l. 2. de Ecclesiast. offic. capit. 24. In manu sinistra portatur, vt ostendatur in temporali vita tedium nos pati superflui amoris, hoc est carnalis delectationis, & iterum, sudarium ad hoc portamus, vt eo detergamus sudores, &c. Gerit sacerdos, ait Alex. de Ales, manipulum, alio nomine sudarium, in sinistro brachio, quatenus mentis sudore deterso, & animi tædio depulso, bonis operibus diligenter inuigilet. Vnde sacerdotibus dicitur illud Prouerb. 6. Discurre, festina, suscita amicum tuum, ne dederis somnum oculis tuis. Paulo aliter Steph. Eduensis de sacram. altaris capit. 10. Mapula, qua solent ficcari stillicidia oculorum, excitat nos ad vigilandum. Vnde Dominus discipulis ait: Vigilate, & orate, ne intratis in tentationem. Aliter Bonauentura, vbi supra: Manipulus in læua, est humilitas Christi, in hac vita: vel manipulus in læua, designat pugnam Christi pro iustitia: non me latet, manipulos, seu mapulas nonnumquam pro ornamentis equorum candidissimis vsurpari, vt in edicto seu donatione Constantini cano. Constantinus dist. 96. & apud S. Gregor. lib. 2. epistola 54. can. illud, distinctione 93. Plene Augustinus Eugub. libro aduersus Vallam de falsa donatione Constantini num. 45. Sextum sacerdotis

sacerdotis indumentum casula appellatur: dicta est autem, auctore Rabano Mauro l. 1. in- 17
stit. cleric. capitulo vigesimoprimum, a casa, eo quod totum hominem tegat, quasi minor casa. Hæc omnibus indumentis superponitur, eaq. charitatem significat, quæ cunctis virtutibus supereminet, & earum decorem suo tutamine protegit, & illustrat, inde Apostolus: Maior autem horum est charitas. Beda in collect. capitulo de septem ordinibus. Alcuinus de diuinis offic. capitulo quid significant vestimenta. Rabanus Maurus dicto capitulo vigesimoprimum. Iuo Carnoten. de rebus Ecclesiast. sermone de significationibus indumentorum sacerdotalium. Innocent. libro 1. mysterior. Missæ capitulo 58. Casula vndique integra vnitatem fidei designat. Rupertus Tuitienf. libro 1. de diuinis offic. capit. 22. Stephan. Eduensis de sacramento altaris cap. 10. Quod autem casula, cum vnica sit, & integra, extensione manuum in anteriorem, & posteriorem partem quodam modo diuidatur, designat, & antiquam Ecclesiã, quæ passionem Christi præcessit, & nouam, quæ passionem Christi subsequitur. Nam & qui præibant, & qui sequebantur clamabant dicentes: Osanna, vel, vt vult Hieronym. epist. 145. *אֲנִי וְכָל הָעָם* Osanna filio Dauid. Innocent. l. 2. mysterior. Missæ c. 42. vel, eodem Innocentio auctore, significat duo brachia charitatis, ad Deū scilicet, & ad proximum: Diliges, inquit, Dominū Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum sicut teipsum. Deinde casula ante & retro quasi diuidi videtur. Quod, vt ait Stephanus Eduensis, duo parietes dissidentes angulari lapidi vniuntur, extensio vero manuum sacerdotis extra casulam, manuum Christi extensionem in cruce notat. Rursus casula, per quam charitas intelligitur, super brachium dextrum erigitur, vt amici in Deo amentur, replicaturq. super sinistrum, vt inimici propter Deum diligantur. Hæc Hugo de sacram. lib. 1. cap. 50. Amplius casula, auctore S. Germano in theoria rerum Ecclesiasticarum, notat coccineam purpuram, quam Iesu illudentes gestandam impij dederunt, casulam a Græcis *πλανήτιον*, appellari docent Raba. Maurus Guillelmus, Durandus, & alij nonnulli eo, vt puto, argumento, quod planeta dicatur *πλανήτης*, ab errore, auctore Suida, inde planetas Nigidius errores appellat, eo quod, ex S. Hieronymi sententia, in cap. 38. Iob, incertum cursum habeant. Quia vero antiquitus casula, auctore Onuphrio, cum latissimo initio, & sine manicis erat, eiusq. limbus super brachia, & scapulas proiectus errabundus totum corpus circumibat, planeta ab errore dicebatur, quæ tamen apud me suspecta sunt. Nondum legi Græcum auctorem, in quo *πλανήτης*, pro casula vsurpetur. Deinde nullus antiquiorum Latinorum planetæ pro casula meminit. Sane ætate nostra, ac superioribus aliquot sæculis casula ab vtraque parte concisa ante & retro sine errore villo producit vsque ad talos adeoq. accisa, atque in aliam speciem deformata, vt si cum antiqua casula, vnde defluxit, componatur, vix suum tueatur nomen. Lindanus lib. 4. Panopliæ 19 Euangel. cap. 56. Ad hæc, casula vulgo cappa appellari solet, ea, vt quidam existimant, ratione quod cetera indumenta totumq. hominem capiat contegatq. At mihi probabilius videtur, quod casulam, vt tugurium significat, Rustici cappam appellare consueuerint. Isidorus lib. 15. cap. 12. vnde conijcio, casulam dum sacrum vestimentum notat, cappam quoque appellatam. Plura de casula Amalar. Fortunat. l. 6. de Ecclesiast. offic. cap. 19. & lib. 3. cap. 15. Durandus in Rational. l. 3. cap. 7. Hactenus de indumentis quæ Episcopis, & sacerdotibus communia sunt. Superest indumenta, quæ Episcopi, præcipua & peculiaris sunt, breuiter percurrere. Primum itaque Episcopus celebraturus induit sandalia. S. Bernardus 21 inter insignia Pontificum numerat mithram, annulum, & sandalia epist. 42. circa finem. Itē Innocent. 3. epist. Decretali ad Patriarch. Constantinopol. Mittimus, inquit, tibi per Cardinalem prædictum pontificalia ornamenta, caligas, & sandalia, amictum, & albam, &c. Sandalia vero caligas interpretatur S. Hieronym. lib. 5. commentar. in Iſaiam cap. 20. præcipitur Iſaiæ, inquit, Hieronym. vt deposita faccea tunica, hic enim erat habitus prophetalis populi delicta plangentis, & calceamentis e pedibus, quæ septuaginta *συνδάλια*, idest caligas vocant, nudus, & discalceatus incederet. Sandalia autem a caligis, quibus nunc vitimur, differunt priusquam enim Episcopi Sandalia in pedes inducant, caligas vsque ad genua protensas ibique constrictas non sine mysterio induunt. Iuo de reb. Eccles. sermone de significationibus indumentorum sacerdot. Innocent. 3. l. 1. myster. Missæ capit. 48. Durandus in Rational. l. 3. cap. 8. Sandalia apud Græcos significant muliebria calceamenta elegantissima. Pollux lib. 7. Inde apud Plautum Sandaligeri serui, qui sandalia gerebant. Plene Turneb. l. 29. aduersariorum cap. 8. quod non semper verum est. Nam & sandalium soleam significat. Catulus ad Manlium. Soleis vero etiam viri domi utebantur hor. l. 2. Satyr. 8. & lib. 1.

lib. 1. epist. 13. Item Actuum 12. S. Petrus iubetur subligare sandalia, quo loci Græce scriptum est: *περίωσαι καὶ ὑπόδησαι τὰ σάνδalia*. Vbi vulgata versio: Præcingere, & calcea te caligas tuas: verum recentiores soleas, non caligas vertunt. Sane dubium non est, quin patres eo loco sandaliorum nomine intelligant genus quoddam calceamenti. Ceterum, an ad significandum genus hoc calceamenti recte Latinus interpres vsus sit caligarum nomine, dubitationem affert, quod caligæ tibiæ sint tegumentum. Ego retinendum puto latinam veterem, & vulgatam editionem iuxta Concilij Tridentini decretum sessione 3. nam & caligas inter calceamentorum genera numerat Isidorus lib. 19. originum cap. 34. caliculæ caligæ, vel a callo pedum dictæ, vel quia ligantur. Caliga Maximini pro compagio apud capitolum in vita Maximini. Erat autem compagium calcei genus, can. Nonnulli, can. peruenit. dist. 93. plura de Compagio Cælius Rhodiginus lib. 18. cap. 21. Couarr. ad Nouellam Iustina. lib. 21. & lib. 26. obferua. cap. 28. Adde S. Hieronym. in d. capit. 20. Isaiæ vbi calceamenta, sandalia, & caligæ pro eodem accipiuntur. Depositis, inquit, calceamenti quæ septuaginta sandalia, id est caligas vocant. Porro sandalia Pontificum, de quibus agimus, habent subter integram soleam, supra vero corium fenestratum seu perforatum, quia gressus prædicatoris, subter debent esse muniti, ne polluantur terrenis, secundum illud: Excutite puluerem de pedibus vestris, & sursum aperti, quatenus ad cognoscenda cælestia reuelentur, neque prædicatio occultetur. Alcuinus de diuinis offic. initio cap. quid significant vestimenta. Beda in collectan. cap. de septem ordinibus. Fulbertus Carnotensis Episcop. epist. 63. Innocent. lib. 1. mysterior. Missæ cap. 48. Durand. in Rational. Sicut ergo sandalia pedis partem tegunt, partem apertam relinquunt: ita & Euangelij Doctores partim Euangelium operire, partimq. aperire debent: ita videlicet, vt fidelis, & deuotus sufficientem habeat doctrinam, & infidelis, & contemptor non inueniat blasphemandi materiam. Hæc omnia planius Iuo Carnotens. sermone de significat. indument. sacerdot. His verbis vtuntur Episcopi, & Cardinales presbyteri sandalijs, quæ calceamenta sunt prædicatorum: habent autem a terra soleam integram, ne pestangat terram: supra vero constant ex corio quibusdam locis pertuso, quia Euangelium non debet terrenis commodis inniti, nec omnia Euangelica sacramenta omnibus reuelari, nec omnibus abscondi, vnde & Dominus discipulis ita dicebat: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. Hanc sandaliorum significationem propheta intelligebat: Quam speciosi pedes Euangelizantium, &c. Ad hæc Pontifex in altaris officio induens sandalia, illud Dominicæ incarnationis calceamentum insinuat, de quo Dominus ait psal. 50. In Idumæam extendam calceamentum meum, id est in gentibus notum faciam incarnationem meam, venit ad nos calceata diuinitas, vt pro nobis Dei filius sacerdotio fungeretur. Hæc Ruper. l. 1. de diuinis offic. cap. 24. & Durand. in Rational. l. 3. cap. 8. In sandalijs, ait Stepha, Eduens. libro de sacramentis altaris cap. 11. signatur, quia venit ad nos calceata diuinitas, sicut scriptum est: In Idumæam extendam, &c. Ceterum antiquitus nedum Episcopi, sed & sacerdotes, nec non diaconi, sandalijs utebantur. Verum sandalia dissimilia erant, quo varietas sandaliorum, varietatem significaret ministeriorum. Plene & luculenter Alcuinus de diuinis offic. cap. quid signific. vestim. Amalar. Fortun. l. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 25. hoc tamen Diaconis vetitum fuerat a Gregorio l. 7. epist. 28. can. peruenit dist. 93. hodie nec Diaconi, nec sacerdotes sandalijs vtuntur, Durand. in d. capit. 8. Pontifex item post induit tunicam, quæ talaris est, & perseverantiam significat. Vnde Ioseph inter fratres suos talarum tunicam habuisse scribitur. Hæc Innocent. 3. l. 1. myster. Missæ, cap. 55. Hieronym. in epitaphio Nepotia. Vsum certæ tunicæ in mysterio indicat his verbis: Apprehensa auunculi manu, hanc, inquit, tunicam qua utebar in mysterio Christi, mitte dilectissimo mihi ætate patri, fratri collegæ, &c. Idem Hieronym. ad Fabiolam: Hæc ipsa hiacynthina tunica subucula nominatur, & proprie Pontificis est, significatq. rationem sublimium non patere omnibus, sed maioribus, atque perfectis. Porro tunica non cingitur ea ratione, quam ex Beda super Lucam Amalar. Fortunat. l. 2. de Ecclesiast. offic. capit. 22. enarrat. In veteri testamento erant duæ tunicæ, bissima, & hiacynthina. De quibus plura Iosephus l. 3. Antiquitatum Iudaic. cap. 8. S. Hieronym. ad Fabiolam, de veste sacerdotali, & Alcuinus de diuinis offic. capitulo de singulis vestibus. Hodie etiam quidam Pontifices duabus vtuntur non sine ratione. Durand. in Rational. libro 3. capitulo 10. vsus est Aaron, hiacynthina tunica, quam sibi induit Dei sapientia, & apostolos vestiuit dicens: Omnia quæcumque audiui a Patre meo, nota feci vobis. Hæc est tunica illa inconfutilis, quæ sine

damno

damno scindi non potuit. Alia tunica serica trahens originem a vermibus, Christi est caro concepta de Spiritu sancto: Ego sum vermis, & non homo. Hæc Stepha. Eduens. lib. de sacram. altar. cap. 11. deinde super tunicam pontifex induit dalmaticam: vsus dalmaticarum a Siluestro institutum fuisse prodiderunt Alcuinus lib. de diuinis offic. capit. quid significant vestimenta, Amalar. Fortun. lib. 2. de Eccl. offic. cap. 21. Hugo lib. 2. de sacram. par. 4. cap. 13. Thomas Vualdensis lib. 3. de sacram. tit. 4. cap. 29. At legimus ante Siluestrum, S. Cyprianum spiculatorem dalmatica se spoliasse, eaq. Diaconibus tradita, in linteis seu lineis stetitisse. Pontius diaconus in passione eius. Adde in Martyrologio ad 10. Kal. Octob. Eutichianus, item Papa 28. longe ante constituit, vt nullus martyrum sine dalmatica, aut colobio sepeliatur. Damasus lib. pontifical. c. 28. Marian. Scotus, & Mart. Polonus in Eutichiano. Quæ vsus dalmaticarum ante Siluestrum aperte detegunt. Sane Silvester Diaconus vti dalmaticis primus in Ecclesia constituit, nec non vt palla linostina læua eorum tegeretur. Damasus Papa in pontificali Concil. Rom. can. 6. Beda in Martyrologio, Rabanus Maurus libro 1. de institut. clericorum capitulo 7. quod & Augustini sæculo receptum erat. Aug. 46. quæst. veteris, & noui Testamenti: Sed hinc, inquit, videtur sacerdos fuisse Samuel, quia vestitus erat Ephod, quasi non hodie dalmaticis induantur, sicut Episcopi vtuntur, Leuitæ dalmatica, ait Iuo Carnoten. sermone de significat. Indumentum sacerdotale, quæ propter sui latitudinem curam proximorum significat, quod significabat in presbyteris casula, quia vtrorumque istorum ministrorum ad implendam dilectionem eadem debet esse custodia. Primo quidem, inquit, Vualafri. Strabo de reb. Ecclesiast. cap. 24. sacerdotes dalmaticis ante casularum vsus induebantur: postea vero cum casulis vti cœpissent, dalmaticas diaconibus concesserunt. Quandoque in Ecclesia nedum diaconis, sed nec ipsi Episcopis absque Papæ permisso, dalmaticis vti licebat. S. Greg. libro septimo, epist. 111. cano. communis filius, diffinitione 23. Verum postea Episcopi omnes dalmaticis passim sub casula vsi sunt. Porro dalmatica præ se fert crucis formam, monetq. auctore Alcuino capitulo 26. lo quid significant vestimenta, eum, qui ea induitur, crucifixum esse debere mundo, iuxta: Apostolum: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Hæc vestis, ait Rabanus Maurus, libro septimo de institut. clericor. capitulo 20. in modum est crucis facta, & passionis Domini indicium est. Habet dalmatica latas manicas, quo moneantur Episcopi, paratos semper esse ad largiendum egenis, ac exequi, quod scriptum est Isaiæ 58. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq. duc in domum tuam. Innocent. 3. libro primo Myster. Missæ capitulo 56. latitudo manicarum largitatem, & hilaritatem datoris demonstrat. Alcuinus capitulo quid significant vestimenta, & Amalar. Fortunat. libro primo de Ecclesiast. offic. capitulo vigesimoprimo, ob id forte, ait Innocent. specialiter diaconi vtuntur dalmaticis, quia præcipue electi erant ab Apostolis, vt mensis ex officio ministrarent. Significat, & latitudo manicarum latam, & laxam Christi misericordiam. Innocent. libro primo, capitulo 40. Durandus in Rational. Rursus dalmatica duas habet lineas coccineas ante, & retro a summo vsque deorsum, quia vetus, & nouum Testamentum rutilant dilectione Dei, et proximi. Amalar. Fortunat. & Innocent. vbi supra, & Durandus in Rationali. Habet item dalmatica fimbrias triginta retro, quadraginta ante, auctore Beda in collectaneis, capitulo de septem ordinibus. Paulo aliter Fortunat. dicto capitulo vigesimoprimo, & Durandus in Rationali. Sane dalmaticæ tempore aduentus intermittuntur. Amalar. Fortunatus, libro quarto, de Ecclesiasticis officijs, capitulo trigesimo: huius instituti causam enarrat Durandus in Rationali, a Septuagesima quoque vsque ad coenam Domini dalmaticæ, & subdiaconalia antiquo more dimittuntur. Micrologus de Ecclesiast. obseruat. capitulo quadagesimoseptimo. In ieiunio tamen quattuor temporum hebdomadæ Pentecostes, propter sollempnitatem Spiritus sancti diaconi dalmaticis induuntur ex Concil. Salegunstæ habito capitulo secundo, apud Bruchardum in fine, & Iuonem parte 4. capitulo trigesimotertio. Ceterum dicta est dalmatica a Dalmatia, Græciæ prouincia, in qua primum texta est. Isidorus libro decimonono Etymologiarum capitulo vigesimosecundo. Alcuinus capitulo quid significant vestimenta. Raba. capitulo vigesimo. Hugo de sancto Victore, de sacrament. lib. 2. par. 4. capit. 13. vsus autem dalmaticæ cœpit propter incommodum colobi, quo antea veteres utebantur, auctore Alcuino. Est autem colobium vestis sine manicis, & quasi tunica a verbo *κολοβω*. Isidorus libro 19. capit. 22. Alcuinus dicto capitulo de singulis vestimentis, & capit. quid significant vestimenta. Cassian. libro primo. Institutionum capitulo 5. Antiqui, vt Seruius monet in lib. Aen. colobijs utebantur præter

M 2 seruos,

feruos, qui neque colobia, neque calceos habebant, eod. Seruio auctore. Aul. Gel. lib. 7. c. 12. docet, Romanos primum sine tunicis sola toga amictos fuisse: Postea subtractas, & breues tunicas citra humerum desinentes habuisse, quas Græci *ἱζαμίδας*, appellant. Gratian. can. Perlatum. 19. quæst. 3. scribit, Paulum Eremitam testamento colobium suum Athanasio reliquisse, tunicam Antonio. At S. Hieron. in vita Pauli longe aliter rem explicat. Sane colobium fuisse genus honestioris vestis, colligere licet ex lege prima, de habitu quo intra urbem Romam, in cod. Theodosiano. Episcopalis colobij mentio extat in epist. Pij Papæ ad Iustum, quæ post Auri versus exarata legitur. Post indutam dalmaticam, Episcopus manus operit chyrotecis. Quid vero chyroteca significant, enarrant Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ 29 cap. 41. & Durand. lib. 3. Rational. cap. 12. Deinde pontifex planeta indutus mitram assumit: mitram inter insignia Episcopi enumerat S. Bernard. epist. 42. ibi: Sibi vindicant insignia pontificalia, vtentes & ipsi more Pontificum mitra, annulo, atque sandalijs. In veteri Testamento commune erat sacerdotibus, lineum pileolum habens figuram dimidiatâ sphaeræ, quod Hebræi *כִּיטָּוֶן* Græci tiaram, nonnulli galerum, alij infulam vocant. Exod. 29. huic erat superpositus alter hyacinthinus pileolus, aliquot sublimior, qui mitra appellabatur. Eccles. c. 45. ibi: Coronam auream super mitram eius expressam signo sanctitatis: hunc aurea corona triplici ordine circumdabat, & soli Pontifices gestabant. Sixtus Senensis lib. 3. Bibliothecæ sanctæ. cap. de pontificis Aaronici ornatu, mitra vulgo significat tegmen capitis mulierum. Isaia cap. 3. l. vestis, l. argento, & l. quamuis. ff. de argen. & auro legat. sicut pilei virorum sunt, auctore Seruio, ita & mitræ feminarum. Quin mitra viris probrosa erat, vt ex Luciano, Virgilio 4. & 9. Aen. & alijs plerisq. colligere licet, a mitramitella apud eundem Virgil. & Apul. lib. 7. mitellæ virginalis meminit. Optatus lib. 6. aduersus Parmenian. Idem Apuleius lib. 9. primarium sacerdotè solis mitram appellat. Persæ enim solè mitram appellabant. Strabo lib. 15. Suidas, & alij complures appellabant item venerem mitram. Herodotus in Thalia, Statius libro primo Thebaid, in fine:

Indignata sequi torquentem cornua mitram.

Pagani olim Deo mitræ sacrificantes, homines immolabant, Socrat. lib. 3. c. 2. Erant & Mitræ milites, quorum meminit Tertul. de corona militis, & lib. de præscript. aduersus hæreticos, vbi plene Rhenan. & Pamel. sed, vt, vnde hoc diuerticulum excessi, reuertar, indi reges pro ornatu regio habebant mitram in capite gestare. Strabo lib. 15. Bacchicum est etiam Sardonem, & τὸ μίτρεδιον, & mitras gestare Philostrat. lib. 2. de vita Apollonij c. 11. Cum satrapa propter magna a Rege Indiæ videlicet suscepta, mitram auream varijs gemmis ornatâ capiti imponere vellent: ego, inquit rex, si huiusmodi delicias amarem, nunc tamen præsentem Apollonio eas repudiarem, atque a capite remouerem. Mitra vero, quæ & tiara, & cidaris, auctore Alcuino cap. de singulis vestibus, appellatur, ac contegebat, & ornabat caput pontificis: admonet, eum omnes sensus capitis Deo consecrare debere, ne vel oculi pateant ad videndam vanitatem, vel ceteri sensus, qui in capite vigent, iniquitati consentiant, & per illos intromissa delectatio incestet animi sanctitatem. Vel mitra, auctore Innocentio lib. 2. myster. Missæ c. 44. illud significat, quod propheta loquens dicit ad Patrem: Gloria, & honore coronasti eum Domine. Et paulo post: Per mitram ergo capitis Christi summam illam honorificentiam intelligimus, quæ propter diuinitatem debetur humanitati. Nam propter pedem adoratur scabellum. Mitra vero duo habet cornua, quæ, vt aiunt Innoc. 3. c. 60. Antoninus 3. part. summæ tit. 20. c. 2. §. 9. de Turre Cremata, & Cardinal. præpos. in can. disciplina dist. 45. scientiam vtriusque testamenti significant: duo enim cornua, duo sunt testamenta. Mitra, ait Steph. Eduenf. lib. de sacramento altaris c. 11. quæ corniculata præterdit coronam spineam, per quam ad vnam fidem conuenerunt duo testamenta, illa grauiter pungens, nostra suauiter demulcens. Moscouitarum Episcopi mitras nigras, & rotundas ferunt. Solus autem Episcopus Nouogardiensis albam bicornem more nostro deferre consuevit. Sigismundus liber Baro in 32 commētarijs rerum Moscouitarum, c. de religione. Quidam hæretici, ait Durand. c. 13. mitrâ, & eius cornua, ac Episcopum illam gestantem irrident, & improbant: mouentur vero quod scriptum sit Apocal. 13. Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, & habebat cornua duo similia agno. Verum locus iste hæreticos aperte damnat. Nam, vt ibidem S. Th. docet, sequitur veterum patrum interpretationes, duo cornua ibi significant duo testamenta, quæ hæretici sibi vsurpant, etsi vere agni sint, & per hæc male exposita fideles in errores, & interitum ducant. Vel duo cornua significant sapientiam, & vitam, quæ vere in Christo fuerunt, vtramque tamen se habere simulant hæretici. Quæ ergo eo loco aduersus hæreticos scripta sunt, in perniciem catholicorum & diuini

& diuini cultus non sunt retorquenda. Amplius in mitra circulus aureus, qui anteriorem, 33 & posteriorem partem complectitur, indicat, auctore Innocentio. d. cap. 60. quod omnis scriba doctus in regno coelorum de Thesauris suis noua profert, & vetera. caueat ergo, ait Innocentius, diligenter Episcopus, ne prius velit esse Magister quam norit esse discipulus, ne si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadant, scriptum est enim: Quia tu scientiam repulisti, ego te repellam, ne sacerdotio fungaris mihi. Ceterum Episcopus oraturus: mitram deponit, quia auctore Alex. de Ales. 4. par. q. 37. de off. Missæ. §. 4. vir reuelato capite debet orare. 1. ad Corinth. 11. quatenus inter ipsum, & Deum nullum sit maliciæ velamen. Vt reuelata facie gloriam Dei contempletur. Idem, ait ille, signat depositio amictus de capite simplicis sacerdotis. Plura in eadem sententiam de Turre Cremata in canon. nullus, de consecratione distinctione prima, his aduersari videtur, quod nedum Episcopi, sed et complures Abbates mitræ vsu habeant, verum Abbatibus, & alijs inferioribus ab Episcopis vsus mitræ non competit ratione dignitatis, sed singulari Sedis Apostolicæ beneficio, capitulo, vt apostolicæ. de priuileg. S. Bernard. epist. ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Verum, inquit, aperte indicant (de Abbatibus agit) horum quid cogitent, dum multo labore, ac pretio Apostolicis adeptis priuilegijs, per ipsa sibi vendicant insignia pontificalia, vtentes & ipsi more Pontificum mitra, annulo, atque sandalijs. Ceterum an Abbas, cui ex priuilegio mitræ vsus competit, mitram vbique deferre possit, ingens fuit controuersia. Videtur enim abbati non licere mitram in capite gestare, præterquam in locis suæ iurisdictionis, & dignitatis. Nam nec rex pateretur diadema regium ab alio in suo regno deferri, Cicero pro Cecinna. Nec Archiepiscopus crucem ante alium in sua prouincia. cap. 1. vt lite pendente Clement. Archiepiscopo de priuileg. non licet etiam Archiepiscopo 35 pallium gestare in aliena prouincia cap. ad honorem, cap. ex tuarum, de auctorit. & vsu pallij. Denique receptum est, inferiores magistratus fasces, & insignia submittere, dum superiores accedunt. Liuius lib. 2. decad. primæ dum de Valerio publicola agit. Cicero in Bruto. Agell. lib. 2. cap. 2. can. denique dist. 21. cap. volentes. de offic. legati. cap. antiqua de priuileg. l. fin. ff. de offic. proconf. eodemq. argumento, dum adest Episcopus, Abbas mitram aliaq. insignia, quæ sibi ex priuilegio competunt, demittere debet. Ioannes Andræas in capit. cum contingat, de ætate & qualitate, & in cap. Abbates. de priuileg. apud Bonifac. distinctionem affert, quam Lopus allegat 19. probat. & sequitur. At verius est, ne dum in supplicationibus publicis, ex communi interpretum sententia. Host. in cap. cum contingat, de ætate & qualitate. Corset. in repertorio, in voce Abbas, sed & generaliter Abbatibus, qui mitræ vsu habent, licere mitram deferre etiam inter Episcopos, quod expressim decisum est in d. cap. vt. Apostolicæ. de priuileg. apud Bonif. qua constitutione id conceditur Abbatibus, nedum exemptis, sed etiam ordinario subiectis, idq. nedum extra monasteria. Sed & in ipso Episcoporum confesso, modo mitris vtantur, non tam ornatis, & luculentis, ac Episcopi, vt scilicet vbi maior est dignitas, maior sit ornatus. Quæ vero e contrario adducta fuerunt, facile refelli possunt. Nam regalis coronæ delatio regnantis est, & Imperium, ac potestatem notat. prælatio item crucis ad præstantiam archiepiscopalis dignitatis pertinet. d. cap. Antiqua d. cap. Archiepiscopo, & cap. 1. vt lite penden. Vtus pallij plenitudinem potestatis designat d. cap. ad honorem, & cap. ex tuarum. Mitra vero neque ad potestatem, vel iurisdictionem, neque ad ordinem spectat, quin ad ornamentum honoris dumtaxat pertinet, eiusq. gestatione alteri iactura nulla inferitur, immo Episcopi alijq. superiores tanto plus honestantur, quando Abbates splendidioribus vestimentis induuntur. Quare in mitra secus receptum est. Quod & Antonius de Butrio. Ioannes Andræas, & Panor. in d. cap. ex tuarum adnotarunt. De his latius alibi: Ad hæc summus Pontifex nedum mitra, sed & corona vti solet. Inno. 36 cent. 3. ferm. 1. in festo S. Siluestri. Romanus itaque Pontifex, inquit, in signum imperij vti regno, hoc est, vt postea dicemus, corona quæ regnum dicitur, & in signum Pontificis vti mitra, sed mitra semper vtiur, & vbique, regno vero, nec vbique, nec semper, quia Pontificalis auctoritas, & prior est, & dignior, & diffusior, quàm imperialis: sacerdotum enim in populo Dei regnum præcessit, & c. Item sermone 3. de consecratione Pontifici. Maximi. Nam ceteri vocati sunt in partem sollicitudinis, solus autem Petrus assumptus est in plenitudinem potestatis, in signum spiritualium contulit mihi mitram, in signum temporalium dedit mihi coronam: mitram pro sacerdotio, coronam pro regno, illius me constituens Vicarium, qui habet in vestimento, & in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium, sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Notum atque

testatum est Constantinum Imperatorem diadema seu coronam, ex auro puro, & margaritis inæstimabilibus S. Siluestro donasse: extat decretum Constantini apud Balsam. in photi. tit. 8. de parochijs. Leonem Nonum, libro aduersus inauditas præsumptiones Michael. capitulo decimotertio, & in Actib. beati Siluestri. Quam coronam ex auro, & margaritis cum S. Siluestro, supra coronam, seu tonsuram noluisse deferre, vt eodem decreto continetur, pro reuerentia, ait Innocent. 3. dicto sermone 1. in festo sancti Siluestri, clericalis coronæ, vel magis humilitatis causa. Idem Constant. splendidissimum Phrygium lorum eius capiti sancto, proprijs manibus imposuit. Non me latet Vallam hoc decretum oppugnasse, & quid sit Phrygium ignorasse. At eius inscitiam, & insolentiam arguit, & erudite refellit August. Eugub. lib. 1. contra Vallam, de falsa donatione Constantini. Non desunt qui huius coronæ pontificalis originem Clodoueo acceptam ferunt. Nam & Sigisbertus ad annos Domini 550. & Aymonius l. 1. capitulo 24. scriptum reliquerunt: Anastasium Imperatorem Clodoueo Regi Francorum, codicillos consulatus, nec non coronam auream cum gemmis, & tunicam blatteam dono misisse, ac deinde Clodoueam sancto Petro eandem coronam auream cum gemmis, quæ regnum dici solet, vltro obtulisse, legimus apud Bibliothecarium, aliosq. qui annales Pontif. Roman. litteris mandarunt: complures Pontifices coronatos, coronaq. Papali insignitos. Deinceps datur Episcopo annulus, propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum: Hæc Isidorus. l. 1. de Ecclef. offi. capitulo 5. Addit Raba. Maur. lib. 1. de institut. cleric. capitulo 4. multa esse quæ ante carnalium minusq. intelligentium sensus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculo condunt, ne indignis quibusque Dei sacramenta aperiantur. Demetrius Bulgariae Archiepiscopus, in responsionibus ad Constantinum Cabasillam, de annulis Episcoporum: Apud Latinos, inquit, annulum ferre, ijs quidem qui secundum spiritum ambulant, spiritualiter accipiuntur. Quemadmodum enim Ecclesiæ mundarumq. & virginearum animarum nominatur sponsus: sic qui vbique sunt sanctarum Ecclesiarum præules, sponsi appellantur, annulo accepto, vt spiritus sigillo, quod & Saluator in digito, idest sancto Spiritu se dæmonia eijcere incredulis dicebat Iudæis, qui eum conuicio, quasi Beelzebub haberet, consectabantur: & Prodigum filium reuersum aureo annulo exornauit, &c. annulus in digito, ait Stepha. Eduen. libro de sacramento altaris. capitulo secundo, Ecclesiam, cuius minister est, sponsam Christo associat, & fulgore suo dona sancti Spiritus fulgentia demonstrat. Item Innocent. 3. l. 1. myster. Missæ capitulo 61. Annulus est fidei sacramentum, in quo Christus sponsam suam Ecclesiam subarravit, vt ipsa de se dicere valeat: Annulo suo subarravit me Dominus meus, idest Christus, cuius custodes, & pædagogi sunt Episcopi, & prælati: annulum pro signo ferentes in testimonium. Idem Innocent. 3. eodem libro capitulo 46. Annulus digiti, donum Spiritus sancti significat: Digitus enim articulatus atque distinctus Spiritum sanctum insinuat secundum illud, digitus Dei est hic. & alibi: Si ego in digito Dei eijcio dæmonia. Et postea: Ipse vero de plenitudine sua secundum differentes donationes distribuit, alij, secundum Apostolum, dans sermonem scientiæ, alij gratiam sanitatum, alij operationem virtutum, &c. quod & visibilis pontifex imitatur alios in Ecclesia constituens sacerdotes, alios diaconos, alios subdiaconos, & dixi initio ex Isidoro, dari annulum Episcopo propter signaculum secretorum. Indignis enim, ait Raban. mysteria seu sacramenta obsignata, & occlusa esse debent. Sane antiqui litteras, & arcas, & cellas vinarias, aliaq. similia annulo obsignabant. Inde signatorius annulus. l. signatorius. ff. de verborum significatione. Budæus libro tertio de asse, ex Plinio, docet Romæ olim annulos non ornamentis causa, sed signandi institutos: Plura de annulo signatorio, libro primo Regum capitulo vigesimoprimum. Esther capitulo tertio, & octauo. Daniel. capitulo 6. & 14. l. ad testium. ff. de testibus. §. possunt de testament. in institut. Liuius. l. 7. dec. 3. Sueton. in Augusto. Dionys. in Galba. Apul. libro decimo, de asino aureo, & alij innumeri. Quo autem digito Episcopus annulum gestare debeat, nonnulli quandoque hæsitauerunt. Videbatur enim digitus sinistrae manus infimo proximum annulo Episcopali ornandus. Immol. in capitulo clerici, de vita, & honestate clericorum. Eundem enim digitum in sponsalibus annulo exornamus. Isidorus l. 1. de Ecclesiast. offic. capitulo 19. can. femina. 30. q. 5. ea, vt vulgo creditur, ratione, quod ab eo vno digito neruus quidam tenuissimus ad cor hominis pergat atque perueniat. Agellius libro 10. capitulo decimo. Macrobius. l. 7. Saturnal. cap. 13. Porphyrio ad Horatium, sermone secundo. Satyra 8. vel, vt ait Alex. ab Alex. l. 4. capitulo vlt. quia inde tenuissima vena, aut vt Lemnius libro secundo de occultis

naturæ

naturæ miraculis capit. 1. 1. loquitur, tenuis quidam arteriæ ductus ad cordis ima penetrat. Quam rationem commentitiam contendit Anastasius Germonius. l. 2. animaduersionum capitulo 8. Cuius rationibus facile occurri potest, cum præsertim motum istum in parturientibus, & lassitudine defatigatis omnibusq. cordis affectibus manifeste percipiamus. At receptum Episcopos annulum gestare in indice manus dextræ, idq. puto institutum, tum Hebræorum exemplo, Ierem. 22. etiam si Ieconias annulus fuerit in manu mea dextra, inde euellam illum, tum etiam quod digitus index salutaris dicatur. Suetonius in Augusto cap. 80. Trebellius Pollio in vita M. Septimij: Salutaris vero appellatur, quia silentium indicat. Apuleius lib. 1. Metamorph. Martia. Capell. de nuptijs philologiæ, Alex. ab Alex. d. cap. vlt. quod apposite conuenit cum his, quæ initio dixi, annulum dari Episcopo propter signaculum secretorum, & ne indignis quibusque Dei mysteria pandat. Quando vero datur annulus Episcopo dici solet, vt in libello ordinis Romani: Accipe annulum discretionis, et honoris, fidei signum, vt quæ signanda sunt, signes, & quæ aperienda sunt prodas, quæ liganda sunt liges, quæ soluenda sunt soluas. Ceterum annulus Episcopalis ex auro puro, puto, solide conflatus constat cum gemma pretiosiori, in qua nihil sculpti esse debet. Hæc Synodus Mediolanensis, de supellectili Ecclesiæ, &c. Datur item Episcopo Baculus pastoralis, qui & virga pastoralis appellatur. Iuo Carnoten. epist. 8. Legimus in Synodo 8. Constantinopol. sub Hadriano 3. actio. 7. quod ingresso Photio ad Synodum cum baculo, Marinus Romani Pontificis vicarius iussit auferri baculum dicens: Baculus signum est dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet, quia lupus est non pastor. Quo argumento, credo ego, non licere abbatibus, quibus Episcoporum insignia indulta sunt, baculo vti præterquam in eorum Ecclesijs. Baculus enim nedum insigne honoris est, sed dignitatis, & potestatis pastoralis. Baculus iste pastoralis pedum vocari solet. Pedum autem auctore Festo, est baculus recuruus, quo pastores vtuntur ad comprehendendas oues, aut capras: cuius meminit Virgil. &c. Item Paulus: Pedum est pastoralis baculus incuruus dictus, quia illo oues pedibus comprehenduntur. Baculum vero habet Episcopus, auctore Beda in collectaneis, capitulo de septem ordinibus, vt subditos regat, infirmos sustineat. Baculus item, ait Innocent. 3. l. 1. myster. Missæ capitulo 62. correctionem significat pastorem, propter quod a consecratore dicitur: Accipe baculum pastoralitatis, vel, vt Durandus in Rationali loquitur, pastoralis officij, vt sis in corrigendis vitijs pie sæuens. Verum in libello qui ordo Romanus inscribitur, aliter exarata sunt, quæ in traditione baculi dici consueuerunt: Accipe baculum pastoralis officij, potestatem ligandi, atque soluendi, & sis in corrigendis vitijs perseverans, iudicium sine ira tenens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate seueritatis censuram non deferens, vel, vt in eodem libro: Accipe baculum sacri regiminis signum, vt imbecilles consolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos dirigas in viam salutis æternæ, habeasq. potestatem erigendi dignos, & corrigendi indignos cooperante Domino nostro. Porro baculus, eodem Innocent. auctore, ideo est acutus in fine, rectus in medio, retortus siue recuruus in summo, quia Pontifex debet pungere pigros, regere debiles, colligere vagos. Innocentium sequitur Antoninus 3. par. summæ tit. 20. cap. 2. §. 19. vel, vt Glos. ordinaria in cap. 1. Pauli ad Titum enarrat: Baculus Episcopi, ab inferiori pungit, & in summo ad exteriora extenditur, in se rediens: quia Episcopus gladio verbi pungere debet, idest arguere peccantes, quod est ex inferiori natura, & correctos in anteriora dirigere, ita tamen vt ad propriam conscientiam sui redeat consideratione, si forte in se habeat quæ alijs annunciat. Extat Tolosæ in Ecclesia S. Stephani lapis marmoreus antiquissimus, in quo sculptæ sunt S. Petri & Saturnini imagines, Saturnini autem cum baculo incuruo ibiq. versus iste legitur: *Curua trahit quos recta regit, pars vltima pungit.* Apud Ruthenos baculus pastoralis est cruciatus. Sigismundus Liber in commentarijs de rebus Moscovitarum. Ceterum Rom. Pontifex pastorali baculo, seu virga minime vtitur, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem cap. vnico in fine de sacra vnctione, vbi Glossa historiam quamdam commemorat, quam nondum comperi apud aliquem antiquum auctorem. Innocent. 3. d. cap. de baculo, recitat S. Petrum baculum suum misisse, Eucharion primo Treuirorum Episcopo, quem vna cum Valerio, & Materno ad prædicandum Euangelium genti Teutonice destinauerat. Eucherio vero successisse Maternum, qui per baculum sancti Petri, e morte suscitatus fuerat. Hunc baculum, ait Innocent. vsque hodie, cum magna veneratione Treuirensis seruat Ecclesia. Plane Episcopus, cum accedit ad altare, mitram, & baculum deponit. Dum vero se conuertit ad populum, recipit

communa-

comminationis insignia. Glossa in cano. disciplina, argum. illius text. dist. 45. plene de Turre Cremata in can. nullus Episcopus. de consecrat. dist. 1. Nec quemquam moneat quod in d. cano. nullus Episcopus de consecrat. dist. 1. baculus communis videtur Episcopo, & presbytero. Ibi enim non agitur de baculo pastoralis, sed communi, quod & glossa animaduertit. Vltimo Archiepiscopi, & Patriarchæ induuntur pallio. Ioannes Andreas, quem 41 Petrus Rauennas, & ceteri fere canonistæ de auctoritate, & vsu pallij sequuntur, credit legendum esse palleum non pallium. Palleumq. per e nomen esse dignitatis, pallium vero per, i, honestatis, & laicis commune. Arch. capitulo suscepimus de homicid. dictum autem palleum a palleo, quia palleum deferentes debent præ ceteris ieiunijs, & vigilijs operam dare, ex quibus pallor consequitur: at hæc commentitia sunt. Pallium, inquit, Isidorus libro 19. originum. capitulo 24. est, quo administrantium, scapulæ conteguntur vt dum ministrant expeditius discurrant. Plautus: Siquid facturus es appende in humeris pallium, & pergat quantum valet tuorum pedum pernicitas. Dictum autem pallium apellibus quia prius super indumenta pellicea veteres induebantur quasi pellea, siue a palla per deriuationem, hæc Isidor. Equidem etsi pallium inter communia vestimenta, quæ promiscua Tacitus appellat, numeretur l. vestis. ff. de auro & argen. legat. Plene Baiusius de re vestiaria, eoq. antiquiores Christiani passim vterentur. Tertul. de pallio. vbi Pamel. illiusq. vsu clerici iuxta sacra concilia retinuerunt, capitulo clerici. de vita, & honestate clericorum. capitulo 2. eod. tit. in Clement. non improprie tamen indumentum, quod honoris gratia pontifices Romani indulgere solent Archiepiscopis, & Patriarchis, inter sacrificandum communi pallio breuius, pallium dicitur. Pallia enim Tunica imponebantur. Inde vetus illud prouerbium: Tunica pallio proximior, Græce pallium περιβόλαιον, apposite appellatur περιβόλαια, vero auctore Polluce l. 7. capitulo decimotertio, sunt exteriores vestes, quæ superinduuntur. quare cum super omnia indumenta pallium Archiepiscoporum 42 inquatur, non male pallium appellatur. Porro pallij origo antiquissima est, auctor vetus rituum Ecclesiasticorum seu ceremoniarum. S. R. E. libro primo, titulo decimo, capitulo quinto, ex Maximo Episcopo homil. de veste sacerdotali, & Eusebio Cæsariensi sermone de Epiphania docet in lege gratiæ antiquum esse illud nostrum ephod, idest pallium, quod a Lino post Petrum 2. Romano Pontifice, institutum & in singulare potestatis priuilegium nostris præfulibus datum fuit. Rupertus Tuitiens. l. 1. de diuinis offic. capitulo 27. Scriptum reliquit, Maternum a diuo Petro missum Treuerensi Ecclesiæ, hereditatem pallij suis successoribus 43 reliquisse. Pallij vero ius non nisi Patriarchis, & Archiepiscopis, iure communi competit. Alcuinus capitulo quid significant vestimenta, Raban. libro primo de institut. cleric. capitulo vigesimotertio, capitulo, antiquæ de priuileg. ex consuetudine tamen, vel singulari Papæ beneficio, pallium Episcopis quibusdam indultum legitur, puta Hostiensis, Papiensis, & Massano. Hostiens. in summa de auctoritate, & vsu pallij. §. cui concedendum Bonifacio Episcopo a Gregor. 2. epistola decreti ad Bonifac. Episcop. Quinclesiensis capitulo cum in iuuentute. de præsumpt. Lucensi in Thuffia Papiensi, in Lombardia, Bambergensi. in Germania auctor rituum, seu Ceremoniarum titulo decimo, capitulo quinto. Nemini vero, nisi obnixæ, & fortiter petenti conceditur. Gregor. Papa Brunichildæ reginæ l. 7. epist. 5. can. prisca. distinctione 100. ibi, & fortiter postulanti dari non debeat. Verus auctor rituum Ecclesiasticorum. capitulo quinto, petitionis pallij formam exarauit, his verbis: Ego N. electus Ecclesiæ. N. instanter instantius, & instantissime peto mihi tradi & assignari pallium de corpore S. Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officij. De corpore vero S. Petri sumptum dici solet, quoniam pallia consecrata deferuntur ad Basilicam principis Apostolorum, & per Canonicos Basilicæ ponuntur super corpora Petri, & Pauli Apostolorum, sub altari maiore, vbi factis vigilijs illa per noctem dimittunt. Deinde restitunt subdiaconis, qui in loco honesto ea conseruant. Hæc auctor libro sacrar. ceremoniar. Romanæ Ecclesiæ. capit. de pallio. eadem ratione S. Gregor. scribit se sanctissimam clauem a sancti Petri corpore transmittere libro primo, epist. 30. & 39. & libro 6. epistola 23. & libro septimo, epist. 126. Postulare vero debent pallium Archiepiscopi, & Patriarchæ intra tres menses consecrationis suæ. can. quoniam distinctione 100. Ad hæc pallium ad Pontificalis officij honorem institutum affirmat Gregor. l. 4. epist. 54. eoq. ait ille ibidem, nec non libro vndecimo epistola 42. admonentur Pontifices qui illud gestant, morum atque actuum probitate ad Christi gloriam susceptum adornare officium, quo ad huiusmodi corporis habitum mentis quoque bona concordent, vel eodem Gregorio auctore libro septimo, epistola 112. cano.

rationi

rationi dist. 100. quo cultui ornamenta conueniant, & cum honoris augmento, cura solitudinis accrescat. Aliam rationem pallij instituendi Thomas Vualdensis ex Ruperto Tuitiensis, lib. 1. de offic. commemorat his verbis: Quam hoc illorum priuilegium habeat rationem, videtur præmittendum, postquam 12. Apostoli Christi per vniuersum mundum dispersi singulis ciuitatibus prædicarent, tam ipsi, quam successores miserunt per contiguas suis sedibus prouincias prædicatores, quos & Episcopos ordinauerunt: vt vbi recepti fuissent, omnia Christianitatis sacramenta, velut ipsi Apostoli peragerent, & per orbem comprouinciales Episcopos ordinarent. Sequitur: Initium ergo fidei habentes ab Apostolica sede hanc regulam Metropolitanæ obseruat Ecclesiæ, vt neminē habeat pontificem, nisi ab eadem Sede missum, a qua primus illis prædicator fidei missus est. Illa autem missio supradicti pallij largitio est, quod, vt dictum est, a collo depēdens auctoritatem Domini significat, dicentis: Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Amplius pallium, de quo agimus, contextum est de cādida lana, habens circulum humeros constringentē, & duas lineas ab vtraque parte ante & retro pēdentes; a sinistris est duplex, a dextris simplex: habet insuper quattuor cruces purpureas, scilicet ante, & retro, a dextris, & a sinistris. Rursus in pallio infiguntur tres acus. Quæ omnia, ait Innocent. 3. lib. 1. myster. Missæ. c. 63. moralibus sunt induta mysterijs, & diuinis grauida sacramentis, in lana siquidem asperitas, in candore benignitas designatur, vt erga rebelles feruoritate exerceat, erga humiles vero & poenitentes pietatem: propter quod de lana non cuiuslibet animalis, sed agni tantum efficitur, quia mansuetum est animal: quod plenius enarrat. Auctor sacrarum ceremoniarum c. de pallio. Circulus pallij, per quem humeri constringuntur, est timor Domini, per quem opera constringuntur ne ad illicita defluant. Quattuor vero sunt cruces purpureæ auctore Rab. Maur. l. 1. de inst. clericor. c. 23. quo pallio indutus Pontifex, a tergo, & pectore crucem habeat, suaq. mente pie, & digne de passione Redemptoris cogitet, ac pro populo, pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suæ signaculum demonstrat. Condecet quoque bene, vt ipsa Apostolica dignitas Apostolicum virum faciat, vt plena deuotione, sano sermone, & digna operatione possit dicere cum Apostolo: Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Vel, vt Innocent. 3. Alex. de Ales, Durādus, & de Turre Cremata obseruarunt, Quattuor cruces purpureæ sunt quattuor virtutes politicæ: prima est iustitia, quam debet habere in anteriori parte, vt reddat vnicuique quod suum est. In posteriori prudentia, vt caueat quod vnicuique nocuum est. Fortitudo a sinistris, vt eum aduersa non deprimat. Temperantia a dextris, vt eum prospera non extollant. Vel quattuor cruces in pallio sunt loco quattuor litterarum Iod, he, vau, he, quæ erant in lamina aurea, quam summus pontifex circa tempora ferebat. Quod & innuere videtur Alcuinus d. cap. quid significant vestimenta: duæ lineæ, quarum vna post dorsum, altera progreditur ante pectus, actiuam, & contemplatiuam vitam significant. Pallium debet esse duplex in sinistra, ad tolerandas vitæ præsentis molestias, simplex in dextra, quatenus ad obtinendam vitæ futuræ quietem toto aspiret affectu; hoc Propheta exclamabat: Vnam petij a Domino, hæc requirā, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. Reperiuntur vltimo tres acus, quæ in pallio infiguntur, super humerum, & post tergum. In prima acu est compassio proximi, in secunda administratio officij, in tertia est distinctio iudicij. Prima pungit animam per dolorē, de qua Paulus dicebat: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Secunda pungit animam per laborē, hoc inquebat Paulus: Præter ea quæ extrinsecus sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Tertia pungit per terrorē, si enim vix iustus saluabitur, impij vbi apparebunt? Super dexterā non configitur acus, quia in æterna quiete nullus est afflictionis aculeus. Acus est aurea, sed inferius acuta lapidē continens pretiosum: quia nimirum bonus pastor propter curam ouium in terris affligitur, sed in cælis æterna vita coronabitur suscepturus bonam illā margaritā, de qua meminit Euāgelista: Simile est Regnum Cælorum homini negotiatori querenti bonas margaritas. Hæc omnia pluribus enarrat Innocent. 3. lib. 1. myster. Missæ. c. 63. Hugo de S. Victore lib. de sacram. Alex. de Ales, de Turre Cremata, & Cardinalis Alex. in can. quoniam distinct. 100. Durand. in Ration. l. 3. cap. 17. præclare S. Gregor. l. 7. epist. 129. pallij mysterium enarrat, his verbis: Huius enim indumenti honor humilitas atque iustitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, & in aduersis, si quando eueniunt, cum iustitia erectam, amicam bonis, peruersis contrariam, nullius vniquam faciem pro veritate loquentem premens, &c. Et paulo post: Hæc est, frater charissime, pallij accepti ratio, quam si sollicitè obseruaueris, quod foris accepisse ostenderis

ostenderis intus habes plane pallium in Archiepiscopis, & Patriarchis plenitudinem designat officij pontificalis, & Archiepiscopalis nomine. capitulo nisi de auctore, & vsu pallij, capitulo quanto, de translatione Episcopi, capitulo, Illa quotidiana, de electione, capitulo, 45 proposit. §. fin. de concessio. praben. c. nihil. §. ceterum. de elect. Quod verba, quae proferri solent in traditione pallij satis indicant. Ea vero auctore Ostiensis in summa, de auctoritate, & vsu pallij, sunt eiusmodi, ad honorem Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ Virginis, & beatorum Apostolorum Petri, & Domini Papæ N. & Ecclesiae Romanæ, & Ecclesiae. N. tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore beati Petri sumptum, in plenitudinem pontificalis dignitatis, vt vtaris infra Ecclesiam tuam diebus, quibus exprimitur quare ante pallij receptionem, nec Archiepiscopus appellandus est, dicto capitulo, Nisi, nec concilium conuocare, chrismata conficere, basilicas dedicare, clericos ordinare, & Episcopos consecrare potest. capitulo quod sicut. §. præterea de electio. Electus enim in Archiepiscopum, & confirmatus, etsi ea quae sunt iurisdictionis exequi possit, & per consequens beneficia conferre, capitulo nostri, de elect. & electos confirmare. capitulo 1. de translat. Episcop. non tamen ea quae sunt ordinis, quoad ea enim Ecclesia viduata censetur cano. quoniam, distinctione prima, plene glos. & Doctores in capitulo primo, de translat. Episcop. Rursus Archiepiscopi vetantur vt pallio nisi intra Ecclesiam, & ad sacra Missarum sollempnia. S. Gregor. l. 2. ep. 54. Illud tamen, inquit, frater charissime tibi non putamus ignotum, quod pene de nullo metropolitano in quibuslibet mundi partibus sit auditum, extra Missarum tempus vsu sibi pallij vendicasse, & quod bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiae noueritis. Idem Gregor. libro quarto, epistola decima quarta. Vltimum vero, & quod tamen pondere elationis primum est, scilicet de vsu pallij extra Ecclesiam, quod prædecessorum meorum temporibus facere numquam quisquam præsumpsit, numquam a prædecessoribus eius præsumptum est, sicut responsales nostri testantur, & eodem libro epistola 54. Pallij vsu præuidimus concedendum, quo non aliter te vti memineris, nisi in propria tua ciuitatis, dimissis iam filiis, Ecclesia procedens a saluatorio ad sacra Missarum sollempnia celebranda. Peractis ergo Missis id in saluatorio rursus curabis deponere. Cuius epistolæ meminit Ioannes Diaconus in vita S. Gregor. libro quarto, capitulo quinto. Idem Gregor. libro septimo, epistola 112. Proinde, secundum postulationis tuae desiderium, pallij te vsu, quod intra Ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum Missarum sollempnia celebranda, Deo auctore præuidimus honorandum. Et epist. 129. Itaque pallium ad sacra Missarum sollempnia vtendum, ex more transmisiimus, cuius vos volumus per omnia genium vendicare. Gregor. epistola 2. ad Bonifac. de pallio loquens, ait: Qualiter enim eo vtaris ex mandato Apostolico informatus cognosces, ita vt dum Missarum sollempnia geris, vel Episcopum te contigerit consecrare, illo tantummodo tempore eo vtaris. Quandoque tamen extra Ecclesiam pallio vti in litanijs sollempnibus a Gregorio indultum legimus. libro 4. epistola 54. & libro 7. epist. 76. Ioannes diacon. in vita S. Gregor. libro quarto, capitulo 2. 3. & 5. Amplius Leonem 4. Hygmaro Rhemorum Archiepiscopo vsu pallij quotidiani indulisse auctor est Flodoartus libro 3. Rhemenf. histor. capitulo decimo.

DE PROCESSIONIBVS SEV supplicationibus

CAPVT DECIMVM.

1. 4 Processionum origo vnde.
- 2 Processionum vsu in Ecclesia antiquissimum esse, patrum testimonijs ostenditur.
- 3 Processionum formæ variæ.
- 4 Processiones ordinariæ, quæ dicantur, & quibus potissimum diebus habeantur.
- 5 Processiones extraordinariæ quas ab causis indici soleant.
- 6 Theodosii vtriusque religio in supplicationibus.
- 7 Processionum vsus miraculis comprobatur, & illustrium virorum pio studio.
- 8 Processiones aliæ tristes, læta aliæ.
- 9 Processiones cruce, cereis, & alijs rebus ornantur.

10 Procef-

- 10 Processionibus pedites, & nonnumquam discalceati intersunt.
- 11 Processio insignis ex S. Antonino refertur.

PROCESSIONIBVS atque sacerdotibus, diebus præsertim Dominicis, priusquam ad altare accedant, processionem celebrant, vt statim probabimus, quare congruum est de processionibus seu supplicationibus hoc loco agere. Processio dicitur quasi progressio a procedendo in publicum, nouel. de Consul. 15. in vulgatis, & 90. apud Iulianum l. ordinem, & l. sancimus de Consulib. lib. 12. Processionum originem nonnulli repetunt a veteri testamēto, Num. 10. Ios. 6. 2. Reg. 6. 1. para. 13. 2. par. 20. Ios. capit. 2. Supplicationum vsus recipiunt alij a nouo testamento Matth. 21. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant dicentes. vel ex Matth. cap. 28. & Marco 16. Ite & dicite discipulis eius, & Petro: quia præcedat vos in Galilæam, ibi eum videbitis, Vt vt sit, constat processionū vsu in Ecclesia Christiana antiquissimum. Tertul. l. 2. ad vxorem, vt si statio est, maritus de die condicat ad balnea, si ieiunia obseruanda sunt, maritus eadem die conuiuium exerceat, si procedendum erit nusquam magis familiæ occupatio adueniat. Vbi Rhenanus, & Pamel. Item libro de præscriptio. aduersus hæreticos cap. 43. Sit modesta processio. Synodus Laodicensis can. 17. In processionibus non oportere psalmos contexere, vox Græca, ἐν τῆς συνάξεως, conuentum significat: At vetus interpres vertit processionem. S. Ambros. sermone 8. conqueritur, quod rari quique ad Ecclesiam venirent, & pauci admodum procederent. S. August. lib. 22. de ciuitate Dei. capit. 8. Inde ad me currit, vbi sedebam iam processurus. Et paulo post: Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia. Ibidem etiam meminit quo modo Episcopus Lucillus memoriam S. Stephani, populo præcedente, atque sequente portauerit in manu. Plane processionum siue supplicationum quædam sunt ordinariæ, & statiuæ: earumq. rursus, quædam annales, siue annuæ, idest in annos singulos, quædam in singulos dies cuiusque hebdomadæ: cuiusmodi sunt quæ diebus dominicis ex instituto Ecclesiae celebrantur. Aliæ sunt extraordinariæ, & imperatiuæ, seu indictiuæ. Ordinariæ sunt, quæ in die Ascensionis, quarum meminerunt Chrysof. hom. 28. & sermone de Ascensione Domini, S. August. ser. 172. & 173. in die Purificationis, Rabanus Maurus, Bernard. & alij complures. Litaniam maiores, & minores, de quibus S. Gregor. l. 1. epist. 2. Concil. Aurelianens. can. 29. Gregor. Turon. l. 2. histor. cap. 34. Anitus Sigebertus. Addo Viennens. Sidonius, Strabo, & alij innumeri in Concil. Toletan. 5. can. 1. & Tolet. 6. can. 2. Imperantur Litaniam in Hispania pro salute Regum, die Iduum decembris in singulos annos. Item in Dominica in ramis palmarum. Alcuinus de diuinis offic. Hugo de sancto Victore l. 4. eruditionum theologiarum cap. 14. nec non ea quæ sollempni die corporis Domini agitur, de qua & alijs pluribus dicemus, infra libro de festis diebus. Præcipua earum quæ ordinariæ, & annales sunt, est ea quæ fit in die sancto Resurrectionis, de qua Ruper. Tuitiens. lib. 7. de diuinis offic. cap. 21. agit his verbis: Vt autem processio ageretur ex mystica Euangelij auctoritate tractum est, scilicet ex eo quod Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes: Ite dicite discipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, & ipse Dominus occurrens illis exeuntibus a monumento cum tenuissent pedes eius, & adorassent eum. Ite, inquit, nunciate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt. & postea: Recte igitur, & merito in primi huius mandati commemoratione. Quod statim vt visus est Dominus noster post resurrectionem, nunciate, inquit, fratribus meis, vt eant in Galilæam ibi me videbunt. nos processionem egimus sollempnem, nosq. & nostra loca aspergimus aqua benedicta, in honorem eius dici, quo iussi sumus baptizari: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ex ea processione fluxisse eam, quæ singulis diebus Dominicis fieri solet, docent Rupertus lib. 7. cap. 20. & Durand. in Rational. lib. 4. cap. 6. Cuius institutionis auctor vulgo creditur, Agapetus Papa, auctore Martino Polono, eiusq. meminisse videtur S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: Die tantum Dominico ad Ecclesiam procedebant, ex cuius habitabant latere, & vnumquodque agmen matrem propriam sequebatur, atque inde pariter reuertentes. Quod vero pertinet ad processionem, seu supplicationem extra ordinarias, eas varijs ex causis indictas, & imperatas legimus. Processionis, alternatis psalmodum cantibus, in translatione reliquiarum sancti Meletij meminit Sozomenus libro 7. histor. Ecclesiast. capitulo decimo. Christiani Antiocheni, cum Iulianus ille apostata loculum sancti Babilæ transferri iussisset procedentes, vna cum mulieribus, & pueris exultantes gaudio, psalmosq. Dauidicos canentes, ex Daphne in Vr-

in Urbem Antiochiam reliquias S. Babylæ transfulerunt, S. Chrysofom. homilia contra gentiles: Ruffinus l. 2. cap. 35. Socrat. l. 3. cap. 16. Theodor. libro 3. capit. 9. Rurfus iussu Arcadij, Samuelis ossa in Iudæam e Thracia translata fuerunt, & Episcopi, & Ecclesiarum ministri occurrebant sanctis reliquijs; & de Palæstina vsque Chalcedonem iungebantur populorum examina, & in Christi laudem vna voce resonabant. hæc Hieronym. aduersus Vigilantium. Theodosius senior cum Eugenio pugnaturus circumibat cum sacerdotibus, omnia orationum loca, & ante martyrum, & Apostolorum thecas iacebat cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat, Ruff. l. 2. capit. 33. Theodosium Iuniorum supplicationem seu litaniam pro serenitate, & clementia aeris impetranda instituisse auctor est Nicephorus l. 14. cap. 3. his verbis: Litaniam instituta est, supplicantes processere, laudibus Deum vexere atque vna concors Ecclesia ciuitas tota facta, & ipse Theodos. hymnis canendis præijt, habitu priuato incedens: minime vero eum sefellit opinio: statim enim cælum, aerem turbidum cum serenitate commutauit: & frumenti non mediocrem inopiam, ingens quædam frugum copia, & vbertas est consecuta. Idem Nicephor. eod. lib. cap. 46. & Cedrenus in Theodosio commemorant eodem Theodos. imperante, cum ciuitas Constantinopolis graui, & diuturno motu terræ concuteretur, Theodosium, & Proclum Patriarcham Constantinop. litanias, & supplicationes indixisse, quibus cum ciues operam darent, miraculum præter opinionem omnium subsecutum est: subito namque e medio, inspectantibus omnibus, diuina quadam vi, puer in aerem sublimis, ad cælestem vsque tractum ita vt iam non appareret, sublatus, diuinam vocem, qua Angelis Deum laudibus ferre mos est, audiuit, eaq. voce percepta, rursus priorem per aerem via reuersus descendit, et Episcopo Proclo, & Imperatori, & multitudini omni, supplicationibus operanti, Deumq. hymnis celebranti ab Angelis canentibus se verba hæc audiuisse renunciauit: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis miserere nostri, quo miraculo permotus Theodosius, vt per orbem hymnus ille ter Sanctus Græce *τρισάγιος* concineretur decreuit. Addit Glicas par. 4. Proclum, ac Theodos. discalceatos supplicationes illas celebrasse. Idem Glicas in Mauricio testatur, Mauricium instituisse, vt supplicationes die præparationis in Blaceruis fierent, & ad Chalcostratea vsque procederetur. Marcianus Imperator vir summa religione præditus in supplicationibus publicis, alijs præire consueuerat: Nicephorus libro 15. cap. 15. Meminit & Iomuleus in vita S. Ludouici processionum, quas nedum in terra, sed & in mari, dum procellæ, & turbines impendebant, rex frequentabat, vbi & earum fructus vberes enarrat. S. Gallum, cum lues illa, quæ inquinaria vocabatur, Arelatensem prouinciam vexaret instituisse rogationes, vt media quadragesima psallendo ad Basilicam B. Iuliani martyris itinere pedestri venirent, auctor est Gregor. Turon. l. 4. histor. capit. 5. Cum eadem lues inquinaria primam Germaniam deuastaret, Rhemenfes, assumpta palla de sancti Remigij sepulchro, accensisq. super cruces cereis, atque ceroferalibus, psallentes circumisse urbem cum vicis, fidem facit. idem Gregor. lib. de gloria confess. capit. 79. addens, quod cum post paucos dies lues illa fines ciuitatis peruassisset, non fuit transgressa locum, quo cū sancti Remigij palla ciues processerant. Idem Gregor. l. 3. histor. cap. 29. alterius processionis mentionem facit: cum enim Childebertus, & Clotharius Cæsaraugustanam ciuitatem obfiderent, ciues induti cilicijs, abstinentes a cibis, & poculis mulieres quoque amictæ nigris pallijs, dissoluta Cæsarie, ac superposito cinere, cum tunica sancti Vincentij, muros ciuitatis psallendo circumibant, atque ita periculo obsidionis liberati sunt. Antiocheni quo Deus Theodosium pertinaciter ipsis infensum leniret, publicas peragebant supplicationes, carmina quædam luctuosa, & ad commiserationem mouendam composita, numerofo cantu concinentes, Nicephorus lib. 12. cap. 43. Processionem de Ecclesia Carnotensi, ad Ecclesiam Aurelianensem fieri consuevit auctor est Fulbertus Carnotensis Episcopus epist. 46. Amplius processio fieri consuevit quoties Episcopus Ecclesiam consecrat. Nouella 68. vt nullus fabricet orator domos. §. 1. de quo plura lib. 1. c. de dedicatio. Eccles. Ad hæc processionum alias tristes, & solliciti agimus, in tribulatione, quam peregrini hoc exilium peragrantes, patimur veniam peccatorum, & misericordiam deprecantes: alias lætas ducimus, in modum cælestis cuiusdam exercitus, de Christi gloria, & triumpho exultantes, & canentes, crucis signa, & vexilla, in aera sustollentes, ad significandam aeræ potestatis expugnationem, vt in formula reformationis a Cæsare proposita, in comitijs Augustanis. Quo argumento Synodus Augustana capitulo vigesimo, processionum quasdam appellat lætas alias lugubres cap. 23. Lætas etiam quæ ad gratiarum actionem ob res bene, foelicitatq. gestas. Ceterum

Ceterum in processionibus seu supplicationibus Crucem, & vexilla deferri consuetum, testantur Odo Viennensis, in chronicis de sexta ætate c. 111. Greg. Turo. de gloria confessorum, c. 20. & 79. Rupert. lib. 7. de diuin. offi. c. 20. ad finem. Innocent. lib. 2. myster. Missæ c. 12. Supplicationem celebratam, cum cruce in Cæsarea Palæstinae probat Synod. Nicæna 2. Act. 4. Ne litaniam, hoc est supplicationem sine sacerdotibus, & honoranda cruce fiant, vetat diserte Iustinian. Nouella 123. c. 32. cuius initium est, Omnibus autem Autet. sed nouo iure. Cod. de Episcop. & cleric. deferebantur. Item in processionibus cerei, & lumina, auctor miraculorum S. Stephani, apud Vzalimum. 1. inter sermones August. recenter editos, his verbis: Per hanc videt aduentare innumeros populos gaudentes sane, atque psallentes, & ceteros luminaria, cum grandi celebritate gestantes, & quasi quemdam candidatum comitantes, eiq. iteratis vocibus inclinantes, confessor Christi: & postea: Susceptis ibi reliquijs, atque sacramentis fidelium celebratis, exinde cantantes atque psallentes, cum immensa multitudinis choris ad ciuitatem regredi coepimus; & postea: Iam vero, sicut ostensum erat, puellæ ita cereis luminariibusq. fulgebant. In pontificali de gestis Vitalliani Papæ legimus Constantinum die Dominico processisse ad S. Petrum cum exercitu, omnesq. cereos gestasse. Paulus Diaco. lib. 26. narrat quod facto terræ motu in Antiochia, ciues qui remanserant, litanias faciebant, discalciati omnes clamantes: Kyrie eleison. Gregor. Turon. l. de gloria confessor. c. 79. ibi: Accessus super cruces cereis, atque ceroferalibus. S. Bernar. sermone 2. In Purificatione S. Mariæ: Processuri fumus bini, & bini, Candelas habentes in manibus ipsasq. succensas. Et paulo post: Merito sane bini, & bini procedimus. Sic enim ob commendationem fraternæ charitatis, & socialis vitæ missos a Salvatore discipulos sacra Euangelia testantur. Amplius in processionibus, pedibus procedere moris erat. Greg. Turon. l. 4. histor. c. 5. ibi: Itinere pedestri venirent, nedum vero pedites, sed discalceatos procedere debere Christianos probat Concil. Maguntiacum cano. 34. Placuit nobis, vt litaniam maior obseruanda sit a cunctis Christianis diebus tribus, sicut legendo reperimus, & sicut sancti patres nostri instituerunt, non equitando, nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinere, & cilicio induti, nisi infirmitas impederit. Proclum, & Theodosium iuniorum discalceatos processisse supra ex Glica monui, præcipue vero in processionibus, omnes ordines grauius, & modeste procedere debent, nemo ordinem deserat, colloquijs exclusis, sacris precibus omnes operam dent, non e fenestris, neque omnino e superiori loco inspiciant, sed eas prosequantur omni piæ, religioseq. venerationis studio, quæ plenius in Synodo Mediolan. diligenter cauetur. His pro corollario adijciam quod Antoninus Florentinus. 3. par. hist. tit. 22. c. 3. §. 32. his verbis scriptum reliquit: Per hæc ipsa tempora anni 1388. mirabilis factus est populorum motus, omnis quippe multitudo vestes exteriores induit, albas lineas tamen ad pedes vsque protensas, cum capitijs ad modum caparum religiosorum, quibus facies velabant, ad oculos tantum foraminibus ad videndum relictis, omnes mares, & feminæ, laici, clerici, & religiosi cuiuscumque ordinis, grandes & paruuli, similibus vestibus incedebant, monialibus, & reclusis exceptis, quibus non licebat claustra exire, incredibiliq. deuotionis ardore, longa horum dealbatorum agmina ad vicinas vrbes commeabant, processionaliter bini pergentia, pacem, & misericordiam supplici clamore sæpe clamantia, ac laudes, & hymnos in latino, vel vulgari decantantia, præcipue sequentiam illam, quæ dicunt Gregorij edidisse: *Stabat Mater dolorosa, Iuxta crucem lacrymosa, Dum pendebat Filius*, cum versibus sequentibus. Prorsus miranda res, & quasi incredibile negotium, nisi oculis nostris vidissemus, peregrinatio ista ordinaria erat nouem, vel decem dierum, ieiunantibus, qui poterant, illis diebus, & aliquibus, in pane, & aqua. Accessus vero in aliena oppida etiam parum antea pacata liberi fuerunt: nemo per id tempus dolo fallere tentauit, nemo aduenarum oppressus, tacita cū hostibus inducitur, innumeræ paces ex mortiferis, & diutinis inimicitijs, in aduersis locis confectæ sunt, confessiones, & comuniones frequentatæ, cūq. proficisceretur populi in alienas vrbes, & alij in suas aduentarēt, mira hospitalitas vbique & benigna susceptio a comunitatibus prouidebatur de victu, etiam mille hominibus sine pretio: durauit hic motus per duos, vel tres menses ad plus: vnde autem hoc initium habuerit, obscurum est, Dei opus fuisse negari non potest, & alij quidē dixerunt ex Hispania exordium traxisse, alij in Scotia, alij in Anglia, nonnulli ex Francia. De modo etiam dicebatur apparuisse B. Virginem Mariam cuidam rustico, & reuelasse ei filium suum, contra mundum propter scelera eius valde commotum, vnde ad reconciliandum eum, & placandum illud obseruandum esse: nihil tamen certi de hoc habitum est. Præterea quæ de supplicationibus gentiliū afferri possent, quæ erudite, & curiose prosecutus est Brissonius lib. 2. de formulis.

DE INTROITV MISSAE ET ASPERSIONE
aquae benedictae

CAPVT VNDECIMVM.

- 1 Introitus Missae quid, & unde dictus.
- 2 Introitus sacerdotis inter alia, aduentum Christi designat. Antiphona vero ipsius aduentus desiderium exprimit.
- 3 Introitus & Antiphonarum Missae, an Caelestinus fuerit primus institutor.
- 4 Introibo ad altare Dei, initio Missae dici consuetum antiquitas.
- 5 Tropi seu conuersiones ex cuius institutione, & quibus diebus cani debeant.
- 6 Aqua benedicta aspersio ante supplicationem, vel dum canitur introitus, varia, pro varietate temporis.

INTROITVS dicitur, quod a choro canitur, sacerdote ad altare introeunte. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 1. Rupert. lib. 1. de diuinis offic. capitulo 28. Raba. libro 1. de institut. clericor. capit. 33. Antiphona quae cantatur ad introitum, ait Radulph. Tungren. lib. de cano. obseruant. in Romano introitus appellatur, in Ambrosiano vero nomen ingressus meruit habere. Conradus lib. 1. ceremon. capit. 1. putat introitum dictum quasi prooemium. Rhenan. vero ad Tertul. de corona militis, docet introitum appellari, quod dum conueniebant Christiani in templum, populo introeunte, psalmus Dauidis cantabatur. At verius est ab introitu sacerdotis ad altare, introitum, & nomen, & originem sumpsisse. Introitus sacerdotis Missae initio primum Christi aduentum significat. Anastasius Episcop. Nicænus, in quaest. in scripturam, cap. cuiusnam typum, & figuram habet Ecclesia. Quod pluribus verbis illustrat Maximus Monachus in exposit. Liturgiae, his verbis: Primum ergo Pontificis in Ecclesiam ad sanctam Synaxim introitum, primi filij Dei, & Saluatoris nostri per carnem in hunc mundum Aduentum typum, & imaginem ferre docuit. Et postea: Post quem Aduentum eius in caelos, & in thronum supercaelestem ascensus, & restitutio, symbolice figuratur per ingressum sacerdotis in sacrarium, & ascensum in thronum sacerdotalem. Porro sicut, introitus sacerdotis Aduentum Christi designat, sic & Antiphona, quae dicitur ad introitum, iubilo cantilenae desiderium Aduentus eius norat: Multi Reges, & prophetae voluerunt videre, quae vos videtis, & audire, quae auditis Matth. 11. & Luc. 10. Chorus autem dilatat animam suam, & in iubilo cantat introitum, quoniam Prophetae, Patriarchae, Reges, & Sacerdotes, omnesque fideles summo cum desiderio Aduentum Christi expectabant, clamantes: Emitte agnum Domine, veni Domine, & noli tardare. Rupert. Tuitienf. lib. 1. de diuinis offi. c. 28. Iuo Carnot. opus. de conuenientia veteris, & noui sacrific. Innoc. 3. l. 2. myster. Missae c. 18. Hugo a sancto Victore lib. 2. de Ecclesiast. off. c. 14. Hoc ipsum versibus enarrat Hildebertus Cenomanen. Episc. libello de concordia veteris, & noui sacrific. Is floruit anno D. 1092.

Turba prophetarum venturi nuncia Christi,

Mysterium fertur praecinuisse Dei.

Hunc desiderijs, hunc laudibus, hunc prece multa

Præspirauit, extulit, expetiit.

Hæc tria commemorat similique sub ordine ponit,

Introitus Missae, quem chorus ante canit.

De Introitu S. German. in Theoria rerum Ecclesiastic. Introitus, inquit, Aduentum indicat filij Dei, & ingressum eius in hunc mundum. Et paulo post: Aliter de introitu. Censeo enim ostensionem in Iordane, & patefactionem Christi, & Dei nostri, ingressu Pontificis obscure designari. Nam eatenus etiam si aderat Pontifex, at nondum manifestus, & notus, neque in medio stabat, & supernaturalia, & eximia mysteria celebrabat, sed tempus opportunum natus sacerdos, quasi praecursor poenitentiae, baptisma conficiebat: qui cernens Pontificem ingredientem, loco migrat, ac statim cedit Pontifici, vt maiora mysteria perficiat, qui & ait: Quoniam sanctus est Deus noster. Aliter Raban. Maurus lib. 1. de instit. cleric. capit. 30. Primum autem in celebratione Missae ad introitum sacerdotis, ad altare Antiphona cantatur a clero, vt audiatur sonitus, quando ingreditur sanctuariū in conspectu Domini, sicut in veteri

testamento

testamento, per tintinabulorum sonitum ingressus innotuit Pontificis: bene ergo in ingressu sacerdotis concupantibus choris auditur modulatio diuinæ laudis, vt Dominicae celebrationis mysteria ministrorum præcedat consonantia, & corporis, & sanguinis Christi venerabile sacramentum antecedit dignæ laudis sacrificium. Ceterum vulgo creditum est Caelestinum Papam constituisse, vt psalmi Dauidi 50, ante sacrificium canerentur Antiphonatum, quod non antea fiebat: epistolæ enim S. Pauli, & sanctum Euangelium dumtaxat recitabantur. Hæc auctor libro Pontific. capitulo 42. Alcuinus de diuinis offic. cap. quid significant vestimenta Amalar. Fortunat. l. 3. de Ecclesiast. offic. c. 5. Raban. Maur. lib. 2. de instit. cleric. capitulo 32. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiastic. capit. 22. Berno. libello de quibusdam rebus ad officium Missae pertinent. capitulo. 1. Microlog. de Ecclesiast. obseruation. cap. 1. Sigibert. ad annum D. 426. dum de Caelestino verba facit. Quod tamen intelligendum monet Amalar. Fortunatus, libro 3. de Ecclesiast. offic. capitulo 5: vt ex omnibus Psalmis exciperet Antiphonas, quæ psallerentur in officio Missae. S. Gregor. Antiphonas omnes Missae in vnum volumen conegessit, quod Antiphonarium appellatur. At Radulph. Tungren. de cano. obseruant. propof. 23. ante Caelestinum vsu receptum a patribus ex Psalmis, Antiphonas excerpere, easque in sacro Missae canere prodidit. Ex Cassiano lib. 3. Institut. capitulo 11. Ego longe ante Cassianum illud institutum fuisse conijcio, tum ex S. Dionys. de Ecclesiast. hierar. capitulo 3. ibi: Itaque Pontifex, vbi orationem sanctam supra diuinum altare peregit, ex ipso incensum adolere inchoans omnem phani ambitum circuit, demum ad sanctum altare iterum rediens, Psalmorum incipit melos concinentibus secum sacra carmina omnibus Ecclesiasticis ordinis gradibus: tum etiam ex S. Basilij, & Chrysolomi liturgijs. Ambros. item libro de ijs, qui initiantur mysterijs, capitulo 8. & libro 4. de sacram. capitulo 2. aperte probat suo saeculo dici solitum in introitu Missae ex Psalmo 42. Introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam: cuius etiam versiculi mentionem facit S. Gregorius Nazianzenus circa finem oration. 28. cum post ea, quæ a Maximo perpetrata fuerant, rure, in urbem rediisset. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. capitulo 23. Paratus autem venit ad altare, de presbytero loquitur, dicens: Antiphonam: Introibo ad altare Dei. En quam verus, & visitatum est initio Missae dicere: Introibo ad altare Dei. Addo quod versiculi quidam, quibus Ecclesia vititur in introitu, discrepant a communi versione, quæ S. Hieronymo ascribitur. Vnde consequitur introitus vsum in sacro Missae antiquiorem Caelestino, ac Hieronymo. Non diffiteor Caelestinum Psalmos in introitu Missae pro certa lege constituisse, vel a Caelestino alio ritu aliaque forma, versus ex Psalmis excerptos decantari sancitum fuisse. Porro in quibusdam Ecclesijs, auctore Durando in Ration. l. 4. capit. 5. Tropi dicuntur pro Psalmis, ex institutione S. Gregor. ad maius gaudium de Christi aduentu representandum. Est autem tropus Græcis, auctore Io. Belet. in explicatione diuinorum offic. cap. 35. quod Latinis conuersio: quoniam istic quaedam fieri solent conuersiones, vel, vt ait Durand. d. cap. 5. tropus proprie est quidam versiculus, qui in præcipuis festiuitatibus cantatur immediate ante introitum, quasi quaedam præfatio, & continuatio ipsius introitus. Verbi gratia, ait Durandus, in festo Natiuit. ante introitum illum: Puer natus est, &c. Antecedit tropus iste: Ecce adest, de quo propheta, &c. Tropos vero, qui canuntur in præcipuis anni sollempnitatibus, exarauit Pamel. ad finem tom. 2. liturgicon ex vetusto codice Bibliothecæ S. Bauonis Gaudensis. Ceterum in quibusdam Ecclesijs, singulis Dominicis ante processionem aspergitur aqua benedicta. In alijs vero dum canitur introitus. Numquam enim diebus Dominicis aqua benedicta aspersio dimittitur. Micrologus de Ecclesiast. obseruat. capitulo 41. ideo, ait Rupert. Tuitienf. libro 7. de diuinis offic. capitulo 20. Singulis aspergimur Dominicis, quia in sacrosancta primæ Dominicæ, id est resurrectionis baptismum vniuersaliter celebrabat Ecclesia. Vnde, ait ille, inter aspergendum, die Dominicæ resurrectionis, cantamus illud Ezechiel capitulo 47. Vidi aquam egredientem de templo a latere dextro, Alleluia. Ceteris autem post Pentecostem Dominicis cantamus: Asperges me Domine hyssopo, quæ ibidem Rupert. & Durand. in Ration. libro 4. capitulo 4. diligentissime persequuntur. Quæ vero ad sacra aquæ institutionem eiusque vsum pertinent plenissime tractauimus lib. 1. cap. de labro, seu vase aquæ benedictæ.

DE ACCESSU SACERDOTIS

ad altare, confessione generali, & pectoris
tunfione.

CAPVT DVODECIMVM.

1. Episcopum deducunt ad altare sacerdos, & Leuita, quia lex & propheta Christum annuncianturunt.
2. Subdiaconus praecedens Episcopum significat Ioannem Baptistam, quid item per librum clausum, per luminaria, aliasq. ceremonias significetur.
3. Sacerdos ad altare accedens, inclinat se, & confessionem recitat.
4. Confessionis, quae fit initio Missae, quis auctor fuerit.
5. Confessionem Missae, quae generalis est, quando praecedere debeat sacramentalis confessio.
6. Pectus tundit in confessione generali sacerdos, cordis contritionem significans, ibiq. plura de pectoris tunfione.



DONTIFEX vestimentis sacris ornatus ad altare procedit, duobus eum ducentibus hinc inde, sacerdote videlicet, & leuita, subdiacono praecedente, qui clausum defert codicem Euangelij, donec Episcopus ad altare perueniat, ibiq. codicem osculatur apertum. Quae omnia, ait Innocent. 3. l. 2. myster. Missae cap. 1. & 2. diuinis plena sunt sacramentis. Episcopus enim illum in se representat Pontificem, de quo dicit Apost. Christus assistens pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum non manu factum, idest non huius creationis, &c. Sacerdos, & leuita significant legem, & prophetiam, secundum illud quod Dominus ipse proposuit in parabola vulneribus confecti: quia sacerdos quidam descendit eadem via, & viso illo praerijt, similiter & leuita: Moyses, & Elias in figura legis, & prophetiae apparuerunt in monte cum Christo loquentes. Sacerdos ergo, & leuita deducunt Episcopum, quia lex, & prophetia Christum annunciauerunt, & promiserunt. Moyses enim, inquit in lege: Prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, ipsum tamquam me audietis.

2. Et Isaias: Ecce veniet propheta magnus, & ipse renouabit Ierusalem. Rursus idem Innocent. c. 3. subdiaconus, qui praecedit, Ioannem Baptistam significat, qui praecessit Christum, hic ante Pontificem portat codicem Euangelij, quia Ioannes ante Christum inchoauit praedicationem Euangelij: Poenitentiam, inquit, agite. Quod autem liber clausus tenetur, donec pontifex ad altare perueniat. Hoc insinuat quod in Apocalypsi describitur, cap. 5. quoniam nemo inuentus est dignus aperire librum, qui scriptus erat intus, & foris, signatus sigillis septem, nisi Leo de tribu Iuda. Amplius c. 8. praefertur duo lumina cum incenso, quia lex, & propheta cum Psalmis Christi praenunciauerunt aduentum. Haec Innocent. Quem Durand. in Ration. lib. 4. c. 6. sequitur. Paulo aliter Rupert. lib. 1. de diuin. offic. c. 28. praecedunt flammantes cereoli in signum gaudij, quod in ortu Saluatoris mundo effulsit, de quo Angelus ad pastores: Annuncio vobis gaudium magnum. Et postea: Subdiaconus quoque praefert textum Euangelij, quia profecto lex testimonia continet Christi, sicut ipse dicit Iudaeis: Si crederetis Moyse, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit: Portat vero clausum, quia videlicet antequam agnus occisus aperuisset signacula septem, clausum erat in libro legis sacramentum eius passionis. Verum Amalar. Fortun. lib. 1. de Eccles. offic. alio modo haec enarrat. Dein, inquit, feruntur candelabra, ut super fundamentum iam positum luceat lux praedicatorum coram hominibus, iam eos illuminatos sequantur subdiaconi, ut possit praedicatorum ordo dicere: Sapientiam loquimur inter perfectos. Euangelium illis iungatur, in quo est declarata perfectio: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, vende omnia. Episcopus, & sibi coniuncti Euangelium sequantur, &c. Plura de diaconis, qui ducunt Pontificem: de sacerdotibus, qui coram altari reuerenter inclinant, os, & pectus Pontificis osculantes, ac de mapula, quae defertur super Pontificem quattuor baculis alligata Innocent. l. 2. capitulo sexto, septimo, & vndecimo. De accessu sacerdotis ad altare meminit Cyprian. epistola 64. ad Epictetum. Audet, inquit, sibi adhuc sacerdotium, quod prodidit vindicare, quasi post aras diaboli accedere ad altare

Dei

Dei fas fit, priusquam vero sacerdos, vel Episcopus gradus altaris ascendat, inclinat se ante altare, significans, auctore Durando. in Ration. l. 4. capitulo septimo, Christi descensum. Phil. 2. Et formam serui accipiens, se ipsum exinaniuit. Deinde, ait Microlog. libro de Ecclesiast. obseruat. cap. 23. sacerdos dicit: Introibo ad altare Dei, cum psalmo: Iudica me Deus, & discerne: & facit confessionem, Confiteor Deo omnipotenti, istis sanctis, et omnibus sanctis, & tibi frater, quia peccaui in cogitatione, in locutione, in opere, in pollutione mentis, & corporis. Ideo precor te, ora pro me. Haec Microlog. Cuius verba repetit Radulph. libro de can. obseruant. propof. 23. vbi & absolutionis formam, quae vsu recepta est, Misereatur tui, &c. Indulgentiam, &c. Addit, huius vero confessionis, quae fit in initio Missae, auctor in dubium reuocatur. Platina credidit, Damasum Papam mandasse, initio celebrationis Missae confessionem fieri, ut hodie fit. Berno hoc institutum Pontiano ascribit libro de offic. Missae cap. 25. Plane in hac confessione, auctore Innocentio libro 2. myster. Missae cap. 13. non in specie, sed in genere confitenda sunt peccata, quoniam ista confessio non occulta est, sed publica. Addo quod hanc generalem, & publicam confessionem debet praecedere sacramentalis confessio in illis, quos conscientia peccati mortalis grauat, quibus non licere, quantumvis sibi contriti videantur sine sacramentali confessione sacrum facere supra cap. de praeparat. sacerdot. ante Missae celebrationem, ex sanctis patribus, & Concil. Trident. sessio. 13. cap. 7. & cano. 11. luculenter docui. Tundimus vero pectus dum confitemur peccata, quatenus, aiunt Innocent. 3. l. 2. mysterio. Missae cap. 13. & Durand. in Ration. l. 4. exemplo Publicani, qui percutiebat pectus suam, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori, iustificati descendamus in domum. Tertul. lib. 3. aduers. Marcio. c. 18. Quando in rebus tam artonitis magis vti que genibus positus, & manibus credentibus pectus & facie humi velut ante oratione commendare debuisset. S. Cypr. de orat. Domini: Adoras, fratres charissimi, nec illud ignoret, quemadmodum in templo cum Phariseo publicanus orauerit, non eleuatis impudenter in caelum oculis, nec manibus impudenter erectis, sed pectus suum pulsans, & peccata intus inclusa. S. Gregor. Nazianzenus oratio. 15. in plagam grandinis. Nec vero me fugit, quanam mihi quoque Domini ministro, & vobis, qui eumdem honorem consecuti estis, praecipiat: nimirum, ut cum cilicijs templum ingrediamur, ac diu noctuq. inter gradus, & altare pectora tundamus, &c. S. Hylarion. teste Hieron. in vita eius, pectus pugnis percutiebat, quasi cogitationes caede manus posset excludere. Idem Hieron. aduersus Luciferianos: Si vere crederem, illud cor, quo Deus videtur, mundarem, manibus tunderem pectus. S. August. enarratio. 2. in psal. 31. Publicanus, inquit, e longinquo stabat, neque volebat ad caelum oculos suos leuare, sed percutiebat pectus suum. Tunfio pectoris obtritio cordis. Idem August. ad psal. 146. Tu dirigere cor tuum non potes, tu frange, ille dirigat. Quo modo tu frangis, quo modo tu conteris? Confitendo, puniendo peccata tua, quid aliud significat pectorum tunfio, nisi forte, putamus ossa nostra aliquid peccasse, cum caedimus, & tundimus pectus? Sed significamus nos cor contere, ut a Domino dirigatur. Et homil. 50. cap. 8. vnde quotidie tundimus pectora, quod nos quoque antistites ad altare assistentes cum omnibus facimus. Et sermone 8. & 36. de verbis Domini, nec non sermone 48. de tempore. In hoc ipso quod sonuit: Confiteor, pectora tudidistis. Maximus Taurinen. Episcop. hom. 3. de quadages. recte contundentes manibus pectus, si omnem inde furorem malignae voluntatis excusseris. Nicolaus primus in responsis ad consulta Bulgaror. cap. 54. hinc etiam pectus percutimus, signantes videlicet, quod nequiter egimus displicere nobis. Ac ideo antequam Deus feriat, id nos in nobis ipsis ferire, & antequam vltio extrema veniat, &c. Stephanus Eduens. lib. de sacram. altaris cap. 12. In confessione percutiendo pectus sacerdos gemit pro peccatis, & oratione fratrum a Domino postulat sibi indulgeri, dicens: Mea culpa, &c.

DE CHIRIE ELEISON.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

1. 3. Κύριε ἐλέησον cur Grace a Latinis, Latine vero a Gracis proferatur.
2. Κύριε ἐλέησον recitandi consuetudo, vnde.
4. Κύριε ἐλέησον cur nouies recitetur.
5. Κύριε ἐλέησον aliter quam nunc in Ambrosiana liturgia recitabatur.

N 3

6 Κύριε

- 6 Κύριε ἐλέησον, in forma precatiois, magnam habet efficaciam.
7 Κύριε ἐλέησον, qui recitat, memor & ipse misericordia esse debet.



- R**AETER II quæ de incenso, turificatione, & altaris osculo dicenda erant. Quæ enim ad incensum, & turificationem pertinent, petèda sunt ab ijs, quæ copiose scripsi lib. 1. cap. de turibulo, de osculo vero altaris tractabimus infra in cano. Missæ. Tandem accedente Episcopo, vel sacerdote, ad dexteram altaris partem, chorus concinendo subiungit, *κύριε ἐλέησον*, hoc est, auctore Augustino epist. 178. contra Pascentiùm, Domine miserere. Ideo autem Græca voce Ecclesiæ vitur, vt ibidem August. monet, quia sicut Græca lingua quod est *ὁμώσιον*, vna dicitur, vel creditur a fidelibus Trinitatis omnino substantia, sic vna rogatur, vt misceatur a cunctis Latinis, & Barbaris vnius Dei natura, vt a laudibus Dei vnius, nec ipsa lingua Barbara sit, vt a Latinis aliena. Latine enim dicitur Domine miserere: sola ergo hæc misericordia, ab ipso vno Deo Patre, & Filio, & Spiritu sancto, lingua debet Hebræa, vel Græca, & ipse ad postremum postulari, Latina non autem Barbara. Hanc precandi formulam, nonnulli referunt ad Arianum Episcopi, l. 2. capit. 7. *καὶ τὸν θεὸν ἐπιμαλόμενοι δέρονθα αὐτῷ κύριε ἐλέησον*. Deumq. inuocantes precamur eum, Domine miserere, quod iniuriosum, & contumeliosum in Ecclesiâ videtur. In qua longe ante Arianum hæc precandi formula vulgaris, & communis erat, præsertim in sacro Missæ, vt palam fit ex liturgijs S. Iacobi, & Marci. Deinde Iacobus, & Marcus Arianum longo interuallo præcesserunt. Adde quod & notatione dignum ex S. Dionysio Anastasio Sinaita lib. 7. cōmentarior. in hæxaemeron prodidit, Deum post susceptam carnem appellari Dominum, *κύριος* enim dicitur ex eo quod *κύριος* est, id est ditionem habeat, ac dominetur *κύριος*, quippe dicitur potentia, ac dominatio vt *κύριος* dicitur quod est otiosum, & non habet robur, ac potestatem. Recte ergo, ait Anastasius in suo aduentu, quando carnem suscepit, & in terra visus est Deus verbum tunc etiam appellatus est Dominus. Nam antea quidem nominabatur, *θεός* vt qui esset mundi *θεωρητής* id est contemplator, & inspector, quando autem cum per carnem aduenisset tyrannum inimicum nostrum percussit, quando mortem morte affecit, quando nos a dæmonum manu auulsit. Et paulo post: Tunc Dominus est appellatus, vt qui nostri dominaretur, in quos antea dominatum obtinebat diabolus, idq. Dauid aperte prophetans ei dixit Psal. 8. Domine Dominus hoster, &c. Ceterum *κύριε ἐλέησον* cantare sacerdos in Missâ nedum exemplo Sanctorum patrum admonetur, sed & decreto Ecclesiæ obstringitur. Extat decretum Concil. Valsensis. sub Leone 1. can. 5. in hæc verba: Et quia tam in sede Apostolica, quàm etiam per totas orientis, atque Italiæ prouincias dulcis, & nimis salubris consuetudo introuisa est, vt *κύριε ἐλέησον* frequentius, cum grandi affectu, ac compunctione dicatur, placuit etiam nobis, vt in omnibus Ecclesijs nostris ista consuetudo sancta, & ad Matutinum, & ad Missas, & ad Vesperas, Deo propitiante, introuidatur. S. Gregor. l. 7. epist. 63. In quotidianis autem Missis alia, quæ dici solent, tacemus. Tantummodo *κύριε ἐλέησον*, & *Christe ἐλέησον* dicimus: nedum autem in sacro Missæ decantari debet Kyrie eleison, sed & cum excommunicatus poenitentia ductus veniam postulat, can. cum aliquis 11. q. 3. Porro *κύριε ἐλέησον*, Latini Græce, & Græci Latine proferunt. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, Steph. Eduens. de sacram. altaris cap. 7. Quamobrem vero *κύριε ἐλέησον*, Græce dicamus non vero Latine, Domine miserere, quadruplicem rationem Ioannes de Turre Cremata, in can. Iacobus. de consecrat. dist. 1. ex Alberto Magno profert. dicitur autem nouies in Missâ, contra nouem genera peccatorum, quod pluribus enarrant Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ cap. 19. & Alex. de Ales. 4. p. q. 37. de offic. Missæ. §. 2. Aliter Amalar. Fortun. lib. 4. c. 2. in hæc verba: Imploramus misericordiam Domini per *κύριε ἐλέησον*, & *χριστέ ἐλέησον*, & iterum *κύριε ἐλέησον*, Tres articulos aliquo modo diuinæ maiestatis, & Trinitatis celebramus in Ecclesiâ. Primus est ante assumptam humanitatem, quâdo Trinitas inuocabatur sine copulatione humanæ naturæ. Ac ideo ter dicimus *κύριε ἐλέησον*, siue semel propter vnâ substantiam. Secundus est post assumptum hominem, quando Christus videbatur in terra, & nihilominus a suis credebatur Deus, & filius Dei, vt Petrus. Tu es, inquit, Christus filius Dei viui, & Paulus de eodem filio: Proprio, inquit, filio non pepercit, quoniam propter assumptam naturam vocatur Christus, quæ vncta est spirituali oleo. In medio articulorum dicimus: *χριστέ ἐλέησον*, quando semel dicimus ei: *χριστέ ἐλέησον*, ostendimus, eum solum fuisse inter homines, & neminem habuisse sui similem per omnia, et si &c. Tertio ostendimus eum nunquam fuisse

fuisse separatam a substantia sanctæ Trinitatis, propter vnitatem personæ. Tertius articulus est ex eo tempore, quo voluit clarificare illum assumptum hominem plus quàm esset, quamdiu mortalis erat. Vnde ipse dicebat ad patrem: Clarifica me tu pater apud temetipsum, claritate, quam habui, priusquam mundus fieret, &c. Vel, auctore S. Thoma 3. par. q. 83. art. 4. dicendo *κύριε ἐλέησον*, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filij cum dicitur *χριστέ ἐλέησον*, & ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur *κύριε ἐλέησον*, contra triplicem miseriam, ignorantia, culpæ, & poenæ: vel ad significandum, quod omnes personæ sunt in se inuicem, plane obseruandum est, auctore Radulpho de cano. obseruantia propof. 23. quod in Missâ Ambrosiana dicitur ter *κύριε ἐλέησον*, in tribus locis, post Gloria in excelsis, & post Euangelium, & in fine Missæ. In Romano vero dicitur nouies in vno loco quod *χριστέ ἐλέησον*. Est autem, ait Durand. in ration. l. 4. cap. 12. magna horum verborum efficacia. Ibiq. quædam de S. Basilio, & Geminiano commemorat. Quorum sit fides penes auctorem. Notum atque testatum est, Theodosio Iunioris Imperante, Proculo Patriarcha, cum clero, & maxima Vrbanæ multitudinis parte supplicantibus, puerum in aerem sublatum fuisse, populo vero obstupefacto, & longo tempore vociferante *κύριε ἐλέησον*, rursus dimissum dixisse sibi præceptum, ne in cantico ter sancto adderetur clausula, qui crucifixus est pro nobis. Zonaras; & Abbas Vespergen. in Theodos. Paulus Diaconus lib. 14. hiflor. idem Paul. Diacon. l. 16. auctor est, Iustiniano imperante, terræ motu concussa Antiochia, ciues, qui remanserant discalceatos omnes, Litanias fecisse, clamantes *κύριε ἐλέησον*: Tumq. apparuisse in visu homini Dei cultori, vt diceret omnibus residuis, quod superscriberent in superliminaribus suis: Christus nobiscum, stâte. Quo factò, iram Dei stetit: Hæc Diaconus. Plura de hac precatioe *κύριε ἐλέησον* Vualfridus, Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 22. Amal. Fortunat. de ecclesiast. offic. lib. 3. cap. 6. Berno de officio Missæ cap. 2. 24. & 25. Sigibertus an. Dom. 688. in vita Sergij Papæ, qui vero hac precatioe vtuntur misericordiæ, & humanitatis erga proximos præsertim pauperes meminisse debent, quo modo, ait Chrysof. hom. 21. in cap. 12. ad Rom. circa finem, ad Deum dicis: Miserere mei, *κύριε ἐλέησον* *μή*. Quo modo peccatorum tuorum veniam petis, qui eum conuitiaris, qui tibi nihil peccauit, poenamq. pro fame, tantaq. necessitate exigit.

DE HYMNO GLORIA in excelsis, &c.

CAPVT DECIMUM QVARTVM.

- 1 Hymnus Gloria in excelsis, a quo primum institutus & editus.
- 2 Gloria in excelsis dum inchoatur, cur ad Orientem respiciat sacerdos.
- 3 Hymnum gloria in excelsis dum sacerdos inchoat cuius personam referat.
- 4 Gloria in excelsis quibus diebus cani debeat in Ecclesia, vel intermitti.



DICTO *κύριε ἐλέησον*, mox sacerdos vel Pontifex inchoat hymnum, Gloria in excelsis, quem ab ore angelorum, ait Rupertus Tuitien. Ecclesia sancta rapuit. Hunc hymnum in Missæ sacro dici Telephorum 7. a Petro Pontificem instituisse, testatur eius epist. 1. Id ipsum testantur Damasus lib. Pontific. cap. 9. Raba. Maurus, Vualafriid. Strabo, Berno & alij complures. Non desunt qui etsi non diffiteantur a Telephoro Papa compositum hymnum Gloria in excelsis, vsque ad versiculum, *Laudamus te*, crediderunt tamen particulam illam, *laudamus te*, & quæ sequuntur addita fuisse post Telephori sæculum. Exijs rursus quidam ea addita fuisse a S. Hilario, Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Is cum dixisset cap. Quid significant vestimenta, Telephorum natione Græcum, constituisse vt hymnus diceretur angelicus ante sacrificium, postea d. cap. de celebrat. Missæ, scribit hymnum, Gloria in excelsis, in natiuitate Saluatoris ab Angelis decantatum, a S. Hilario Pictauiensis Episcopo postea auctum & consummatum. Hæc quoque addita fuisse ab Hilario scripserunt Hugo de S. Victore lib. 2. & Hofmeister in expositione precatiois Missæ. Alij hæc addita a Symmacho Papa contendunt. Berno cap. 25. de officio Missæ. auxit & compleuit

pleuit hunc hymnum Symmachus a Petro 53. Et completum instituit vt nunc canendum. Sane Concil. Tolet. 4. can. 12. de hymnis, de consecrat. dist. 1. docet totum illud quod sequitur post Angelicum hymnum, *Gloria in excelsis Deo*, ab Ecclesiasticis Doctoribus compositum. Verum Rabanus lib. de instit. cleric. cap. 32. Innocent. 3. lib. 2. mysterio Missæ, cap. 20. totum hymnum a Telesphoro editum prodiderunt. At verius est hymnum istum ab Apostolis conflatum & compositum. Integer enim fere extat apud Clementem lib. 7. constitutionum Apostolicar. c. 48. Hunc vero in Missa decantari instituit Telesphorus. Ceterum sacerdos dum illum hymnum inchoat, Orientis partes solet respicere, tum quia ad Orientem Deum orare moris est, vt plene lib. 1. cap. de ædium sacrarum forma, probaui. Tum, vt ait Durandus in rational. quia Angelus ab Oriente venit in Bethlehem. Quæ latius enarrat Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 8. his verbis: Non est ordo vt qui Dominum laudare voluerit, tergum ad eum vertat, & pectus ad seruos. ipsum statum ex qualitate loci, vbi Angeli cecinerunt memoratum hymnum, possumus conijcere. Dominus qui vbique est secundum formam serui in Bethlehem erat, quæ nostram Ecclesiam significat, quæ est domus panis. Angeli ad Orientem cecinerunt, de quo statu dicit Michæas: Et tu turris gregis nebulosa, filia sion vsque ad te venient: turris quippe gregis quæ Hebraice dicitur turris 777 mille circiter passibus a ciuitate Bethlehem ad Orientem distat, &c. Ad hæc sacerdos primus & solus hunc hymnum inchoando pronunciat, qui Angelum magni consilij repræsentat. Chorus vero concinendo respondens, gerit personam multitudinis, de qua in Euangelio: Facta est subito cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium & dicentium: *Gloria in altissimis Deo*. Innocent. 111. lib. 2. myster. Missæ cap. 20. Durand. in ratio. lib. 4. cap. 13. & longe ante eos Hildebertus Cenomannen. Episc. his verbis:

*Angelicum post hæc sacrificæ pater incipit hymnum,
Inceptum complet vociferando chorus.
Incipiens memorat, quæ Saluatoris in ortu
Gaudia pastores Angelus edocuit.
Cantica que post hunc superi cecinerunt, recenset
Gloria, quam complet vociferando chorus.*

Hunc hymnum: *Gloria in excelsis*, diebus Dominicis & in natalitijs martyrum, ad Missam cantari constituit Symmachus Papa. lib. pontific. in Symmacho. Alcuinus lib. de diuinis offic. cap. quid significant vestiment. Amalar. Fortun. lib. 3. cap. 8. Vulafriid. Strabo, de rebus ecclesiast. cap. 22. Ruper. lib. 2. de diuinis offic. cap. 22. Raban. Maur. lib. de institut. cleric. cap. 32. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 46. Innocent. 3. lib. 2. cap. 20. Berno de offic. Missæ. cap. 2. Sigibert. & Mart. Polonus in chronic. In Missa vero pro defunctis, in diebus item luctus & ieiuniorum, hymnus iste recitetur. Amalar. Fortun. lib. 3. cap. 44. S. Thomas 3. par. quæst. 83. artic. 4. plene Microlog. de ecclesiast. obseruat. cap. 58. Quare in quadragesima non cantatur, Microlog. d. cap. 46. Radulph. Tungren. de cano. obseruat. propof. 13. In coena tamen Domini inter Missarum sollempnia dicendus est. cano. porro. de consecrat. dist. 1. In aduentu quoque ac septuagesima prætermittitur, *Gloria in excelsis*, præterquam in quibusdam festis. Microlog. de ecclesiast. obseruat. cap. 47. & 48. cano. hi duo solummodo hymni, de consecrat. dist. 1. In diebus item profectis, cum Missarum sollempnia in honorem B. Virginis celebrantur, neque hymnus Angelicus, neque symbolum decantatur, licet in Missa propria præfatio decantetur. cap. concilium. de celebrat. Missarum S. Thom. lib. 4. sentent. dist. 13. quæst. 1. art. 2. Amplius hymnus iste, *Gloria in excelsis*, ac canticum: *Te Deum laudamus*, simul aut canuntur, aut intermittuntur. d. cap. concilium. Radulph. Tungren. de canonum obseruantia propof. 13.

DE SALVATIONE AD POPVLVM,

Dominus vobiscum, vel Pax vobis.

CAPVT DECIMUMQVINTVM.

1. Dominus vobiscum, saluatio sacerdotis ad populum vetustissima, & derivata ab Apostolis. Eam diuinissima vocat Dionys. Et in scripturis tam singulariter reperitur, quam pluraliter. Saluatio

1. Saluatio sacerdotis an eadem esse debeat cum ea, quæ presules vtuntur, & quid de hæc salutandi forma, Pax vobis.
2. Responso hæc ministri: Et cum spiritu tuo, quid significet, unde traxerit originem: Ea apud quos patres in vsu fuerit.
3. Diaconus quando vtatur hac saluatione, Dominus vobiscum.
4. Saluatio hæc, Dominus vobiscum, an vno tantum adstante sit, proferenda pluraliter.
5. Missa an fieri possit vno tantum, vel etiam nullo adstante.



ALVTATIO sacerdotis ad populum, per hæc verba, Dominus vobiscum, vetustissima est: eamque a traditione Apostolica fluxisse testatur concil. Bracharen. can. 21. ibi: Sicut & ab ipsis Apostolis traditum, omnis retinet oriens: huius meminit S. Dionys. de Ecclesiast. hierar. his verbis: Diuinissima autem saluatio sancte peragitur, & hagiographarum tabularum mystica, & supra mundana recitatio. Soter item a Petro vndecimus apud Gratian. cano. hoc quoque de consecrat. dist. 1. Bruchar. l. 3. cap. 74. Iuo. par. 2. cap. 127. ibi: Quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, aptissime conuenit, vt illius respondeatur saluatione: diuinissimam hanc saluationem appellat Dionys. quia non humano arbitrio composita est, sed ex diuinæ scripturæ auctoritate probatur sumpta, vbi frequenter & singulariter & pluraliter legitur. Pluraliter in lib. Ruth cap. 2. Booz salutandus legitur dixisse messoribus suis: Dominus vobiscum. Et Paralip. cap. 15. Propheta a Deo missus salutatur Aza regem, & exercitum suum, Dominus vobiscum. Hæc Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Honor. in gemma animæ, & Hugo de sacramen. latissime, Petrus Damian. in lib. qui inscribitur, Dominus vobiscum. cap. 3. 4. & sequenti. Damianus vero floruit anno Domini 1050. Ceterum hæc saluatio, Dominus vobiscum, sacerdotum est. Presules vero prima vice dicere solent: Pax vobis. Apostolorum successores, idest Ecclesiarum presules ait Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, hac saluatione vtuntur, Pax vobis, quam ideo Episcopalem saluationem Petrus Damianus appellat, eaque recens non est, nec a S. Gregorio aut alio recentiore instituta. Ea formula vros fuisse S. Iacobum & Basilium, ex eorum Liturgijs apparet. S. Ambros. de dignitate sacerdotali cap. 5. Pronunciat, inquit, Episcopus huiusmodi ad populum dicens: Pax vobis. S. Chrysoft. hom. 3. ad Colof. Mox, vt presul Ecclesiæ ingreditur, dicit: Pax omnibus. Quando concionatur, pax omnibus, quando benedicit, pax omnibus. Quando salutem optare iubet, pax omnibus, quando sacrificium absoluitur, pax omnibus. Idem Chrysoft. hom. 33. in cap. 10. Matth. Presul in Ecclesia pacem præstat. Et postea: Cumque pax vobis dicimus & spiritu tuo, &c. S. Chrysoftomum iam vita functum cum corpus eius a Proclo Patriarcha, in throno collocatum esset, dixisse ad populū: Pax vobis, idque Proclum & adstantes omnes audiuisse, memoriæ proditum est, Nicephorus lib. 14. cap. 43. huius etiam formulæ meminit Cyrill. l. 12. infra cap. 14. Pax vobis, ait Christus ad discipulos. Vnde lex quædam Ecclesiæ tradita est. In sanctis enim congregationibus hoc sapius ad inuicem dicimus, &c. Verum hanc distinctionem sacerdotis ab Episcopo euertere videtur concil. Brachar. 1. cano. 21. Item placuit vt non aliter Episcopi & aliter presbyteri populum, sed vno modo saluent, dicentes: Dominus sit vobiscum, sicut in lib. Ruth legitur, &c. cui facile occurri potest. Est enim prouinciale concilium ab Episcopis prouinciæ Galiciæ celebratum. Deinde, etsi prima vice Episcopus salutatur hac formula: Pax vobis, quoniam auctore Innocent. tertio, hæc fuit prima vox Christi ad Episcopos, cum eis post resurrectionem apparuit: postea tamen instar ceterorum sacerdotum vtitur eadem saluatione, qua presbyter, Dominus vobiscum. Innocent. tertius. l. 2. myster. Missæ. cap. 24. Alex. de Ales. 4. par. q. 37. de offic. Missæ. §. 4. Durand. in rational. l. 4. cap. 24. Facta saluatione ab Episcopo, vel presbytero chorus & populus respondent: Et cum spiritu tuo, nihil melius inuenit Ecclesia, ait Florus Magister in expositione Missæ, quod optaret sacerdoti, nisi quod sacerdos optat Ecclesiæ hac saluatione Episcopi, & responso populi, auctore Amalar. Fortunato lib. 3. cap. 9. Intelligimus vnum debere esse affectum Episcopi, & populi sicut hospitium vnius Domini. Huius formulæ mentio fit in liturgijs S. Iacobi, & Basilij: In iisdem horrendissimis mysterijs, inquit Chrysoft. hom. 18. in 2. epist. ad Corinth. Bene precatur sacerdos populo, & bene precatur populus sacerdoti. Nam cum spiritu tuo, nihil aliud est, quam hoc, &c. & hom. 3. in epist. ad Coloff. Accipientes pacem, & reddentes ei, qui pacem affert, inimicamur dicis, & spiritu

ritu tuo, & extra Ecclesiam illum traducis. Rursus hom. 36. in epist. 1. ad Corinth. Verum hæc signa tantum sunt, & monumenta rerum: vbi igitur nos coepimus loqui: Cum spiritu tuo, plebs respondet. Ecce nectum a Clero, sed & a plebe responderi, Cum spiritu tuo. Quod & concil. Aurelian. cap. 3. constitutum fuisse prodidit Microlog. de ecclesiast. obseruat. cap. 2. His addendus est Isidorus Pelusiota antiquus auctor. lib. 1. epist. 122. Illud autem, inquit, quod a plebe responderitur: Et cum spiritu tuo, hæc habet sententiam: pacem quidem nobis tribuisti Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam: pacem autem nobis da, hoc est, eiusmodi tecum coniunctionem, quæ nullo modo diuelli possit, vt cum spiritu tuo pacari, quem nobis in creationis initio indidisti, a tua charitate distrahi nequeamus. Nonnulli huius responsionis & cum spiritu tuo, originem repetunt a S. Paulo. 1. Timot. 2. cap. Verum Ecclesia non docet respondere tecum, sed cum spiritu tuo, vt totum, quod in Ecclesiasticis officijs genitur spiritaliter fieri cogitemus: vt in fragmento Caroli Magni de Ritibus veteris Ecclesie, & apud Petrum Damian. cap. 23. Plane Diaconus nõ vtitur ea salutatione, Dominus vobiscum, nisi dum legit Euangelium, vel Cereum pascale benedicit: Idq. generali Ecclesie consuetudine receptum docet Durand. in ratio. lib. 4. cap. 14. Cum quo consentiunt Albert. de offic. Missæ. cap. 4. & glos. pragmat. Qualiter horæ dicendæ sint, in verbo teneantur. Ad hæc in dubium reuocatur an Episcopi, vel presbyter, dum solitarias Missas agunt, vnico adstante ministro dicere debeant: Dominus vobiscum. Nonnullis visum est, non decere vti hac salutatione, vnico adstante ministro. Pluralis enim locutio duorum numero est contenta, vulgat. l. vbi numerus. ff. de testibus. Deinde Soter Papa vndecimus epist. 2. ad Episcop. Italiae can. hoc quoque de consecrat. dist. 1. diserte vertat Missarum sollempnia celebrare, nisi duobus presentibus, sibiq. respondentibus: quia, inquit, Soter cum ab eo dicitur: Dominus vobiscum: Et orate pro me, a pertissime conuenit, vt & ipse respondeatur salutationi: Ante Soterum Anacletus Papa epist. 1. Iubet Episcopos & sacerdotes dum sacrificant testes secum habere: Accedat Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 2. Deinde versus ad populum dicit: Dominus vobiscum. Respondetur: Et cum spiritu tuo. Notandum ex his verbis plures debere esse respondentes, & vnum salutantem. Sicut enim inepte responderetur: Et cum spiritu vestro, cum vnus esset saluator: sicut incongrue saluator per, Dominus vobiscum, cum vnus tantum adsit, vel nullus. Hoc vtique beatissimi patres Apostolici, Anacletus, qui a Petro Quintus, & Soter in ordine decimus tertius decretis suis formauerunt, vt sacerdos, semper, vel tertius esset, dum Missas celebraret, S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5. versic. ad duodecimum distinguendum putat, vt in Missa sollempni plures adesse debeant in peculiari, quam nonnulli solitariam, alij priuatam appellant, sufficit vnus adesse ministrum, qui gerat personam totius populi Catholici, ex cuius persona sacerdoti peculiariter respondet. Deinde ex Innocent. III. l. 2. cap. 25. Aliud est necessitatis articulus, & aliud religionis contemptus, hoc est ex decreto Soteris. Nullus ex contemptu celebrare debet vno tantum adstante. At dum vrget necessitas, sacerdos ministro vno presente, celebrare potest. Addit Innocentius pie credendum esse, & sacris auctoribus comprobari, quod Angeli Dei astant orantibus secundum illud Psal. 137. In conspectu Angelorum psallam tibi. Quilibet item homo habet Angelum suum ad custodiam, Act. 12. & Matth. 18. Illos igitur, ait Innocentius, habemus in oratione participes, quos habebimus in glorificatione consortes: vel ex Alex. de Ales par. 4. quæst. 36. memb. 5. Quædam antiquitus statuta erant ob reuerentiam tanti mysterij, quæ postea ob vtilitatem, vel necessitatem antiquata sunt: In hac specie, aucto presbyterorum numero ne libertas celebrandi minuatur, necessum fuit & vtile Missæ sacrum vno astante celebrare. Sacerdos vero dicendo: Dominus vobiscum, & orate pro me, Ecclesiam alloquitur, & ad eam mentem, & intentionem conuertere debet, hæc Alex. de Ales. Plura in eandem sententiam Petrus Damianus, qui floruit ante quingentos annos, in libello, qui inscribitur: Dominus vobiscum. Hinc nullo adstante ministro diligenter vetitum est sacerdoti Missæ sacrum agere concil. Nanneten. cap. 30. apud Bruchard. l. 3. decret. cap. 68. concil. Maguntien. cap. 43. Basilien. sess. 21. cap. 8. cap. proposuit, de filijs presbyter. plene glos. pragmat. ad tit. de his qui in Missa in verbo ministro, Panorm. & ceteri in cap. 3. de vita, & honestate cleric. S. Ambrosii. l. 1. offic. cap. 41. commemorat S. Laurentium Sixto, cum ad supplicium duceretur, dixisse: Quo progredieris sine filio pater, quo sacerdos sancte sine Diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras: hæc & in peculiari locum habent: nisi in quibusdam casibus, quos Alex. de Ales percenfer vbi supra: præcipuus est dum premit necessitas.

necessitas. Nam & tum solus vngere potest, cap. quæsiuit. de verbor. signif. vbi glossa, & doctor. glos. in can. Hoc quoque de consecrat. dist. 1. vbi de Turre cremata post Alex. de Ales: vbi vero clericus solus preces canonicas recitat, non debet dicere, Dominus vobiscum, sed Domine exaudi orationem meam. Durand. in rational. lib. 4. cap. 14. Albert. de horis canonicis quæst. 12. glos. pragmat. tit. qualiter horæ sint dicendæ, in verbo, teneantur, et si aliter Nauarrus de oratio. & horis canonicis. cap. 22. Miscellaneo. 19. censuerit, quod etiam docuit Petrus Damianus, multo ante Nauarrum.

DE ORATIONE, SEV COLLECTA. CAPVT DECIMUM SEXTVM.

- 1 Collecta, quid passim in scripturis, & apud Patres significet.
- 2.4 Orationes Ecclesiasticae, cur collecta nuncupentur.
- 3 Collectarum nomine significatur aliquando elemosyna, quam S. Paul. λογίαν appellat.
- 5 Sacra mysteria non sunt peragenda, nisi præmissis precibus.
- 6.8 Orationum, seu collectarum varij auctores.
- 7 Orationes, & preces non recitanda in conuentu ecclesiastico, nisi prius approbentur.
- 9 Orationum in Ecclesia recitandarum numerus definitus, & de numeri huius significatione.
- 10 Operibus secunda diei cur non legitur, Deus benedixisse.
- 11 Oratio pro defunctis, quo loco & modo dicenda.
- 12.18 Orationis conclusio hæc: Per Dominum nostrum, & usitata, & cur in nomine Filij concludantur orationes Ecclesie.
- 13 Oratio qua non fit per Christum, quo modo dicatur peccatum.
- 14.15 Oratio ad solius Patris personam, cum dirigitur tota Trinitas ob vnitatem essentia honoratur.
- 16 Orationum conclusiones, quando & quo modo varientur.
- 17 Filius Dei cum Patre ab æterno regnans, vnã cum ipso habet & potestatem & substantiam.
- 18 Per omnia secula seculorum, potest etiam consecutine intelligi, vel antonomastice.
- 19 Sacerdos dicendo: Oremus, se & alios monet orare.



COLLECTA plerumque collectionem, & conuentum hominum cultus Dei, significat. Leuit. 23. Dies Octauus erit celeberrimus, atque sanctissimus. Est enim dies coetus, atque collectæ. Num. 29. In die 8. collectio erit vobis. Deut. 16. Et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus: vbi quidam interpretantur retentionem. At nomen עָצְרָה Gazeret, & retentionem, & collectionem significat. Deinde collectio ad retentionem aludere videtur, quoniam, qui colliguntur in aliquo loco, videtur quodam modo inclusi, seu retenti. Item 2. Paral. cap. 7. Fecitq. die octauo collectam. Paulus ad Hebræos cap. 10. ibi: Non deferentes collectionem nostram, Græce ἐπισυναγωγὴν hoc est conuentum, & aggregationem. Tertul. lib. de fuga in persecutio. ad finem. Sed quo modo colligemus, inquit, quo modo dominica sollempnia celebrabimus? Et postea: Si interdiu colligere non potes, habes noctem: vbi Rhenanus & Pamelius & Epiphanius epist. ad Ioannē Hierosolymit. apud Hiero. lib. 2. epist. Cum igitur celebraretur collecta in Ecclesia, villa quæ iuxta monasterium nostrum. Et eadem epist. ad finem: Præterea audiui quosdam murmurare contra me: quia quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, vt ibi collectam tecum ex more Ecclesiastico facere. Alter Epiphanius vetus interpret historia tripartitæ passim collectarum mentionem facit lib. 6. cap. 23. Inueniensq. seorsum celebrare collectas socios suos. & lib. 7. cap. 32. In qua propter loci reuerentiam collectæ sæpius celebrantur. & lib. 9. cap. 38. Circa celebrationem collectarum. Et paulo post: Collectas agunt. S. Hieronym. in epitaphio Paulæ ad Eustochium: Post alleluia cantatum, quo signo vocabantur ad collectam, nulli residere licitum erat. S. August. in breuiculo collationum. Tertij diei, sicut ipsi gestis martyrum monstrabatur, qui cõfitebantur in passionibus suis, se collectam & dominicum egisse, populo vero congregato preces a sacerdote fieri solebant. Inde preces illæ a populi collectione, collectæ appellari coeperunt. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Illæ tamen orationes speciatim collectæ vocantur, quæ apud Romanos

Romanos super collectam populi fiunt, dum colligitur, ut procedat de vna Ecclesia in aliam ad stationem faciendam. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 3. Belet. de diuinis offi. Innocent. lib. 2. myster. Missæ cap. 27. Durand. in Ration. Radulph. de cano. obseruantia propof. 23. Collectæ etiam dicuntur eleemosynæ, quæ in Christianorum conuentu conferebantur, & colligebantur pauperum alimenta, quas S. Paul. 1. ad Corinth. cap. vltimo, λογίας appellat a legendo, id est colligendo, vetus interpres vertit collectas. S. Clemens lib. 4. Constit. A postol. c. 8. ait, ποιειν εν λογίας facere collectas. Sunt qui existimant orationem breuem collectam appellari, quod sacerdos, qui legatione fungitur ad Dominum pro populo, omnium petitiones compendiosa breuitate colligat atque concludat. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. c. 22. Microlog. de Ecclesiast. obseruario. cap. 3. Berno. de offic. Missæ. Hugo a sancto Victore lib. 2. de officijs Ecclesiast. cap. 16. quorum sententia iuuatur Cassiani auctoritate lib. 2. instit. cap. 7. his verbis: Cum autem is, qui orationem collecturus est: nec non Concil. Agat. can. 21. can. conuenit de consecrat. dist. 5. ibi: Collecta oratione, vbi & collectæ, collectiones appellantur. Preces autem fieri ante mysteria docet Dionys. ep. ad Demophil. Neque Carpus, inquit, qui me Cretæ hospitio exceperit, sacros mysteriorum ritus aggrediebatur, nisi prius ipsi in ijs precibus, quæ antea perfici solent sacra, & lecta apparuisset visio. Porro orationum seu collectarum varij fuerunt auctores. Earum infinitus numerus. In nonnullis quædam adiectæ, quæ a pio Dei cultu alienæ erant, & scandalum offensionemque præbebant. Cui malo sancti Patres occurrendum censuerunt. Itaque varijs decretis preces in Ecclesijs dici vetarunt, nisi antea probatæ in Concilio fuissent, vel cum prudentioribus collatæ. Concil. Carthag. 3. can. 23. ibi: Et quascumque sibi preces aliquis describit, non eis vtatur, nisi prius eas, cum instructioribus fratribus contulerit. Concil. Mileuit. sub Innocent. 1. can. 12. Placuit etiam illud, inquit, Synodus, vt preces, vel orationes seu Missæ, quæ probatæ fuerint in Concilio siue præfationes, siue commendationes, siue manus impositiones, ab omnibus celebrentur, nec aliæ omnino dicantur in Ecclesia, nisi quæ a prudentioribus tractatæ, vel comprobatæ in Synodo fuerint, ne forte aliquid contra fidem, vel per ignorantiam, vel per minus studium sit compositum. Quod & repetitum fuit in Concil. Afric. can. 70. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 5. Carolus Magnus in legibus Francis constituit, vt omnia Missalia videantur, & orationes, quæ ab Ecclesia probatæ non sunt, reiiciantur. Legimus Gelasium Papam tam a se, quam ab alijs compositas preces limasse politius, & distincte disposuisse. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 22. vel, vt Sigibert. ad ann. Domini 487. loquitur cauto limatoque sermone composuisse: has deinde S. Gregor. quibusdam additis, quibusdam detractis, politius in ordinem redegit, librumque qui sacramentorum inscribitur, edidit, auctore Vualfrid. Strabo. huius libri meminit Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 24. 31. & alibi passim. Hunc typis excusum habemus apud Pamelium tomo 2. Liturgicon Ecclesiæ Latine. Ceterum, vt ait Durand. in Ration. l. 4. cap. 15. quidam extra modum, & ordinem orationes multiplicabant. Vnde auditores sibi ingratos efficiebant, & populam Dei potius fastidio auertebant, quam alliciebant. Quare sancti Patres orationis Dominicæ, quæ septem orationibus concluditur formam sequentes, statuerunt, ne sacerdotes in Missa septenarium orationum, seu collectarum numerum prætergrederentur. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 4. Nam & Christus, ait Alexand. de Ales. 4. par. quæst. 37. de offic. Missæ. §. 4. in oratione Dominica Matth. 6. septem petitionibus omnia corpori, & animæ necessaria comprehendit. Vsu tamen Leodiensi, vltra quinque non dicuntur. Radulph. Tungrenf. de canon. obseruat. propof. 23. hoc autem, ait Microlog. summopere solent obseruari, vt in Missa, aut vnam, aut tres, aut quinque, aut septem orationes dicant: vnam, eodem Micrologo auctore, propter Romanam traditionem: tres, quia Dominus ter ante passionem orasse legitur: quinque propter partitam eius passionem, in cuius commemoratione hæc eadem celebramus officia: septem, quia & Apostoli septem petitiones Dominicæ orationis ad consecrationem eorumdem mysteriorum frequentasse leguntur. Microlog. Tot idem verbis sequitur Radulph. Tungrenf. lib. de can. obseruat. propof. 23. vel auctore Innocent. l. 2. myster. Missæ cap. 23. quem Durand. in Ration. sequitur: vnam, vel tres propter vnitatis sacramentum, vel mysterium Trinitatis: quinque, vel septem propter quinque partitam Domini passionem, vel spiritum gratiæ septiformem: duas autem dicere non debent ex sententia Innocent. Durand. & Alex. de Ales. 4. par. q. 37. de offic. Missæ. §. 4. Binarius siquidem numerus infamis est: Deus enim diuisionem, & discordiam detestatur. Vnde cum ceterorum operibus dierum benedixit, operibus secundæ diei benedixisse non legitur, quia binarius primus ab vnitatis recedit, & ab eo ceteri diuisibiles numeri fortuantur originem.

originem. Impar vero numerus mundus est, can. Nuptiæ 32. q. 1. Addit Innoc. cauendum esse, si forte collecta pro defuncto misceatur, non finalis, sed penultima, vel ante penultimam dicatur, quia finis ad suum debet torqueri principium. In Missa vero pro defunctis non debet interponi oratio pro viuis, nisi illa communis Omnipotens sempiterna Deus, qui viuorum, &c. Hæc Innocent. Amplius in fine orationum seu collectarum adijcitur: Per Dominum nostrum, &c. Orationes enim, Per Dominum nostrum concludi solent. Alcuinus semel atque iterum de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, Radulph. Tungrenf. de cano. obseruantia propof. 23. Oratio, quæ non fit per Christum, non solum nihil impetrat, sed etiam ipsa fit in peccatum. August. ad Psal. 108. enarrans verba illa: Oratio eius fiat in peccatum. Non est iusta oratio nisi per Christum, quem vendidit Iudas, scilicet immunitate peccati. Oratio autem, quæ non fit per Christum, non solum non potest delere peccatum, sed etiam ipsa fit in peccatum. S. Bernard. lib. de amore Dei cap. 8. Ideoque orationes, inquit, nostras, vota, & sacrificia, & omnia nostra offerimus tibi pater assidue, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Credentes, & intelligentes ex te, a te, & ad te, per ipsum nobis esse quidquid nobis bene est, a quo ipsum esse habemus. Concludimus orationes, ait Micrologus, Per Dominum nostrum, videlicet patrem orando, per filium. Iuxta eiusdem filij præceptum, Ioannis 16. Vtique modo non petistis quidquam patrem in nomine meo: quodcumque petieritis patrem in nomine meo dabit vobis. S. Paul. 2. ad Corinth. cap. 1. ait: Promissiones Dei esse stabiles in Christo, quasi dicat, Christus est nobis datus pro fideiussore, & omnes promissiones implentur per Christum. Generaliter itaque oratio ad Deum Patrem dirigitur. Concil. Carthag. 3. capitulo 23. vt nemo in precibus, vel patrem pro filio, vel filium pro patre nominet, & cum ad altare assistitur semper ad patrem dirigitur oratio. Optat. Mileuitanus. l. 3. Paganum, inquit, vocas eum, qui Deum patrem per filium eius ante aram orauerit. Tota autem oratio, & gratiarum actio, quam semper, & vbique debemus, dirigitur & offertur Deo patri per Christum Dominum nostrum, tamquam per mediatorem Dei, & hominum, de quo Apostolus, ait: Vnus est Deus, vnus & mediator Dei, & hominum, &c. Hæc Florus magister in exegefi Missæ. Neque tamen præiudicium filio, vel spiritui sancto comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consummatio dum filij, & spiritus sancti complectitur nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen essentiae, quia dum ad solius patris personam, honoris sermo dirigitur, bene credentis fide tota Trinitas honoratur, & cum ad patrem litantis destinatur intentio, ad sacrificij munus omni Trinitati vno eodemque offertur litantis officio. Hæc grauius Fulgentius lib. 2. ad Monimum. Paucissimæ sane extant orationes, quæ pro comperentia sensus, vt Micrologus loquitur, alia conclusione finiantur, vt illa: Præsta quæsumus, vt natus Saluator, qui tecum viuuit, & regnat. Itē, & illa: Deus, cuius filius in alta cælorum conscendēs: Dominum nostrum Iesum Christum, qui tecum viuuit, & regnat, &c. In qualibet autem conclusione, ait Micrologus, commemorationē sanctæ Trinitatis obseruare solemus, iuxta quod in emendatioribus sacramentarijs expressum inueniuntur. Porro secundum vsum Romanum nullam orationem per eum, qui venturus est, concludimus, nisi in exorcismis. Microlog. capit. 6. & 7. Radulph. Tungrenf. propof. 23. Durand. cap. 15. additur deinde: Qui tecum viuuit, & regnat, in vnitatis spiritus sancti Deus, his verbis, inquit Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, sacerdos monet populum, vt credat Dei filium viuere, & regnare semper sine initio, & sine termino, & vnam potestatem habere æqualiter cum patre, & spiritu sancto, atque vnam substantiam. Hæc verba (in vnitatis spiritus sancti enarrant) Innocent. cap. 23. Durand. cap. 15. Alex. de Ales. 4. par. quæstione 37. de offic. Missæ §. 4. dupliciter, primum (in vnitatis) hoc est vna cum sancto spiritu. Nam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sunt vnus Deus, vel (in vnitatis Spiritus sancti) hoc est in Spiritu sancto, qui est vnitatis Patris, & Filij amor, & connexio vtriusque, sequitur (per omnia sæcula sæculorum) & nos, inquiunt Irenæus l. 1. capitulo primo, & Epiphani. l. 1. tom. 2. hæref. 31. dum in gratiarum actionibus ἐπι ἐυχαρυστίας dicimus: εἰς τὰς αἰῶνας ἡμῶν, in sæcula sæculorum: Hæc verba duplicem interpretationem patiuntur. Quidam enim, auctore Hieronymo in capitulo septimo Epistolæ ad Galat. dicunt, eundem esse sensum in sæculis sæculorum, quem in sanctis sanctorum, in cælis cælorum, in operibus operum, in canticis canticorum, & quam habent differentiam cæli ad eos, quorum cæli sunt, & sancta; quæ sanctorum comparatione sunt sanctiora, & opera, quæ operum prælatione meliora sunt, & cantica, quæ inter cantica vniuersa præcellunt: eandem habere & sæcula, quæ sæculorum oblatione sunt sæcula: futurum sæculum appellatur sæculum sæculi, ait

Eutimius ad Psal. 118. tamquam præsentis sæculo honoratius. Alij, auctore S. August. ad psal. 71. intelligunt in sæculum sæculi, in sæculum, quantum hoc sæculum durat, & in sæculum sæculi, quod post huius finem futurum est. Alcuin. de diuinis offic. capit. de celebrat. Missæ: Aut certe, inquit, accipienda sunt simpliciter sæcula sæculorum, velut consequentia præcedentium, ut continuata sibi connexionione copulentur, quæ dicuntur sæcula sæculorum, donec præsens, quod ex diuersis temporum sæculis contexitur, perueniat ad finem, & succedat futurum sæculum, quod non habet finem. Vtramque interpretationem breuiter complexus est Innocent. 3. d. cap. 26. his verbis: Per omnia sæcula sæculorum, hoc consecutiue, & antonomastice, sicut cantica cantorum. Prætereo Origenem, Ambros. & nonnullos alios, qui de interpretatione horum verborum tractarunt. Ceterum sacerdos collectam dicturus hortatur populum ad orandum, dicens: Oremus. Sacerdos, inquit, Stephanus Eduens. lib. de sacramento altar. cap. 12. exclamat, Oremus, monens se, & alios orare, quia Dominus orauit, & discipulos ad orandum excitauit. S. August. epist. 106. ad Vitalem: Numquid vbi audieritis sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum, non respondebitis, Amen? S. Chrysost. homil. 10. in 2. ad Corinthios: In ijs horridissimis mysterijs communia sunt omnia. Et paulo post: Omnes eandem dicimus, & non sicut in veteri lege partem sacerdos, & partem populus, sed omnibus vnum corpus proponitur, & vnum poculum.

D E V O C E A M E N

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

- 1 Amen, & Alleluia voces Hebraica, non facile in alienam linguam transferri possunt.
- 2 Amen ab initio nascentis Ecclesiæ recitatum fuisse, ostenditur.
- 3 Amen, quid secundum Hieronymum, & alios significet.
- 4 Amen nota conclusionum, & signaculum orationum.
- 5 Amen Thalmudicum triplex vitandum.

INITA collecta, populus, vel chorus responderet, Amen, hæc vox Hebræa est. Amen, & Alleluia omnes gentes Hebræa voce decantant, nec barbaro licet in suam linguam transferre. S. August. epist. 178. lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 10. & 11. & tract. 41. in Euangel. Ioannis: Ab initio nascentis Ecclesiæ populus post recitatas preces, respondebat: Amen. S. Paul. ad Corinth. 14. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum Idiota, quo modo dicet, Amen, super tuam benedictionem. S. Iustin. Apolog. 2. post preces, & Eucharistiã totus cœtus acciuit, Amen. Tertul. de spectaculis cap. 25. Manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare, ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, gladiatori testimonium reddere. Numquid, inquit, August. epist. 106. vbi audieritis sacerdotem Dei, ad eius altare populum hortantem ad orandum, non responderis, Amen? Hieronym. in præfat. ad lib. 2. comment. epist. ad Galat. Romanæ, inquit, plebis laudatur fides, vbi alibi tanto studio, & frequentia ad Ecclesias, & ad Martyrum sepulchra concurritur, vbi sic ad similitudinem cælestis tonitru, Amen roboat, & vacua idolorum templa quatuntur. Hoc ipsum veteri testam. Moyse madata Dei enarrante, fieri consueuisse, apparet Deut. 27. & 1. Paral. 16. ibi: Et dicat omnis populus: Amen, vbi glossa ordinaria, sacerdotibus orantibus, omnis populus: Amen, ut concordet in precibus pia sacerdotum intentio, & populij sanæ deuotio. Amen quandoque est aduerbium affirmandi, quandoque optandi. S. Bern. sermone 7. in cœna Domini: Quare Amen quidam *αμηνισμους*, hoc est vere, & fideliter interpretantur? Symmachus, Aquila, & Theodotion passim, Origenes tract. 35. in Matth. & in epist. ad Romanos cap. vltimo. Hieron. epist. 137. ad Marcellam. S. Aug. varijs in locis. S. German. in theoria rerum Ecclesiastic. Isidorus lib. 6. Originum capitulo 19. Quod etiam in Euangelio a Salvatore semper assumitur, sua, per Amen, verba firmante. S. Hieron. in capitulo 1. epistolæ ad Galat. S. Ambros. libro primo, capitulo nono, de ijs, qui initiantur mysterijs: Et tu dicis. Amen, hoc est verum esse, quod os loquitur, mens interna fateatur. Alij, ut 70. vertunt.

γένοιτο

γένοιτο, id est fiat. Iulius Primus Pontifex Romanus in rescripto contra orientales pro Athanasio capit. 1. S. Hieronym. d. epist. ad Marcellam, & epist. 134. ad Sophronium: Amen. Hebraicum, ait Iust. Apolog. 2. idem est, quod fiat, etsi enim, Amen, proprie *γένοιτο*, vel fiat non significet: tamen sic vertendam eam vocem veteres censuerunt, quod per eam optetur perfectio eorum, quæ dicta sunt. Quare vis eius non poterat melius exprimi. Itaque, ait Bernard. dicto sermone 7. in cœna Domini, cum dicitur in fine orationum: Per omnia sæcula sæculorum, sensus est: Quod rogas Dominum, hoc optamus. Solet hæc vox, Amen, esse nota conclusionum, & signaculum orationum, ut precatiois Dominicæ Matth. 6. Hinc notat Genebrardus homo imprimis Græcis, & hebraicis litteris eruditus ad psal. 41. hanc particulam in singulis libris Psalmorum repeti ad maiorem confirmationem, & inflammandum pios in Dei laudes, & gratiarum, psalmi siquidem Dauid in quinque libros diuiduntur, quos distinguit, & numerat S. Hieronym. ad d. Psal. 41. In fine vero cuiusque libri vox, Amen, occurrit. Thalmudici, triplex dicunt esse Amen, pupillū, surreptitium, & scitile pupilum. Rab. henn. interpretatur: Pupillū cum quis precatione tenetur, nec intelligit, quod respondet: Surreptitium cum surripit, & dicit, Amen, antequam absolatur precatio: Scitile, cum fecat in duas partes, nempe oscitanter audiens, & alias res agens. Vtinam, ait Canninius, Christiani in Ecclesia, amen non pupillum, non furtiuum, non scitile, sed pium ac legitimum responderent, sic enim fieret, ut & attentius sacras preces audirent. Plura de hac voce, Amen Sanctus Pagninus in thesauro, & ceteri qui dictionaria Hebraica ediderunt.

D E E P I S T O L A

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

- 1 Epistolas in Missarum sollempnjs temporibus Apostolorum lectas fuisse docent patres.
- 2.5 Epistolam legendi consuetudo fuit perpetuo seruata in Ecclesia, idq. patrum testimonijs comprobatur.
- 3 Hieronymus epistolas per totum anni curriculum legendas collegit.
- 4 Epistola lecta in Ecclesia, ex qua scripturarum parte petita fuerint.
- 5 Epistola cur ante Euangelium legatur.
- 6 Lectiones Apostolicas in Ecclesia quis primus statuerit.
- 7 Lectiones Apostolicas quibus in Ecclesia ministris committi debeant.
- 8 Epistola dum legitur sedet Episcopus, sedent ministri, sedet & populus.
- 9 Sedendi in Ecclesia ordo veterum Christianorum.

APOSTOLORVM sæculo, scripturas sacras legere in Missarum sollempnjs consuetum, præclarissimis testimonijs comprobatur. Primum cano. 9. Apost. in hæc verba: Quicumque fideles Ecclesiam ingrediuntur, & scripturas audiunt, neque apud preces, & sanctam communionem permanet, eos tamquam inordinatum quippiam perturbationemq. faciētes, a communionem arceri oportet, Canon. quicumque de consecrat. distinct. 1. Item S. Dionys. de Ecclesiast. hierar. capitulo 3. ibi: Ministrorum officio, sanctarum scripturarum lectio recitatur, S. quoque Clem. 1. 2. constituit. Apost. capitulo 57. In medio autem lector ex loco edito legat libros Moyse. Et postea: Deinde acta nostra legantur: Item epistolæ Pauli. Et paulo post: Postea Diaconus, aut presbyter Euangelia legat. Nec non S. Iustin. Apolog. secunda: Die, qui solis dicitur, omnes qui in oppidis, vel agris morantur, vnum in locum conueniunt, commentariaq. Apostolorum, vel Prophetarum scripta leguntur, quamdiu hora patitur. Dionys. item Corinthius epistola ad Soterum Pap. quæ legitur apud Eusebium libro quarto. histor. Ecclesiast. capitulo vigesimosecundo, Et Nicephor. 1. 4. capitulo 8. palam facit, veteri instituto, & antiqua consuetudine, Clemētis epistolam, in Ecclesijs legi solitam: hunc morem in Ecclesia perpetuo retentum, ex sanctorum patrum monumentis testes locupletissimos excitabo. Tertull. in Apologet. capitulo trigesimo nono: Cogimur ad diuinarum litterarum commemorationē, & libro de anima, prout scriptura leguntur. Damasus Papa epist. 2. ad Hieron. in die Dominica Apostoli epistola vna recitetur, cuius loci argumento, Vualfrid. Strabo de reb. Ecclesiast. capitulo vigesimosecundo, O 2 credit,

credidit, initio folius Pauli epistolas legi consuetum, postea vero aliæ lectiones nedum de nouo, verum etiam de veteri testamento, prout festorum ratio poscebat, intermixtæ sunt. At longe ante Damasum, nedum Pauli, sed etiam aliorum Apostolorum, & prophetarum, nec non Clementis epistolæ, & scripturæ legebantur, vt ex primarijs religionis nostræ statim docui. Huius etiam lectionis meminit S. Paul. 1. Thessal. Adiuro vos per Dominum, vt legatur hæc omnibus sanctis fratribus, & ad Coloss. 4. Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite vt & in Laodicensium Ecclesia legatur: meminit & S. Ambros. epist. 33. his verbis: Sequenti die (erat autē Dominica) post lectiones atque tractatum, dimissis Cathecumenis symbolum, aliquibus competentibus in baptisterijs, tradebam basilicæ. Et paulo post: Ego tamen mansi in munere: Missam facere cœpi, & in præfatione ad psalmos: Quantum laboratur in Ecclesia, vt fiat silentium cum lectiones leguntur: & lib. 1. offic. capit. 10. Primū igitur officium est loquendi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur, hæc reuerentia exhibetur, cum scripturæ diuinæ leguntur. Optatus Mileuit. libro 6. contra Parmen. Pollutos, inquit, vocas quia furtiuas vobiscum non legimus lectiones, legere si potestis: vt quid audetis epistolas ad Corinthios scriptas legere, qui Corinthijs communicare noluitis? vt quid ad Galatas, ad Thessalonicenses scriptas recitatis? in quorum communionem non estis. S. August. de ciuitate Dei libro vigesimo secundo, capitulo 8. Facto tandem, ait silentio, scripturæ sunt lecta diuina sollempnia: & sermone 236. lectiones diuinorum eloquiorum, cum recitarentur audiuius: Lectio prima prophetica quid nobis commendauerit, me commemorante recolite: & sermone 10. de verbis Apostoli: Primam lectionem audiuius Apostoli. Et paulo post: Hoc de Apostolica lectione percipimus. Deinde cantauimus psalmum, post hæc Euangelica lectio. Idem August. sermone trigesimo tertio, de verbis Domini: Lectiones sanctæ propositæ sunt, & quas audiamus, & de quibus aliquid sermonis adiuuante Domino proferamus. In lectione Apostolica gratiæ Deo aguntur, de fide gentium, vtique Deo, quia ipse fecit in psalmo diximus: Deus virtutum conuerte nos. In Euangelio, ad cœnam vocati sumus, & c. Anastasius Nicænus Episcopus, in libro quæstionum, in scripturam, quæstione 90. ex Maximo monacho, quæ post eam sunt lectiones, significant diuinam voluntatem, in qua oportet omnes erudiri, & ex ea vitam agere, & conuersari, S. Chrysostom. homil. 19. in capitulo 9. Act. Stat minister, communis minister alta voce clamat, ac dicit: Attendamus. Hæc communis Ecclesiæ est, quam ille emittit, & nullus attendit. Post illam, incipit lector prophetiam Isaiæ, & c. S. Leo sermone 4. de Quadragesima: Prædicaturus verbis, ait Leo, dilectissimi sacratissimum, maximumq. ieiunium, quo aptius vtar exordio, quæ, vt verbis Apostoli, quo Christus loquebatur, incipiam, dicamq. quod lectum est? Ecce nunc tempus acceptabile, Iustinianus item, Nouella 7. de non alienâdis. §. quia vero, ibi: In quibus, & altare collocatum est, & sacrum exhibitum est ministerium, quale moris est, in sanctissimis Ecclesijs celebrari: sacris quippe lectis scripturis, & sacrosancta, & ineffabili communione tradita. Accedant quæ Seuerus Sulpitius lib. 3. de vita S. Martini scripta reliquit, in hæc verba: Ambrosius Mediolanensi ciuitati præerat Episcopus, cui celebranti festa Dominicæ diei, ista erat consuetudo, vt veniens lector, cum libro non ante legere præsumeret, quàm nuntus sanctissimus præcepisset: factum est autem, vt ista die Dominica, prophetica lectione iã lecta ante altare astante qui lectionem S. Pauli proferret, beatissimus antistes Ambros. super altare obdormiret. His addēdus est S. Germanus in theoria rerum Ecclesiasticarum: Post tertium sanctum hymnum, inquit German. legitur liber Apostolicus. In Concil. Tolet. 4. capit. 11. in quibusdam Hispaniarum Ecclesijs, laudes post Apostolum decantantur, priusquam Euangelium prædicetur, cum canones præcipiant, post Apostolum non laudes, sed Euangelium annunciari. & Concil. 1. Bracharen. can. 20. Placuit, vt per sollempnium dierum vigiliis, vel

3 Missas, omnes easdem, & non diuerfas lectiones in Ecclesia legat. Lectiones per totum anni curriculum ex Prophetis, & Apostolis S. Hieron. collegit, in lib. qui lectionarius, vel comes S. Hieronymi inscribitur, apud Pamel. tomo 2. liturgicon: huius lectionarij mentionem faciunt Microlog. de Ecclesiast. obseruat. c. 25. Honorius in gemma Animæ lib. 1. c. 88. Berno de quibusdam rebus ad offic. Missæ pertinentibus. c. 2. Quæ omnia lectionem epistolarum, in

4 Missæ sacro, solis luce clarius patefaciunt, & illustrant. Ceterum epistola quandoque sumitur de veteri testamento, quandoque de nouo: Ioānes enim, auctore Innocentio l. 2. myster. Missæ cap. 29. fuit limes præcedentium, & subsequēntium, ac medius inter Apostolos, & Prophetas: Nam lex & prophetæ vsque ad Ioannē. Quid est lex, ait Iustinus martyr, quæst. 101. Euangelium quod prædictū est: quid Euangelium, lex quæ completa est. S. Aug. quæst. 33. in

Numeros:

Numeros: Eadem sunt in veteri, & in nouo: sed ibi adumbrata, hic reuelata, ibi, præfigurata, hic manifestata. Et de Carechizandis rudibus: In veteri testamento est occultatio noui, & in nouo est manifestatio veteris. In Dominicis tamen diebus, epistola ex nouo testamento legi consuevit, ea, vt conijcio, ratione quod iam sumus sub lege gratiæ, quæ post resurrectionem, quam dies Dominicus repræsentat, vniuerso orbi illuxit. Epistola item ante Euangelium legitur varijs rationibus: prima, quod epistola designat officium, quod ante Christum Ioannes exercuit: Præiuit enim ante faciem Domini parare vias eius: hanc primam rationem pluribus confirmant Rupert. lib. 1. cap. 32. Innocent. d. cap. 29. Alex. de Ales. 4. par. quæstione 37. de offic. Missæ. §. 5. & Durand. in Rational. Altera est Alcuini, capitulo de celebrat. Missæ ad morem scilicet Apostolorum, qui ante Dominum ibant, sicut dicit Euangelium, quod mittebat Dominus ante se binos, & binos. Tertiam meditaturs est Simeon Thessalon. in libro de mysterijs Missæ, capitulo 22. Is enim enarrans morem, hac in parte, nedum Latinorum, sed & Græcorum, ait quod Deus non fecit simul omnem potentiam, & bonitatis suæ manifestationem, sed minorem prius, & postea maiorem. Quæ autem per se locutus est, quæ in Euangelio continentur perfectiorem manifestationem continent, inquit ille, quàm quæ per Apostolos locutus est. Addit Nicolaus Cabasilla, in expositione liturgiæ capitulo 22. quia, inquit, non repente, & vno simul tempore apparuit hominibus Dominus, quanto erat robore, & quanta bonitate. Hoc enim est secundi eius aduentus, sed via procedens ab eo, quod est minus apertum, ad id quod est manifestius processit: ea de causa, eos, qui eius ostensionem paulatim fuisse factam volunt ostendere, apostolica legere ante Euangeliā est consentaneum. Postrema ex Vualfrid. Strabone de rebus Ecclesiast. capit. 22. anteponitur in ordine epistola Euangelio, etsi inferior dignitate, vt ex minoribus animus audientium ad maiora sentienda proficiat, & gradatim ab imis ad summa conscendat. Quis vero lectiones Apostolicas ante celebrationem sacrificij statuerit, hæret idē Vualfrid. Strabo. Honorius vero in gemma animæ, capitulo 88. Alexandrum Pontificem, huius institutionis auctorem facit. At ex sancto Iacobo in liturgia, Dionysio, Clemente, & Iustino, qui Alexandrum præcesserunt, perspicuum fit, epistolas, & Euangeliā legi consueuisse: solis vero subdiaconibus, inter inferiores gradus Romana auctoritas concedit, vt sacris vestibus induti epistolam legant ad Missam, adeo vt potius sacerdos ipse epistolam legere debeat, quàm pati, vt inferiores subdiaconibus id exequantur. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. capitulo 8. Berno capitulo 8. de offic. Missæ. Alexand. de Ales. d. artic. 5. Radulph. Tungrenf. de canonum obseruant. propos. 23. can. si subdiaconus, distinet. 34. Glossa, & Doctor plene in capitulo, vt quisque de vita, & honestate clericor. Porro dum legitur epistola sedet Episcopus, sedent & ministri, cuius instituti speciosas causas proferunt, Amalarius Fortunatus, l. 3. de Ecclesiast. offic. capitulo 10. Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ, capitulo 34. Durand. in Rational. libro 4. capitulo 18. sedere solet & populus. Rupert. lib. 1. capitulo 32. Durandus, in Rational. capitulo de epistola: Græci tamen ad lectionem epistolæ minime confident. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 9. sedendi in Ecclesia veterum Christianorum ordinem docet S. Ambros. ad epist. 1. ad Corinth. capitulo 14. enarrans verba Pauli: Potestis enim per singulos prophetare, & c. Hęc traditio, inquit, est Synagoga, quam nos vult sectari, quia Christianis quidem scribit, sed ex gentibus factis. Non ex Iudæis, vt sedentes disputent, seniores dignitate in Cathedris, sequentes in subsellijs, nouissimi in pavimento super mattas. Optatus vero lib. 4. innuere videtur vetitum populo in Ecclesia sedere: Populus, ait, in Ecclesia sedendi non habet potestatem.

DE GRADVALI, SEV RESPNSORIO

CAPVT DECIMUMNONVM.

- 1 Graduale inter epistola, & Euangelij lectionem decantandum, cur agre ab Hispanis receptum sit.
- 2 Graduale penitentiæ lamentum insinuat, & vnde dictum sit.
- 3 Responsorium in officio Missæ Graduale appellatur.
- 4 Graduale a gradibus.
- 5 Responsorja vnde dicta.

O 3

6 Responsorij

- 6 *Responsorij meminerunt Patres non pauci.*
7 *Gradualis primus institutor.*

- 1 **N** Concil. Tolet. 4. capit. 11. diferte vetitum fuerat, in Missa laudes inter epistolæ, & Euangelij lectionem decantari: eoq. argumento cum Graduali, & Alleluia, inter Apostolicam, & Euangelicam lectionem cœpissent frequentari, Hispani, nouitate rei percussi, diu & fortiter restiterunt, Berno Augiensis lib. de quibusdam rebus ad Missam spectantibus, capit. 1. hoc tamen postea vsu Romano commendatum ad omnes Latinorum peruenit Ecclesias. Vualfrid. Strabo. de reb. Ecclesiast. cap. 22. Graduale vero poenitentiæ lamentum insinuat. Ruper. lib. 1. de diuinis offic. c. 34. Innocent. lib. 2. myster. Missæ cap. 31. in Ambrosiano officio responsoria appellantur psalmi. Radulph. Tungrensis. de canonum obseruantia, propos. 12. in Romano officio, Missæ responsoria dicuntur, Gradualia pro distinctione aliorum responsoriorum, quæ horis canonicis cani consueuerunt, hæc enim psalluntur vbicumque clerus voluerit. Gradualia vero in gradibus: hæc expositor ordinis Romani. Graduale, inquit Rab. lib. 1. de inst. clericor. cap. 33. ideo dicitur, quia iuxta pulpiti gradus cantatur, mystice a gradibus humilitatis, utpote illi conueniens, qui necdum ascendit de virtute in virtutem: sed adhuc in valle lacrymarum positus, iam tamen ascensiones in corde disposuit. Rupert. Innocent. & Durand. vel Graduale dicitur, quia per gradus virtutum ad hoc peruenitur, auctore Stephano Eduensi, de sacram. alta. c. 12. Rab. Maur. lib. 1. de inst. clericor. c. 33. Responsoria ab Italis manifeste, eoq. nomine appellata, quod vno canente chorus consona voce respondeat, Prodidit Isid. lib. 6. Ethimolog. c. 19. & lib. 1. de Ecclesiast. offic. c. 8. quem toridem verbis sequitur Raban. lib. 2. de instit. cleric. c. 15. vel responsoria dicuntur, quia lectioni respondere, id est consonare, seu conuenire debent, ut si lectiones fuerint ex libris Geneseos, aut Regum, aut Actuum Apostolorum, Responsoria sint regulariter de eisdem: hæc de Turre Cremata ad Regulam S. Benedicti, tract. 66. Amplius responsorium, quod epistolâ sequitur, assensum significat auditorum, vnde ait Hugo de sancto Victore, in speculo Ecclesiæ, c. 7. Responsorium nominatur. Rursus responsorius cantus, auctore Raban. lib. 1. de instit. cleric. c. 33. inde dicitur quod alio desinente, alter respondeat. Alcuinus vero de diuinis offic. c. de celebrat. Missæ, responsorium dictum scripsit, quod a capite repetatur. At in ordine Romano, de officio Missæ, responsum dicitur a respondendo, eo quod vni inchoati vnitur, ut laudem vniuersus referat populus Domini: librum autem, quo responsoria exarata leguntur, responsoriale appellat Amal. Fortun. in prologo de ordine Antiphonarum, quo in lib. plura de responsorijs. Responsorij meminisse videtur S. Hilar. ad Psal. 65. his verbis: Audiatur orantis populi consistens, quis extra Ecclesiâ vocem spectet celebres hymnorum sonitus, & inter diuinorum quoque sacramentorum officia, responsionem deuotæ confessionis accipiat. Item Gregor. Turon. histor. Francor. libro 8. capitulo 3. Interea iam medio prandij peracto, iubet rex, ut Diaconum nostrum, qui ante diem, ad Missas, psalmum responsorium dixerat, cauere iuberem. Gradualis institutionem quidam S. Gregorio attribuunt. At ante Greg. Cælestinum Papam gradualia instituisse auctores sunt Sigibert. ad annu 426. 688. Rupert. lib. 2. de diu. offic. c. 21. Berno c. 25. de off. Missæ.

DE הללויה HALLELVIAH.

CAPVT VIGESIMVM.

- 1 *Alleluia cantatur post Graduale, quia post luctum sequitur consolatio.*
2 *Alleluia cur ab omnibus Hebraice decantetur.*
3 *Alleluia quid proprie significet.*
4 *Psalmi alleluatici qui sint apud Augustinum.*
5 *Alleluia quoties, & quo tempore.*
6 *Alleluia cum ad Dei laudem prouocet, cur non semper canendum.*
7 *Alleluia cur reuocetur in Quadragesima, cum laus tibi Domine continuatur eodem tempore.*

- 1 **R**OST luctum sequitur consolatio. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, & ideo aiunt Innoc. 1. 2. myster. Missæ c. 32. & Durand. in Ration. lib. 4. c. 20. post Graduale cantatur alleluia, lætitiæ canticum, post luctum poenitentiae decantatum ab Angelis

Angelis, Apocalyp. 19. illud vero auctore Amalarius Fortunatus libro tertio de Ecclesiast. offic. cap. 13. tam lætitiæ electorum, quam laudem Domini ad memoriam reuocat. Est autem הללויה Halleluia, non Græcum, ut Beda credidit, sed Hebraicum vocabulum, quod auctore August. epist. 178. nec Latino nec barbaro licet in suam linguam transferre, quin omnes gentes hebræo vocabulo decantant, idq. eodem Augustino auctore lib. 2. de doctrina Christiana cap. 10. quem Isidorus sequitur lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 13. & lib. 6. Etymolog. cap. 19. propter sanctiorem auctoritatem, quamuis interpretari potuissent: scribitur autem in hebræo cum aspiratione ante, & post varias huius vocis interpretationes commemorant Durand. d. cap. 20. & de Turre cremat. in can. Hi duo hymni de consecrat. dist. 1. & ad caput 10. Regulæ sancti Benedicti, tractat. 72. Nonnullas alias profert S. Germ. in theoria rerum Ecclesiastic. Alleluia collaudare interpretatur Iust. Martyr. quæst. 50. ad orthodoxos. At simplex & aperta huius vocis significatio est laudare Dominum. Theodoretus ad psal. 146. Hic manifesto discimus interpretationem Alleluia, Laudate enim Dominum, Alleluia hebræus dicit. Idipsum docet S. August. tractat. 8. expositionis in epist. S. Ioannis, & sermo. 151. de tempore, & ad psal. 105. & 148. הללויה enim laudare significat. הללויה Iah vero apud hebræos vnū de decē Dei nominibus est. S. Hiero. epist. ad Marcellam 137. Alleluia, aiunt Ambros. psal. 118. & Isidorus d. cap. 13. 4 laus Dei. Alleluaticos psalmos legimus apud August. psal. 105. & alleluaticum melos apud Vistorem lib. 3. de persecutione Vuandalica, & Alcuinum de diuinis offic. feria 6. 5 quæ est parasceue. Alleluaria cantica apud Balsam. ad can. 106. Concil. Carthag. fuere qui scripserint, Romanos Alleluia semel tantum singulis annis prima die paschalis festi canere consueuisse. Sozomen. lib. 7. histor. Ecclesiastic. cap. 19. lib. 9. histor. tripart. cap. 39. Nicephor. lib. 12. cap. 34. At S. Augustinus epist. 119. ad Ianuar. cap. 15. testatur vsu receptum, omnibus diebus dominicis Alleluia ad altare canere, & cap. 17. Vt autem, inquit, Alleluia per illos solos dies 50. in Ecclesia cantetur, non vsquequaque obseruatur. Nam & in alijs diebus varie cantatur alibi. Ipsis autem diebus vbique: & epist. 86. ad Casulanum: In omnibus Ecclesijs diebus 50. post Pascha vsque ad Pentecostem maxime Alleluia decantari S. Hier. initio lib. aduersus Vigilant. arguit Vigilant. qui affirmabat Alleluia numquam in paschate cantandum in Africanis regionibus. Inquit Isidor. lib. 1. de Ecclesiastic. offic. cap. 13. non omni tempore sed tantum dominicis diebus, & 50. post Domini resurrectionem Alleluia cantatur, pro significatione futuræ resurrectionis & lætitiæ. Verum apud nos, secundum antiquam Hispaniarum traditionem, præter dies ieiuniorum vel quadragesimæ omni tempore canitur Alleluia. Scriptum est enim: Semper laus eius in ore meo. In Ecclesia quoque Romana Alleluia extra Pentecostes tempora ad missas dici consuetum testatur S. Gregor. lib. 7. epist. 63. quæ laudat Amalar. Fortunat. lib. 4. cap. 33. idque e Hierosolymorum Ecclesia, ex S. Hieron. traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ idem Gregor. scribit. Benedictus in Regula cap. 15. omni, inquit, dominica extra quadragesimam cantica matutini prima, tertia, sexta, nona. cum Alleluia dicantur: & paulo ante: A pentecoste vsque ad caput quadragesimæ, id est vsque ad septuagesimam, omnibus noctibus, cum sex posterioribus psalmis tantum ad nocturnos dicatur. Quandoque tamen Alleluia intermittitur in Quadragesima, & diebus Ieiunij Alleluia cantari vetatur. Concil. Tolet. 4. can. 10. quia, ait Synod. tempus non est gaudij sed moeroris. Late S. August. enarrat in psal. 118. in hæc verba: Propter hæc duo tempora vnum, quod nunc est in tentationibus & tribulationibus huius vitæ. Alterum quod tunc erit in securitate, & exultatione perpetua. Instituta est nobis etiam celebratio duorum temporum ante Pascha, & post Pascha. Illud quod est ante Pascha, significat tribulationem in qua modo sumus: quod vero nunc agimus post pascha, significat beatitudinem, in qua postea erimus. Ante pascha ergo quod celebramus, hoc & agimus: post pascha autem, quod celebramus, significamus quod & nondum tenemus. Propterea illud tempus in ieiunij & orationibus exercemus, hoc vero tempus relaxatis ieiunij, in laudibus agimus: hoc est enim Alleluia quod cantamus, quod Latine interpretatur, ut nostis, Laudate Dominum, &c. In diebus item septuagesimæ, ante pascha, quia sunt dies luctus & poenitentiae. Alcuinus de diuinis offic. cap. de septuagesima, Raba. Maur. lib. 2. de instit. cleric. capitulo 41. Iuo Carnoten. sermo. de sacramentis dedicat. canon. hi duo hymni. de consecrat. distinct. 1. præclare S. Bernard. sermo. 1. in septuagesima ad finem: pro his enim septem quibus ab obseruantia decalogi retardamur, in luctu poenitentiae Septuagesima præsens agitur: vnde & reticetur

reticetur interim Alleluia sollempne, & humanæ transgressionis historia miserabilis ab exordio recensetur. In vigilijs item festiuitatum, in officio Missæ festiuissimum Alleluaticum melos intermittitur, sicut alijs ieiuniorum diebus, nisi forte Dominica dies fuerit, quam nullo tempore ieiunare, sed semper festiua esse, Dominicæ resurrectionis auctoritas cogit. Alcuin. de diuinis offic. c. de feria. 6. quæ & parasceue. In vespertinali tamen officio passim canitur Alleluia. Amalar. Fortunat. de ordine Antiphonarij capit. 52. Ad hæc in Missa pro defunctis Alleluia reticetur. Amalar. Fortunat. lib. 3. c. 44. antiquitus tamen Alleluia decantari in exequijs defunctorum, aperte indicat S. Hieron. in epitaphio Fabiolæ, his verbis: Sonabant psalmi, & aurata tecta templorum reboans in sublime quatiebat Alleluia. Et proxime antea: Et iam fama volans tanti prænuncia luctus, totius vrbs populum ad exequias congregabat: sonabant psalmi, &c. Quod & probat Balsamon ad canon. 106. Concil. Carthag. hoc loco iniicitur quibusdam scrupulus, ac dubitatio, cum enim Alleluia significet, Laudate Dominum, & nullo tempore laudatio Dei intermittere debeat, cur intra septuagesimam, nec non ieiunij tempore Alleluia præmittitur, accedat, quod tempore quadragesimæ singulis diebus in diuinis officijs Ecclesia concinit? Laus tibi Domine, quod nihil aliud est, quam Alleluia. Cornelius Ianfenius in concordant. Euang. cap. 10. hanc difficultatem præfagiens, ait: Alleluia seruatum ab Hebræis, & si nihil aliud sit, quàm laudate Dominum, quod peculiaris sit illa vox Hebræis, ad prouocandum sese in laudem Dei. Ego vt hunc scrupulum euellam, obseruandum moneo, quod August. notat ad Psal. 106. moris esse cantare sollempniter Alleluia certo tempore secundum antiquam Ecclesiæ traditionem, idq. auctore Augustino, non sine sacramento. Addit August. certis quidem diebus cantamus Alleluia, sed omni die cogitamus. Hic enim hoc verbo significatur laus Dei, etsi non in ore carnis certe, in ore cordis, semper laus eius in ore. Psal. 33. Deinde, licet Alleluia idē sit quod laus, vel laudatio Dei, ea tamen vox, quæ plena gaudij est, & omnis exultationis supra laudē notat, auctore S. Thoma post Glossam in c. 19. Apocal. ineffabilitatē ipsius laudis, quod & textus Apocal. aperte indicat, vbi post vocem Alleluia subiicitur: Laus, & gloria, & virtus Deo nostro. Quare Ecclesia in diebus mœroris, & pœnitentiæ Deum voce communi laudat, in diebus vero exultationis voce consolationis, & lætitiæ communis, quæ gratissima laus est perfectissimiq. affectus in Deum explicatio, quo nomine plerique Psalmorum inscripti sunt. Aliam rationem affert Amalarius Fortunatus lib. 4. cap. 2. quia cum Latina lingua humilior sit Hebræa, admonemur nos debere informari ad humiliorem conuersationē in tempore Septuagesimæ, quàm alio tempore. Non est prætereundum, Paulam illam sanctissimam Virginem Deo consecratas ad collectam seu chorum vocasse hac voce, Alleluia. S. Hieron. in Epitaphio Paulæ ad Eustochium: Hodie in Monasterijs Virginum dici solet, Ave Maria.

DE TRACTV

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

- 1 *Tractuum auctor quis primus fuerit.*
- 2 *Tractus unde dicatur, & quid significet.*
- 3 *Alleluia, quid differat a tractu.*
- 4 *Tractus in quo distinguatur a responsorio.*

TRACTVVM auctorem Gelasium credidit Rupert. Tuitiens. lib. 2. de diuinis offic. cap. 21. At Berno de offi. Missæ cap. 25. Cælestinum tractus, & Gradualia composuisse scribit. Tractus vero a trahēdo dicitur, eo quod tractim (qua voce, & Plautus, & Nonius vtuntur) cantetur: & significat gemitum sanctæ Matris Ecclesiæ, auctore Alcuino de diuinis offi. c. de Septuagesima, quia inquit Hugo a sancto Victore in speculo Ecclesiæ c. 7. sancti spirantes ab imo pectoris gemitum trahunt, qui licet spe gaudeāt, vt monet Alleluia, tamen in hac lacrymarum valle commorantes gement flebiliter: vel, ex sententia Innocentij libro 2. myster. Missæ c. 32. Tractus cum asperitate vocum, tum prolixitate verborum miseriam præsentis incolatus insinuat. Rursus tractus, ait Steph. Eduensis, de sacramento altaris c. 12. qui, tacito Alleluia, in quibusdam temporibus decātur, significat gemitus, & suspiria pœnitentiū in valle

valle lacrymarum, qui gement, & suspirant, & gaudio ciuium supernorum congratulatur, vt ita irriguum inferius, sursum fluens irriguo superiori misceatur. Ceterum הַלְלוּיָהוּ halleluia, distat a tractu, quod Alleluia lætitiā siue laudem Domino, tractus vero aliquando tribulationem, aliquando lætitiā sonat. Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 14. tribulationem, eodem Fortunato auctore, vt De profundis, Qui habitat, Ad te leuauit, Super flumina Babilonis, Sæpe expugnauerūt: lætitiā, vt, Iubilate Domino, Qui confidunt in Domino, Laudate Dominum Ruper. lib. 4. cap. 6. Verum hæc inuicem pugnare videntur. Qui enim fieri potest, vt tractus aliquādo lætitiā sonet, cum tractus gemitus, & lacrymas significet? Huic dubitationi occurrit Durand. in Ration. lib. 4. capit. 20. quod quandoque lacrymæ intercedūt ratione superni gaudij, & irrigui superioris, & tunc tractus lætitiā significat. Quandoque miseriam nostrā. Ergo & tunc tribulationem. Plura de irriguo inferiori, & superiori S. Gregor. lib. 3. Dial. cap. 34. Item inter tractum, cui nemo, & responitorium, cui chorus respondet, hoc interest, quod inter duo sacrificia, scilicet columbarum, & turturum. Quod pluribus enarrat Amalar. Fortunat. lib. 3. cap. 12.

DE PROSA, SEV SEQUENTIA.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

- 1 *Prosa qui meminerint scriptores, & quid apud Ecclesiasticos significet.*
- 2 *Sequentiæ seu prosa primus inuentor.*
- 3 *Robertus Rex Galliarum sequentias nonnullas composuit.*



PROSAE meminerunt Varro lib. 9. Quintilianus lib. 5. cap. 10. A. Gellius lib. 10. cap. 18. & Isidorus lib. 1. Etymolog. cap. 37. In officijs Ecclesiasticis prosa sequentiam significat, olim iubiliatio sequentia dicebatur, vt in ordine Rom. circa principium: Sequitur iubiliatio, quam sequentiam vocant. Hæc iubiliatio, quam sequentiam vocant, illud tempus significat, vel vt loquitur Amalar. Fortunat. statim illud ad nostram mentem ducit, quando non erit necessaria locutio verborum, sed sola cogitatione mens menti monstrabit, quod retinet in se. Hæc Alcuinus de diuinis offic. cap. quid significant vestimen. Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 10. Hugo a sancto Victore in speculo Ecclesiæ capit. 7. Vulgo creditur, Nogerum Abbatem S. Galli primum sequentias composuisse. Eas vero in Ecclesia cantari, Nicolaum Papam constituisse. Ioannes Belet in explicatione diuinorum officiorū cap. 38. Honorius in gemma animæ lib. 1. cap. 88. Tritemius de scriptoribus Ecclesiæ. Hic vero Nogerus fuit postea Episcopus Leodiensis circa annum Domini 850. At in Ecclesia prosæ quædam leguntur, quæ Ambrosio, & Augustino, qui longo interuallo Nogerum præcesserunt, attribui solent. Robertus Rex Franciæ sequentias, sacraq. responsoria composuit, quæ sequuntur: Sancti spiritus nobis adfit gratia, O Constantia martyr, o Iuda, & Ierusalem. Cornelius centurio, Guillel. de Nauiaco, Paulus Aemilius Gaguin. Tritemius, & ceteri in Roberto. Plura de prosis, & earum auctoribus Durand. in Ration. lib. 4. cap. 22. Clitoveus lib. 4. elucidatorij Ecclesiastici, & Demochares lib. de obseruanda Missarum celebrat. cap. 15.

DE EVANGELII LECTIONE

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

- 1 *Euangelium in Missa legendum esse, patrum testimonio comprobatur.*
- 2 *Festis diebus templa frequentanda, & non theatra.*
- 3 *Euangelij lectionem ad Diaconos pertinere docent patres, reliqua exequuntur Subdiaconi, & alij inferiores ministri.*
- 4 *Euangelium populo explicare, Episcoporum est.*
- 5 *Benedictio datur Diacono lecturo Euangelium non etiam Subdiacono.*
- 6 *Euangelij codicem quo ritu suscipiat Diaconus.*

- 7 Diacono accessuro ad ambonem præcedunt acolyti
- 8 Cerei quid mystice significant, qui Diaconum εἰς τὸν ἄμβωνα comitantur?
- 9 Thuribuli significatio mystica.
- 10 Concionatores quales esse debeant.
- 11 Euangelium lecturus Diaconus, cur in altiorem ascendat locum, & quàm vetus sit hac consuetudo.
- 12 Euangelij veritas palam prædicanda.
- 13 Ambo quid sit.
- 14 Euangelium lecturus cur faciem versus aquilonem vertat, quo ritu populum salutet, & quibus verbis utatur tum ipse tum populus.
- 15 Crucis signo utitur Diaconus lecturus Euangelium.
- 16 Clerus, & populus, audito Euangelij nomine, respondent: Gloria tibi Domine.
- 17 Episcopus ac ceteri, dum legitur Euangelium, stantes esse debent.
- 18 Prædicationem olim populum stans audiebat.
- 19 Emendatur obiter S. Augustini locus.
- 20 Euangelij lectio, qua reuerentia ab omnibus audienda, & de velando capite.
- 21 Euangelium dum legitur, baculi & arma deponuntur, eoque lecto, consuetudo est antiquissima, librum exosculari.
- 22 Euangelij liber in quo honore habendus.

IN Missæ sacro ante sacrificij celebrationem Euangelium legere a primis Apostolorum successoribus constitutum, prodidit Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. Ante synodum Laodicenam desuetum erat, Euangelium sabbato legere, hoc patres corrigentes statuerunt, die quoque sabbati Euangelium cum alijs scripturis legi cano. 16. Synodi Laodicenæ, Anastas. papa 39. circa annum Domini 494. epist. Decret. ad Episcopos Germaniæ, & Burgundiæ, iubet dum sacra Euangelia in Ecclesiâ leguntur, sacerdotes, & ceteros omnes in conspectu sancti Euangelij stantes, Dominica verba attentissime audire, & fideliter adorare, cano. Apostolica de consecrat. dist. 1. in Concil. Valent. Hispaniæ can. 1. Sancti patres inter cetera obseruandum censent, vt Sacrosancta Euangelia ante munus oblationem in Missa Cathecumenorum in ordine lectionum, legantur. S. Ambros. lib. 1. offic. cap. 8. Pulchre, inquit, dum legimus hodie Euangelium, Spiritus sanctus obtulit nobis lectionem, &c. & epist. 75. Audisti frater lectionem Euangelij, in qua decursum est quod præteriens Dominus Iesus vidit a generatione sæculi, &c. in lib. de Helia, & ieiunio cap. 20. Audistis hodie in lectione decursa, quid legio dixerit: quid mihi & tibi est, Iesu fili David. S. Hier. aduersus Vigilant. per totas Orientis Ecclesias, quando Euangelium legendum est, accenduntur luminaria Sole rutilante. Euangeliorum certas quibusque festis diebus lectiones fieri Augustini sæculo apparet ex eod. August. prologo in epist. Ioan. & sermo. 144. de tempore. Leo Papa primus sermo. 3. de Epiphania: Quamuis, inquit, sciam, dilectissimi, quod sanctitatem vestrâ hodiernæ festiuitatis causa non lateat, eamque secundum consuetudinem Euangelicus vobis sermo referauit. & sermo. 5. Cuius facti memoriam placuit honore annuo celebrari, vt dum euangelica historia incessanter recensetur, semper se intelligētium sensibus inferiat salutariferum mysterium per insigne miraculū: Et sermo. 1. de passione Dom. ibi: Euangelicus sermo referauit. Et paulo post: Non aliud sit audisse quæ lecta sunt. Rursus sermo. 13. de passione Domini: Euangelica lectio quæ sacratissimam Dominicæ passionis referauit historiam: In plerisque item alijs sermonibus. Euangelicæ lectionis mentionem facit Saluia. lib. 7. de prouidentia: Si quando, inquit, vsu venit quod scilicet sæpe euenit vt eodem die, & festiuitas ecclesiastica, & ludi publici agantur, quæro ab omnium conscientia, quis locus maiores Christianorum virorum copias, habeat caueae ludi publici, an atrium Dei? & templum magis sectentur antheatrum? dicta Euangeliorum magis diligant, an themelicorum? verba vitæ, an verba mortis? verba Christi an verba mimi? Porro Euangelij lectio ad Diaconos pertinet. Inter Diaconorum officia Euangelij lectio numeratur. S. Hieron. epist. ad Sabinianum Diaconum: Euangelium christi, quasi Diaconus lectitabas. S. Gregor. lib. 4. epist. 44. Astante cuncto clero decernit Diaconos lectionis Euangelicæ officium inter Missarum solemnias exoluere: Psalmos vero ac reliquas,

ac reliquas lectiones per subdiaconos, vel, si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi. In synodo Vasen. ante mille annos cano. 4. Si presbyter aliqua infirmitate prohibente, per se ipsum non potuerit prædicare, sanctorum patrum homilia a Diaconis recitentur. Si enim digni sunt Diaconi, quæ Christus in Euangelio locutus est, legere; quare indigni iudicentur sanctorum patrum expositiones publice recitare? Item in synodo Rhemenfi cano. 4. Et præsentibus cunctis lectæ sunt Epistolæ Pauli, qualiter subdiaconi ministerium est, eundem Apostolum legere, vt officium sibi commissum rectius potuisset. Et postea cano. 5. Lectum est Euangelium, vt Diaconi etiam instruerentur, qualiter Christo, cuius funguntur officio, condigne valerent ministrare. Plane, etsi ad Diaconum pertineat recitare Euangelium in Ecclesiâ, & catechizare, vnde S. Dionys. cap. 3. ecclesiast. hierarchiæ. par. 2. & 3. ait: Diaconos officium habere super immundos, inter quos numerat Catechumenos; docere tamen & Euangelium enarrare spectat ad Episcopum, eodem Dionysio auctore cap. 5. ecclesiast. hier. de sacerdotum perfectionibus perficere, siquidem idem est quod docere. Sanctus Thom. 3. par. q. 67. artic. 1. versiculo ad primum. Ad hæc Diaconus suscepturus codicem Euangelij benedictionem postulat, dicens: Iube Domne benedicere. Quomodo enim prædicabunt nisi mittantur? Innocent. I I. cap. 38. in Liturgia S. Basilij: Pontifex benedicit Diacono, Diaconus vero legit Euangelium. In Liturgia quoque S. Chrysof. Sacerdos benedicit Euangelistam, id est lectorem Euangelij, petita benedictione, Pontifex tacite dicit ei: Dominus sit in corde tuo, & in labijs tuis. Hæc in ordine Romano: Quæ verba Amalar. Fortun. lib. 3. de eccles. offic. cap. 18. referens, addit: Intendat diligenter Diaconus, vt cor eius cum Dominicis verbis vadat, & nõ sit infructuosa oratio sacerdotis, Dominum in mente teneat, quem suscipit per benedictionem sacerdotis; & vt non exhalent verba imposita, neue introeat nociua signo crucis facta, manus sacerdotis super caput eius munitur. Hoc loco quæri potest cur potius Diacono Euangelium lecturo detur benedictio, quàm subdiacono dum Epistolam lecturus est. Ruper. lib. 1. de diuinis offic. cap. 36. & Hugo a Sancto Victore lib. 2. de officijs ecclesiastic. cap. 20. discriminis rationem eam proferunt, quod Deus legem, & Prophetas inuisibilis inuisibiliter misit, Apostolos autem, & Euangelistas, quorum in hoc saltem enunciandi Euangelij munere Diaconus personam gerit, visibilis factus, & sanctam Ecclesiam sponsam videlicet suam, osculans osculo oris sui, visibiliter misit, & docuit. Suscipiens Diaconus codicem Euangelij, ponit eum in manu sinistra, portatq. eum in sinistro brachio quo, ex sententia Alcuini de diuinis offic. cap. quid significant vestimenta, & Amalar. Fortun. lib. 3. cap. 18. significatur temporalis vita, vbi necesse est prædicari Euangelium. In ordine tamen Romano Diaconus osculans Euangelium, leuat in manus suas codicem, in quo lecturus est; & partem eius in dextero humero ponens, vadit ad ambonem. Accessuro ad ambonem Diacono procedunt ante duo acolyti cum duobus cereostatibus, vt legitur in ordine Rom. de officio Missæ. hos Ioannes Episcopus Citri lib. 3. iuris orient. deputatos appellat his verbis: Deputati autem pallia ferentes cum lampadibus præter sanctum Euangelium, quando in ambonem lectionis causa affertur, &c. εἰ δεποτάτοι δὲ, μὲν ῥορορέντες μετὰ λαμπράδων προπορεύονται, τῶ τε ἀγνῆ εὐαγγελίῳ ἐπὶ τῆ ἀναφύρεται εἰς τὸν ἄμβωνα. Acolytorum officium est cereos deferre ante Diaconum, quando legitur Euangelium in Ecclesiâ, non ad effugandas tenebras, cum Sol in die rutillet: sed ad demonstrandum, quod de tenebris infidelitatis venimus ad lucem fidei; & vt signum sit lætitiæ, quatenus sub typo corporalis luminis, lux illa in memoria habeatur, de qua dicitur: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Hæc Isidor. lib. 7. etymolog. cap. 12. Alcuinus de diuin. offic. cap. de tonsura cleric. concil. Aquisgræ. cap. 5. hoc ipsum longe ante Isidorum docuerat. S. Hieron. aduersus vigilantium: Per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur lumina, iam Sole rutilante non vtique ad fugandas tenebras: sed ad signum lætitiæ demonstrandum. Alibi Alcuinus cap. de celebrat. Missæ prodidit: Cereos, qui Euangelium antecedunt, mouere, gratia Euangelij mundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminatum. Paulo aliter idem Alcuin. cap. quid significant vestimen. per cereostata significantur dona gratiarum, per quæ illuminatur Ecclesiâ. Ordo Rom. de off. Missæ: Duæ candelæ præcedunt Euangelium, propter geminam dilectionem, Dei videlicet, & proximi, vel propter duo testamenta, quibus illuminatur genus humanum, seu propter duos resurrectionis testes, id est Moysem & Heliam. Amalar. item lib. 3. cap. 18. scribit: Duos cereos, qui ante Euangelium deferuntur, designare legem, & prophetas præcessisse Euangelicam doctrinam. Rursus ante Euangelium,

- 9 gelium, & cereos defertur turibulum cum incenso. Romanus ordo præcipit, incensum semper deferri ante Euangelium, siue ad altare siue ad ambonem deferatur. Microlog. de ecclesiast. obseruat. in fine. Berno cap. 10. de offic. Missæ. Turibulum vero significat corpus Christi, in quo est ignis, scilicet Spiritus sanctus, ex quo bonus odor procedit, quem vnusquisque electorum ad se vult rapere. Amalar. Fortun. lib. 3. de ecclesiastic. obseruat. cap. 18. idem Fortun. eodem lib. cap. 5. in hæc verba loquitur: Præuenit in turibulo thymiana, quod significat corpus Christi, plenum odore bono. Significat etiam, eodem Amalar. auctore lib. 3. cap. 18. opinionem bonarum virtutum procedentem de Christo. Ipsum turibulum, ait Amalar. in tribunal ascendit ante Euangelium, vt ibi suauem odorem ministret: Christi enim bona opera præcesserunt Euangelicam doctrinā, vt Lucas testatur. hæc Amalar. Paulo aliter Rupertus lib. 1. de diuinis offic. cap. 36. Præcedunt, inquit, ceropherarij cum turibulo, per quæ significantur gaudium, & bona opinio. Gaudium enim semper est in bono nuncio. Bonæ quoque opinionis se esse nouerunt, qui bonum portant nuncium, qui & confidenter dicunt: Christi bonus odor sumus. Amplius, auctore Innocentio lib. 2. myster. Missæ. cap. 40. Diaconus præmittit ceropherarios cum faculis, & incenso: quia prædicator debet ex se odorem bonæ opinionis emittere, secundum illud Apostoli 2. Corinth. 2. Christi bonus odor sumus Deo in omni loco: vel per hoc quod sacerdos præmittit duos acolytos ante Diaconum, qui lecturus est Euangelium, portantes cereos & incensum, notatur quod Christus præmittit binos ante faciem suam in omnem ciuitatem, & locum, quo ipse erat venturus, præferentes coruscationes, Miraculorum & odorem virtutum. Rursus ideo librum Euangelicum præcedunt turibulum, & candelabrum: quia doctrinam Christi virtus, & fama præibat, Euangelista testante Luc. 4. Exiit Iesus in virtute spiritus in Galilæam, & fama exiit in vniuersam regionem de illo, & ipse docebat in synagogis eorum. Hæc Innocent. Posthæc Diaconus in altiore loco ascendit lecturus Euangelium, idq. varijs rationibus. Prima, vt ab omnibus audiatur, iuxta illud Isaia: Super montem ascende tu, qui Euangelizas sion: exalta in fortitudine vocem tuam. Secunda ad significandum quod veritas Euangeliza enunciari debet, luce, palam ante oculos omnium, non in latibulis occultorum locorum, vt faciunt hæretici. Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicare super terra. Tertia ad commemorationem ascensus Domini in montem, dum docebat turbas Matth. 5. Videns Iesus turbas ascendit in montem. Has rationes profert Alexan. de Ales 4. par. post Innocent. III. lib. 2. myster. Missæ. cap. 43. Duas alias addit Albert. Magnus, plene de Turre cremata in can. Apostolica. de consecrat. distinct. 1. Sexta peti potest a Stephano Eduensi de sacram. altar. cap. 12. Aliquando, inquit, sicut in festiuis diebus pronuntiatur in alto loco, quia iubetur ascendere qui euangelizat sion, & sancti in valle lacrymarum ascensiones in corde suo disposuerunt, quibus gloriam in cælis, sui memoriam in terris meruerunt. Ideoq. in alto, & in publico exclamanda est eorum victoria, vt magis alacres efficiantur in pugna. Alteram affert Amalar. Fortunat. lib. 3. cap. 18. his verbis: Excellentior locus, in quo Euangelium legitur, eminentissimam doctrinam auctoritatem iudicandi signat. Plane hunc Ecclesiæ morem legendi Euangelium in edito loco vetustissimum esse, aperte probat Cyprian. lib. 2. epist. 5. Post verba, inquit, sublimia, quæ Christi martyrium prolucuta sunt, Euangelium Christi legere. Vnde martyres fiunt, ad pulpitem post Catastam venire, illic fuisse conspicuum, gentiliū multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. Item lib. 4. epist. 5. Quid aliud quàm super pulpitem, idest tribunal Ecclesiæ oportebat imponi, vt loci altioris celsitate subnixus, & plebi vniuersæ pro honoris sui claritate conspicuus legat præcepta Euangelij Domini. Quibus locis Cyprianus locum illum editum, in quo Euangelium legitur, pulpitem nec non honoris ergo tribunal Ecclesiæ appellat. Amalar. Fortunat. lib. 3. cap. 18. Vulgo locus ille ambo vocatur. Cassiodorus lib. 10. histor. tripart. cap. 4. de Eutropio agens, Socratis verba Græca in Latinum cōuertens, inquit: Episcopus videlicet Ioannes Chrysoctomus Eutropio sub altari iacente, nimioq. percussio timore residens super ambonem, vbi solebat prius facere consulte sermonem, hominiam increpatoriam fecit aduersus eum. Ecce ambo pro suggestu, vnde Chrysoctomus quo facilius audiretur concionari solebat. Græce vero apud Socratem lib. 6. cap. 5. habetur.
- 13 *καθ' ἑσθ' ὑπὸ τοῦ ἀμβωνος.* Ambo vero vt aiunt expositores ordinis Rom. & Vualfrad. Strabo de rebus ecclesiast. cap. 6. Ab ambiendo dicitur, quia intrantem ambit, & cingit.

Alij

Alij ab ambiendo, quod locus ille gradibus ambiatur. Durād. in Ration. At verius est ambonem vocem esse Græcam, quæ suggestum, seu pulpitem significat. In Synodo Laod. can. 15. *Περὶ τῆς μὴ εἶναι πολλὸν τῶν κληρικῶν λαλῆσαι τὸν ἀμβωνα ἀναβαίνοντων.* Nō oportet præter canonicos cantores, qui suggestum ascendunt. Et apud Ioannem Citri Episcopū lib. 3. iuris oriēt. *εἰς τὸν ἀμβωνα,* vt supra de cereorum gestatione. Ambo, ait S. Germanus in theoria rerū Ecclesiastic. figuram sancti monumenti designat, quem Angelus cum euoluisset ex ostio monumenti, proclamabat resurrectionem Domini vnguentiferis mulieribus. Est autē iuxta prophetam dicentem: In monte campestri tollite signum, ascende qui Euangelizas, & exalta vocem. Mons est enim in loco campestri, & æquali positus. Sane presbyter ad legendū Euangelium in ambonem non ascendit, sed ad sinistrū cornu altaris habet librum, cum legit Euangelium, vel cū sacrificat. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 9. Radulph. de can. obseruat. propos. 23. Tandem lecturus Euangelium faciem suam versus Aquilonem apponit. Alcuinus de diuin. offic. c. de celebr. Missæ, verba Euangelij Leuita pronuntiaturus contra septentrionē faciem vertit, vt ostendat verbum Dei, & annūciationem Spiritus sancti contra eum dirigi, qui semper Spiritui sancto contrarius existit. Et postea: Sicut enim per austrum, qui ventus est calidus, & leuiter flat, Spiritus sanctus designatur, qui corda, quæ tāgit, ad amorē dilectionis inflamat: ita & per Aquilonē, qui durus, & frigidus est, Diabolus intelligitur, qui eos, quos possidet, ab amore charitatis, atque dilectionis torpentes, & frigidus reddit. Quod enim per Aquilonem Diabolus designetur, ostendit propheta. Isai. 14. dicens: O Lucifer qui dicebas in corde tuo. Sedebo in lateribus Aquilonis, &c. Alcuinum paucioribus verbis sequitur. Innoc. lib. 2. c. 43. & Albert. Magnus in lib. de Missa, vel auctore Iuone in opusculo de conuenientia veteris, & noui testamenti, aduersus gentilitatem, in qua frigus infidelitatis diu regnauit tamquam in plaga septentrionali, adhuc prædicatur Euangelium, donec introeat plenitudo gentium, vt tandem sub Elia, & Enoch, ad fidem veniant reliquiæ Iudæorum. Steph. Eduens. c. 12. Versus Aquilonem legēdum est Euang. vt sequaces illius, qui voluit sedem suā ponere in Aquilone, Euangelica prædicatione conuertantur ab infidelitate. Hugo a S. Victore in speculo Ecclesiæ c. 7. Merito, inquit, in sinistra parte legitur Euangelium, nec tantum in sinistra, sed etiā aduersus Aquilonem, qui malos significat, iuxta illud: Ponam sedem meā ad Aquilonem, quia etiam ad tales peruenit prædicatio, qui longe a calore veri solis recefferāt: sane in ordine Rom. legitur, Diaconum statem versus meridiem legere Euangelium cum ad eā partem viri soleant confluere: alias autem ad septentrionem. Quo argumento Microlog. de Ecclesiast. obseruat. c. 9. quem Radulph. Tungr. de canonum obseruatia propos. 23. sequitur morem legendi Euangelium versus Aquilonem acerrime reprehendit. At ordo Romanus potius hunc morem probat, quàm improbet, quem etiam probant Rupert. Tuitiens. Belet. Durādus, & ceteri. Deinde Diaconus salutat populum, dicens: Dominus vobiscū, quatenus, ait Alcuin. de diuin. offic. c. de celebr. Missæ, corda illorum a mundanis cogitationibus Dominus emundet, & ad suscipienda verba salutaria aperire dignetur. Item Inn. lib. 2. c. 46. Diaconus in ambone consistens salutat populum, dicens: Dominus vobiscum. Illud obseruās quod Dominus iusserat: In quamcumque domum intraueritis, &c. stans ergo populus, ait idē Inn. quod ante non fecerat cum epistola legeretur, deuotus & attentus respondet, & cum Spiritu tuo, quo audito, Diaconus ait: Sequentia S. Euangelij, vel Initium S. Euangelij, dicitur autem Initium S. Euangelij, auctore Alcuino de diuin. offic. c. de celebr. Missæ, quoties principū alicuius ex quattuor Euangelij legitur, puta quādo recitatur ex Ioanne: In principio erat Verbum, ex Mattheo: Liber generationis. Ex Luca: Fuit in diebus Herodis, ex Marco: Principiū Iesu Christi. In alijs vero lectionibus dicitur: Sequētia: vel In illo tempore. Quare vero quādo dicitur Initiū S. Euangelij, non dicitur, In illo tempore, quemadmodū cum dicimus, Sequētia S. Euangelij: Item quare Initio lectionis Euangelij dicimus potius, In illo tempore, quā In diebus illis. Rursus, quod est illud tempus, de quo loquimur, cū dicimus: In illo tempore: plene Alex. de Ales 4. par. q. 37. de offic. Missæ par. 1. §. 8. Hæc dicens Diaconus signat se signo crucis in fronte, & in pectore. Ordo quoque præcipit, ait Microlog. de Eccles. obseruat. c. 9. post Amal. Fortun. lib. 3. c. 8. vt qui lecturus est Euangelium, crucem sibi faciat in fronte, videlicet iuxta Aug. in sede ipsius verecundiæ, vt eliminata omni verecundia cū Apostolo non erubescat de Euangelio Christi: faciat etiā sibi in pectore crucē, ne aliqua suggestio diaboli eū impediatur, quoniam puro corde Euangelium Dei annūciare valeat. Micrologū sequitur Radulph. d. propos. 23. signat se, & in ore prædicamus, inquit Apostolus, Iesum Christū, & hunc crucifixū. Hæc Inn. lib. 2. c. 43. Durād. d. c. 24. & Alex. de Ales 4. par. de offic. Missæ §. 8. Clerus vero, atque populus, audito Euangelij nomine, vertentes se ad altare cū reuerentia respondēt: *Gloria tibi Domine,*

P.

glorifi-

glorificantes Dominū, ait Inn. 3. c. 46. quod miserit eis verbū salutis, sicut in Actibus Apost. c. 11. Et glorificauerunt Dominū, dicentes: Ergo & Gentibus dedit Deus poenitentiam ad vitam. Aliter S. Germ. in theoria rerum Ecclesiasticarū: Sapientia sermo, & potestas in prophetis dictus, & prædicatus, nobis in Euangelij manifestatus, vt quotquot receperint eum, & crediderint in nomen eius, accipiant potestatem qua filij Dei fiant, quæ audiuius, & vidimus oculis nostris, Sapientiam, & sermonem Dei hunc esse omnes credentes, clamamus: *Gloria tibi Domine*, Itē Amal. Fort. lib. 3. c. 18. sed populus interim deprecetur Deum, ne diabolus auferat verba, & Euāgelij de corde ipsius, neque petrosa sint corda, atque dumosa, vel spinosa, sed terra bona, vt fructum bonū possit capere, & reddere: Dicat saltem qui promptior non est, vt capiat verba Euangelij: *Gloria tibi Domine*. Ad hæc Clerus, & populus dicendo: *Gloria tibi*, signo crucis in fronte, ore, & pectore se pariter contra diabolū muniunt, & firmant. Ordo Rom. de offic. Missæ. Et postquam dixerit: Sequentia sancti Euangelij, &c. facit crucis signum idē Diaconus in fronte, & pectore, similiter Episcopus, & omnis populus, & reuertuntur ad Euāgelium. Item Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. At diaconi salutationem, populus crucem in frontibus ponit, vt a malis cogitationibus corda sua emundet, vt ad intelligenda verba salutis pura permaneant. Inde Hilbertus Cenoman. de mysterio Missæ:

Neue superueniens Zifania seminet hostis,

Frontibus imprimitur mystica forma crucis.

Dum vero legitur Euangelium, Episcopus, & ceteri tam clerici, quàm laici, non sedentes, sed stantes, & cum cultu quodam curui esse debent. S. Clemens lib. 2. Constitutionum Apostolicar. c. 61. Cum Euangelium legitur, omnes Presbyteri, Diaconi, & laici assurgant cū magno silentio. Extat & in eam sententiam aliud Anastasij Pontificis decretū ep. ad omnes Germaniæ, & Burgundiæ Episcopos, in hæc verba: Significastis quosdā in Ecclesia, quando leguntur Euangelia, sedere. Et paulo post: Quod nullatenus deinceps fieri, auctoritate Apostolica mandamus, sed dum sancta Euangelia in Ecclesia recitantur, sacerdotes, & ceteri omnes præsentibus non sedentes, sed venerabiliter curui in conspectu S. Euangeli stantes, Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent, can. Apostolica de consecr. dist. 1. Huius decreti meminerunt Alcuinus de diuin. offic. c. quid significet vestimenta lib. Pontific. c. 40. Rab. Maur. lib. 1. de inst. cler. c. 33. Beda in Martyrologio ad 6. Calend. Maij. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiastic. c. 22. Microlog. de Ecclesiastic. obseruat. c. 9. Amalar. Fortun. lib. 3. c. 18. Berno c. 10. de officio Missæ. Durand. in Ration. lib. 4. c. 20. Albertus Magnus in tractatu de Missa. Radulph. de canonum obseruantia propol. 3. Marian. Scot. & Plati. in vita Anastasij. Hanc assurgendi consuetudinē etiam in Episcopis probat Isid. Pelusio, lib. 1. ep. 136. his verbis: Nam cum ipse verus pastor per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demū Episcopus assurgit, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum pastoralis artis ducem, ac Deum, & herum adesse significans. Sozom. lib. 9. hist. tripart. c. 39. damnat morem Alexandrinorum, apud quos, præter communem morem, non surgit Episcopus, dum Euangelia leguntur. Nedum vero stantes lectionem Euangelij subauscultare consuetum erat, sed & prædicationes olim siquidem populus stabat, dum verbum Dei prædicabatur, quod ex Augustino colligere licet lib. Homiliarum quinquaginta homil. 26. Ante, inquit, aliquot dies, propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus consilium dedi, & quodam modo supplicavi, quando aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter & cum silentio sedentes attentis auribus audiant, &c. Vbi enim vulgo scribitur, passiones prolixæ, legendum censeo, prædicationes prolixæ. Ea quæ restitutio duplici ratione nititur. Altera quod hæc verba nullum sensum habeant nisi ad passiones martyrum referantur, de quibus ibi nullum verbum. Altera quod paulo post Augustinus prædicationis mentionem faciat, eamque cum lectione lectionum coniungat, ibi: Vt, quando aut lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram proiciat. Quæ verba emendationem nostram aperte confirmant. Amplius, auditores summa cum reuerentia Euangelij sacra verba auscultare debent. S. Ambr. lib. 1. offic. cap. 11. Reuerentia, inquit, adhibetur, cum scripturæ diuinæ leguntur. Itaque tum omnes viri nudo & aperto capite stantes esse debent Hilbertus Cenomanen.

Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur:

Plebs baculos ponit, stat, retegitiq. caput.

Legimus in expositione Missæ ex vetusto codice, Christianos capita, dum Euangelium audiunt, a Iudæis dissidentes, ab omni velamine detegere, quia Christus proprium suum caput pro nobis spinea corona velatum habuit. Sane mulieres nec non virgines, dum legitur Euangelium,

Euangelium, capita velata habere debent: in velamen verecundiæ pro præuaricatione eius pomi veriti Alexand. de Ales 4. par. quæstione 37. de offic. Missæ par. 1. §. 8. Denique dum Euangelium legitur, deponuntur baculi, & arma, Amalar. Fortunatus lib. 3. cap. 18. Vtique ad istud officium, baculis sustentabamur modo, vt oportet seruos ante Dominum stare, humiliter stamus, deponentes baculos e manibus, quod potest nos separare ab opere Iudæorū, qui dabant arundinem in manu Christi, sed non abhorret a verò, si nostra humilitas per baculorum positionem demonstratur in conspectu Domini. Addit auctor expositionis Missæ: Accedente Christo, idest Euangelio, baculos dimittimus. Baculus enim necessarius non est, id est humanum auxilium, dum ipsum Christum præsto habentes vocem eius audimus. Hilbertus: Plebs baculos ponit, &c. Ad hæc ex Concil. Aurelianens. can. 22. sacrificia matutina. Missarum, siue vespertina cum armis pertinentibus ad bellorum usum spectare omnes prohibentur. Tandem, lecto Euangelio, nedum Diaconus, sed & Episcopus, ac ceteri Euangelij librum osculantur. Hanc vero Euangelium osculandi consuetudinem recentē non esse, probat Ionas Aurelianens. in præfatio. lib. 2. de cultu imaginum his verbis: Sacra religionis usus adhuc in Ecclesia seruetur, vt peracta facti Euangelij lectione, ab Episcopo, vel presbyteris ceterisque sacri ordinis religiosi codex, in quo Euangelij lectio recitata est, multiplicibus osculis veneretur. Item Rupertus de diuinis offic. lib. 2. cap. 1. Subdiaconus apertum circumfert, Euangelij librum omnibus religioso osculo salutandum, quem ad introitū portauerat clausum, quia post prædicationem Christi coepit lux credentibus, quam antea gestabat clausam, apertam ostendere, fidem Euangelicam. Honorius in gemma animæ c. 19. Euangelium per chorū defertur, & singulis ad osculandum porrigitur. Hugo de sancto Victore lib. 2. de offic. cap. 21. Subdiaconus fert Euangelium omnibus religioso osculo salutandum. Sane nedum sacra Euangelij verba veneranda sunt d. cano. Apostolica, sed & liber ipse, in quo ea exarata sunt. Synod. 8. Constantinopol. can. 3. Sacram imaginem Domini nostri Iesu Christi, & omnium Saluatoris æquo honore cum libro sanctorum Euangeliorum adorari decernimus. Sicut enim per syllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, salutem consequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem, & sapientes, & idiotæ cuncti ex eo quod in promptu est, perfruuntur vtilitate. Quæ enim in syllabis sermo, hæc & scriptura, quæ in coloribus, prædicat, & commendat. Tanta fuit semper sacri Euangelij auctoritas, vt nedum sacra verba, sed & codices, seu chartæ miracula ediderint. Gregor. Turon. de vita Patrum cap. 6. narrat, quod cum Aruerni ciuitas incendio conflagraret, sanctus Gallus Ecclesiam ingressus diutissime ante sanctum altare, Deum exorauit, surgensque apprehenso Euangeliorum codice, eoque aperto, obuiam se igni obtulit, subitoque incendium extinctum est, vt ne fauilla quidē remaneret. S. Martiani: Cum iam flamma serpens Ecclesiæ sanctæ Anastasiæ appropinquaret, accepto in manus sacro Euangelio, per tegulas in tectum conscendit, precibusque & lacrymis illasam ab incendio seruaui. Nicephor. lib. 5. cap. 22. Zonaras item in Basilio Macedone scriptum reliquit, Rhosos, libro Euangeliorum ab igne erepto illæso, fidem Christi amplexos. Ceterum cum librum seu codicem exosculamur, seu aliter veneramur non materiam, ex qua scriptum est Euangelium seu ipsam scripturam veneramur, quemadmodum neque crucis materiam, sed quod typo, figuraque exprimitur. Hæc Concil. Colonien. in explanatione Decalogi: Non facies tibi sculptile.

DE SYMBOLO

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

- 1 Symbolum fidei, cur post Euangelium recitetur.
- 2 Symbolum unde dictum, & quid significet.
- 3 Symbolum cur ab Apostolis, ad fidei articulos significandos usurpatum sit.
- 4 Symbolum ab Ambrosio cur clavis vocetur.
- 5 Symboli qui fuerint auctores.
- 6 Apostoli singuli singulos ediderunt symboli articulos, teste Augustino.
- 7 Symbolum quotidie, etiam sæpius recitandum, tamquam fidei nostre fundamentum.
- 8 Symbolum verbis breue, at sacramentis magnum, & a quibus explicetur.
- 9 Symbolum Nicæanum quod, & quando editum.
- 10 Symbolum Constantinopolitanum quid contineat.

11. *Symboli particula hæc: Filioq. quando addita.*
12. *Spiritus sanctus ex patre filioq. procedit.*
13. *Symboli particula: Filioq. non addita est ad symbolum, sed explicatio potius, & an symbolum Romanum antiquius sit Nicæno.*
14. *Symbolum Constantinop. in sacro Missæ adiecta particula: Filioq. & quando, ubique retentum.*
15. *Symbolum quibus nunc diebus recitari debeat.*

SYMBOLVM fidei catholicæ post Euangelium recitatur, ut per sanctum Euangelium corde credatur ad iustitiam, per symbolum autem ore confessio fiat ad salutem. Beruo Augiensis de quibusdam rebus ad Missam spectantibus c. 1. Symbolum, Græcum nomen est *πολύσημον*, significat enim signum, tesseram, indicium, coniecturam, & nonnulla alia. Plene Budæus in comment. lingue Græce. Eruditus Genebrardus lib. 3. de S. Trinitate, significat, & collationem, S. Hieron. in c. 23. Prouerb. Venantius honor. in præfatio. exeg. symboli. Pachimeres in c. 3. S. Dionys. de Ecclesiast. hierar. symbolum vero collatio dicitur, quia collata in vnum, totius catholicæ legis fides symboli colligitur breuitate. S. Aug. de tempore ser. 2. Dominicæ in ramis Palmarum. Cassianus. libro 6. de incarnatione Domini c. 3. vel, ut ait S. Clemens epist. 1. ad Iacobum fratrem Domini, symbolum Græce, Latine collatio dicitur, quia hoc Apostoli inter se per Spiritum sanctum salubriter condiderunt. Est, inquit, Hieron: ad cap. 2. 3. collatio sermonum, sicut in concilijs solet, & postea: Symbolum vero dare, est sicut vnusquisque solet pro parte sua cibos ad vescendum, ita in confabulatione detractionis verba conferre. Ruffin. Aquileien. in expositio. symboli Apostol. quæ vulgo S. Cypriano tribuitur, de symbolo in hæc verba: Symbolum autem hoc multis, & iustissimis ex causis appellare voluerunt, Apostoli scilicet: Symbolum enim Græce indicium dici potest, & collatio, hoc est quod plures in vnum conferunt. Id enim fecerunt Apostoli in his sermonibus in vnum conferendo vnusquisque quod sensit: dicitur & indicium, vel signum auctore S. Clemēt. epist. 1. ad Iacob. fratrem Domini, quod per hoc, qui recte crediderit, indicatur. Synodus Florentina sess. 21. vel, ut ait, Ruffin. quia illo tempore, sicut & Paul. apost. dicit, & in actibus Apostolorum refertur, multi ex circumcisus Iudæis simulabant se esse Apostolos Christi, & lucri alicuius, vel ventris gratia ad prædicandum proficiscebantur; nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco ergo istud indicium posuere, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Denique & in bellis ciuilibus hoc obseruari ferunt, quoniam & armorum habitus par, & sonus vocis idem, & mos vnus est. Atque eadem instituta bellandi, ne qua doli subreptio fiat, symbola discreta vnusquisque dux suis militibus tradit, quæ latine, vel signa, vel indicia nominantur, ut si forte occurreret quis, de quo dubitetur, interrogatus, symbolum prodatur si sit hostis, an socius. Idcirco hæc non scribi chartulis atque membranis, sed retineri cordibus tradiderunt, ut certum esset, neminem hac ex lectione, quæ interdum peruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse, sufficeret. Discessuri ergo ad prædicandū, ut diximus istud vnanimis, & fidei suæ indicium Apostoli posuere. Maximus Taurinen. Episc. homil. de traditione symboli. Quod beati Apostoli, inquit, ut reor, exemplum sequentes Ecclesiæ Dei, quam aduersus malitiam Diabolici furoris armabant, mysterium symbolo tradiderunt, ut quia sub vno Christi nomine credentium erat futura diuersitas, signaculum symboli inter fideles perfidosq. discerneret, & alienus a fide, atque hostis appareret Ecclesiæ. S. Ambr. serm. 38. Symboli clauem appellat. Clauem, inquit, quandam ipsum symbolum dixerim, per quod referantur Diaboli tenebræ, ut lux Christi adueniat, aperiuntur conscientia clausa peccata, ut iustitiæ fulgeant opera manifesta. Igitur hæc clauis ostendēda est fratribus nostris, ut & ipsi tamquam discipuli Petri inferna sibi referare, cælos aperire consuecant. A libi lib. de Velandis Virginibus idem Ambrosius: Symbolum appellat signaculum cordis nostri. Symboli vero auctores fuere Apostoli, Doctore Christo. Tertul. de præscr. aduersus hæreticos c. 14. hæc regula a Christo, ut probabitur, instituta, de symbolo fidei loquitur, nullas habet apud nos quæstiones, nisi quas hæreses inferunt, & quæ hæreticos faciunt. S. Clemēs d. ep. 1. ad Iacob. Christo resurgente, & ascendente in cælū, missio sancto Spiritu, collata Apostolis scientia linguarū, adhuc in vno positi, symbolū, quod nunc tenet Ecclesiā, vnusquisque quod sensit dicēdo crediderunt, ut discedentes ab inuicē hanc regulā per omnes gentes prædicarent. S. Ambr. ep. 81. ad Ciriciū Papā: Credatur symbolo Apostolorū, quod Ecclesiā Romana intemeratū semper

semper custodit, & seruat. Idem Ambros. sermone 38. Arbitror Apostolicā fidem duodecim artificum operatione conflata. Duodecim enim Apostolorum symbolo fides sancta concepta est, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem suo Concilio conflauerunt. S. Hieron. ad Pammachium aduersus errores Ioānis Ierosolymit. epist. 61. In symbolo fidei, & spei nostræ quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta, & atramēto, sed in tabulis cordis sunt: & alia S. August. Leonis, & aliorum in eundem sententiam innumera testimonia: singulorum vero articulorum huius symboli, singuli Apostoli auctores fuere. Auctore siquidem August. sermone 2. Dominicæ in ramis Palmarum. Petrus dixit: *Credo in Deum Patrem omnipotentem.* Ioannes dixit: *Creatorem celi, & terra.* Iacobus dixit: *Credo, & in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.* Andreas dixit: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.* Philippus ait: *Passus sub pontio Pilato, crucifixus mortuus, & sepultus.* Thomas ait: *Descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis.* Bartholomæus dixit: *Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.* Matthæus dixit: *Inde venturus est iudicare viuos, & mortuos.* Iacobus Alphæi: *Credo & in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam.* Simon Zelotes: *Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.* Iudas Iacobi: *Carnis resurrectionem.* Matthias compleuit: *Vitam eternam.* Hæc Augustinus. Hoc symbolum tamquam nostri signaculum cordis quotidie antelucanis horis recensendum monet S. Ambr. de Veland. Virginibus, quod etiam addit Ambrosius, cum horremus aliquid, animo ad id recurrēdū est. S. Aug. lib. 1. de symbolo ad catechum. cap. 1. Accipite regulam fidei, quod symbolum dicitur, & cum acciperitis, in corde scribite, & quotidie dicite apud vos, antequam dormiatis, antequam procedatis, vestro symbolo vos munite, & lib. 2. cap. 1. Si quando volueris aduersarius insidiari, nouerit redemptus cum symboli sacramento, & crucis vexillo ei debere occurrere, & lib. 3. de Sacramento symboli, quod accepistis, memoriæq. mandatum pro vestra salute retinetis, noueritis hoc esse fidei catholicæ fundamētum, super quod ædificium Ecclesiæ constructum manibus Apostolorum, & prophetarum. Idem Aug. lib. 50. homiliarum homil. 42. ad finem. Modo enim nisi teneatis symbolum in Ecclesia, in populo symbolum quotidie non auditis: cum autem tenueritis, ut non obliuiscamini, quotidie dicite, quando surgitis, quādo vos collocatis ad fœnium, reddite symbolum vestrum, reddite Domino, commemorate, vos ipsos non pigeat repetere, bona est repetitio, ne subrepat obliuio, ne dicatis: Dixi heri, dixi hodie, quotidie dicite, tene illud bene, commemora fidei tuam, inspice te, sit tamquam speculū tibi symbolum tuum, ibi te vide, si credis omnia, quæ te credere confiteris, & gaude quotidie in fide tua: sint quotidiana ista quodam modo indumenta mentis tuæ, numquid non quādo surgis, te vestis, sic & commemorando symbolum tuum vesti animam tuam, ne forte eam nudet obliuio, & remaneas nudus. Rursum, hoc symbolum verbis quidem breue est, at magnum sacramentis. Aug. serm. 181. de tempore. Illud vero copiose, & ornate enarrant August. in Enchirid. ad Laurent. & in lib. de symbolo, & de fide. Chrysostom. homil. 1. & 2. in symbolum. Ruffinus in expositione symboli. Cyrillus in Catechesi 5. Euseb. Emis. hom. 1. & 2. in symbolum. Petrus Chrysolog. a serm. 57. vsque ad serm. 63. & alij innumeri. Porro aliquanto post, Apostolorum symbolum Nicæna Synodus propter Arrij errorem impium, aliud edidit in hæc verba: *Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem omnium visibilibus, & inuisibilibus creatorem: & in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei natum ex patre, unigenitum, hoc est ex substantia patris, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, & quæ in celo, & quæ in terra sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, Et homo factus est: passus est, & resurrexit tertia die. Ascendit ad cælos, inde venturus est iudicare viuos, & mortuos, & in Spiritum sanctum.* Postea vero in formula subiicitur. Qui vero dicunt, quod erat aliquando tempus, cum non esset, & antequam genitus erat, non esset, vel quod ex nihilo ortus est, vel quod ex altera substantia, vel substantia quādam patris, genitus, vel quod conuerti, & mutari potest, istis catholica, & apostolica Dei Ecclesia, anathema denunciat. Hæc ex codice Vaticano, Græco nuper ab Alfonso Pisano in latinum conuerso, & Cōcil. Carthag. 6. can. 10. Huius symboli meminerūt Synod. Chalced. actio. 1. Ruffi. lib. hist. Ecclesiast. c. 6. Cassiod. lib. 2. tripartit. c. 9. Socr. lib. 1. c. 8. Niceph. lib. 8. c. 18. & lib. 10. c. 42. Deinde in Synod. Constantinop. secunda, quæ contra Eunomiū, Photinum, & Macedoniū collecta fuit, nonnulla addita, & detracta fuere. Quod ex formula symboli Constantinop. quæ statim sequitur, apparet.

Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem factorem celi & terra, visibilibus omnium, & inuisibilibus,

inuisibilem : & in unum Dominum Iesum Christum filium Dei unigenitum , & ex patre natum ante omnia secula . Deum de Deo , lumen de lumine , Deum verum ex Deo vero , natum , genitum , non factum , consubstantialem patri , per quem omnia facta sunt , qui propter nos homines , & propter nostram salutem descendit de cælis , & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine . Et homo factus est . Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato , passus , ac sepultus est : & resurrexit tertia die . Ascendit ad cælos , sedet ad dexteram Patris : iterum venturus est in gloria iudicare vivos , & mortuos , cuius regni non erit finis . Et in Spiritum sanctum Dominum , & vivificantem , qui ex patre procedit , qui cum patre , & filio adoratur , & conglorificatur , qui locutus est per prophetas . & unam sanctam , & Apostolicam Ecclesiam . Constatemur unum baptisma in remissionem peccatorum , expectamus resurrectionem mortuorum , & vitam venturi seculi .

- 11 Porro in Romana synodo , quam eodem tempore Damasus Papa congregavit , in qua Petrus Alexandrinus Patriarcha adfuit , per quamdam synodi Constantinopolitanæ interpretationem additum fuit : *Ex patre , filioque procedit* , cumque centum quinquaginta patres , qui a Damaso , opera Theodosij , Constantinopolim vocati erant , propter itineris longitudinem , & difficultatem Romam proficisci non possent , eam de spiritu sancto confessionem per Eusebium , & Priscianum Episcopos confirmarunt . Ac deinde usque ad octauam Synodum , Græcorum Ecclesia eandem fidem secuta est . Quæ omnia elici possunt , tum ex ea epistola , qua orientales patres rationem reddunt Damaso , cur Romam venire non poterant , nec non ex Damasi epistola , quæ Constantinopol. decreta approbat , tum ex actis vtriusque Concilij , nec non ex capitulo 16. lib. 9. histor. tripartitæ . Ac ex Hugone Heteriano lib. 3. de processione Spiritus S. c. 16. Accedat quod inter opera S. Hieronymi legitur symbolū , cum hac clausula : *Filioque procedit* , hoc ipsum Constantinop. symbolum cum illa additione *Filioque procedit* , Græci , & Armeni probarunt in Concil. Florentino . Plane processionem spiritus sancti , nedum a patre , sed & a filio præter Tertul. libro contra Praxeam , Hilari. libro secundo , de Trinit. Hieronym. epistola , ad Hedib. quæstione 9. Ruffin. in explicat. symboli Augustin. tractatu 99. in Ioan. & alij latini patres , S. Martialis coævus Apostolorum epist. ad Burdegal. capitulo 10. S. Athanas. in Dialogo , quem in Synodo Nicæna habuit , contra Arrium , & in eius symbolo , cuius initium est : *Quicumque vult* . S. Basil. in libro contra Eunomium . Gregor. Niss. hom. 4. in oratione Domin. Cyrill. epist. ad Nestorium , item epist. ad Theodosium Imperatorem , & in expositione nona , anathematismi . S. Chrysost. in expositione symboli hom. 1. ad Neophitos . Didimus Alexandri. libro secundo , de spiritu sancto . Epiphani. in sermone angiroto plenissime . Magister . sentent. libro 1. dist. 11. vbi S. Thom. Bonaventura , & ceteri . Item Thomas in opusculo de errorib. Græcorum quæst. 10. Ansel. libro de process. Spiritus sancti , Gennadius , Scholarius Græcus auctor in opusculo pro Latinis , Bessarion itē , & ipse Græcus in oratione dogmatica . Hunc tandem errorem Græci abiurarunt in Concil. Florent. vbi & Imperator Constantinop. & Græcorum legati catholicam fidem professi sunt . Quod vero Græci obijciunt , vetitum in Concil. Nicæno poena addita , aliquid addere , aliud sapere , aut aliam fidem componere , quàm eam quæ d. Synodo per scripta legitur . Quod & in synodis Constantinopolitana , & Ephesina repetitum fuit , & per consequens non licuisse particulam illam : *Filioque* . addere , Considerandum , ab ijs Synodis id vetitum fuisse singulis puta Episcopis , vel alijs clericis , quorum meminit Ephesina Synodus , non autē Oecumenico Concilio , quod plenius ex Bonavent. patres in generali 8. Synodo sess. 3. & sess. 10. Ferrariæ habita die Sabbati 8. Nouembr. enarrant . Deinde illis Synodis vetatur , aliam fidem conscribere , hoc est diuersam , vel pugnantem fidem . Ceterum non prohibetur , quod in symbolo continetur , ab alia Synodo dilucidius explicari : quandoquidem declaratio nulla ratione potest additio nominari . Quod ergo symbolo appositum est , dicitur non additio , sed potius quædam symboli expositio , ac explicatio , quod plene , & luculenter probant patres in generali 8. Synodo sess. 6. Ferrariæ habita die lunæ 20. mensis Octobr. Quod vero Vigilius Papa libro quarto , contra Eutichen prodidit , Romanum symbolum Nicæno antiquius , de symbolo Apostolorum interpretor , quod apud Romanos receptum erat , ut ex Tertul. & alijs veteribus supra docui . Hactenus de symboli nomine , ac institutione . De creueram symboli Apostolici singula verba interpretatione explicare , maxime descensum Christi ad inferos . At mihi in manus inciderunt libri tres Genebrardi de Trinitate , scripta Maldonati societatis Iesu . Inciderunt etiam disputationes Roberti Bellarmini eiusdem societatis , nuper typis excusæ . Hi patres hunc locum adeo copiose , & grauiter tractauerunt , ut eorum scriptis , ac monumentis hac in parte nihil

addi

addi posse videatur . Porro in Missæ celebratione post Euangelij lectionem , Symbolum Constantinopol. cum ea additione : *Filioque procedit* , recitari solet . Initio Apostolorum institutione Symbolum Apostolicum in sacro Missæ recitabatur , ut ex S. Dionys. colligere licet . Is ritus in Ecclesia permanit usque ad Marci Papæ tempora . Ille enim ob Arrianorum hæresim Symbolum Nicænum in Missa decantari ordinavit . Berno cap. 25. de offic. Missæ . Martin. Polon. ad annum 338. Symbolum Nicænum , ait Radulph. Tungrenf. de cano. obseruant. propof. vltima , Sanctus Marcus natione Romanus , successor Siluestri , qui sedit anno Dom. 339. statuit , ut post Euangelium in Ecclesia Symbolum alta voce dicitur . Deinde Damasus Papa 38. Sollemnibus diebus Symbolum Constantinop. ad Missam cantari instituit . Rupert. de diuinis offic. 1. 2. cap. 21. Sigibert. ad ann. Dom. 688. late Radulph. Tungrenf. lib. de cano. obseruant. propof. vltima . Post hæc in concil. Tolet. 3. cap. 2. constitutum fuit , Symbolum Constantinop. In omnibus Ecclesijs Hispaniæ , & Galitiæ , secundum formam Ecclesiarum Orientalium passim clara voce decantari . cano. canones , dist. 15. & in concil. Tolet. 3. Symbolum in Missarum sollemnitatibus parula cunctorum fidelium acclamatur voce . Apud Gallos quoque & Germanos post deiectionem Felicis hæretici sub gloriosissimo Carolo Francorum Rege , idem Symbolum Latine , & crebrius in Missarum coepit officijs iterari : hæc Strabo de rebus ecclesiast. cap. 22. Quandoque tamen desitum est in Romana Ecclesia Symbolum in Missa recitare , eamque causam Romani prætexebat , quod Romana Ecclesia nulla vnquam fuisset hæreseos fœce infecta . Tandem Henricus Imperator Papæ Benedicto persuasit , ad publicam Missam illud decantari . Berno de quibusdam rebus ad Missam spectantibus , cap. secundo . Quibus vero diebus hodie Symbolum in Missa dicendum sit , plene enarrant Innocent. 3. lib. 2. myster. 15 Missæ . cap. 52. Guilielmus Durandus in ration. lib. 4. cap. 25. Alex. de Ales 4. par. de offic. Missæ . §. 9. Præter superiora symbola , extat aliud , quod vulgo & vere magno Athanasio tribuitur , cuius initium est : *Quicumque vult saluus esse . De cuius fide , & auctoritate doctæ ac perite differit Genebrardus lib. 3. de Trinitate . Illius autem recitationem ad horam primam vsu receptam Ioannes Belet in explicatione diuinor. officiorum . cap. 40. & Guiliel. Durandus in Rationali diuinorum officior. lib. 5. cap. 5. fidem faciunt .*

DE PRÆDICATIONE

CAPVT VIGESIMUM QVINTVM.

- 1 Prædicatio iuxta antiquissimū Ecclesiæ morem in sacro Missa sequitur post Symboli recitationē .
- 2 Prædicatio negligētiore gravat potius , quàm emendat .
- 3 Prædicare , & populum docere qui teneantur .
- 4 Prædicationis officium nemo usurpare debet , nisi Pontifice , vel Episcopo approbante .
- 5 Pontifices Romanos minime olim prædicasse , ut falsum confutatur .
- 6 Pauperum de Lugduno error circa prædicandi munus refutatur .
- 7 Ecclesia ordines habet , & gradus diuersos , pro varia rerum Ecclesiasticarum functione .
- 8 Laici olim , iubente Episcopo , passim prædicabant .
- 9 Prædicare an possint laici , saltem religiosi .

DOST Symboli pronunciationem sequitur prædicatio : qui ritus non recens , sed vetustissimus est . S. Dionys. cap. 3. ecclesiast. hierar. Osculantibus omnibus mystica sacrorum voluminum , prædicatio perficitur . Vbi Linconiensis : & prædicabatur , vel a hierarcha , vel alio de sacris voluminibus noui & veteris testamenti . S. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 4. Post lectionem legis , & prophetarum , epistolarum nostrarum , Actuum , atque Euangelij ordinatus salutet Ecclesiam , his verbis : *Gratia Domini Dei nostri Iesu Christi , & charitas Dei nostri , & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis , amen . Et omnes respondeant : Et cum spiritu tuo .* Post hæc verba alloquatur populum sermonibus exhortatorijs . S. Ambros. ferm. 1. De grano synapis : *Sed cum videmus plures e fratribus pigrius ad Ecclesiam conuenire , & Dominicis præcipue diebus minime cælestibus interesse mysterijs , prædicant inuiti non quo nos pigeat loqui , sed quia negligentiores prædicatio nostra*

nostra grauet potius, quam emendet. Idem Ambros. epist. 33. ad Marcellinam: Sequenti die, inquit, (erat autem Dominica) post lectiones, atque tractatum. &c. S. August. lib. 3. confess. cap. 3. Et eum, scilicet Ambrosium, in populo verbum Dei recte tractantē omni die Dominico audiebam. Idem August. de ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. Vbi ventum est ad sermonis mei locum, dixi pauca pro tempore, Leo primus sermo. 2. de pascha: Sed ad adiiciendum est etiam nostri sermonis officium, ut sicut pia expectatione deposcere vos consuetudinis debitum sentio: ita sollempnitati sacratissimæ lectionis subiungatur exhortatio sacerdotis.

3 Sane plerisque patrum synodis diligenter cautum & sancitum fuit, ut qui præ sunt Ecclesijs, omnibus quidem diebus, præcipue dominicis, clerum & populum doceant pietatis & rectæ religionis eloquia. Et Syn. Can. 19. ex Trull. qui sub nomine 6. synodæ circumferuntur quoque Maguntiacæ can. 23. Constitutum est, ut si forte Episcopus non fuerit in domo sua, aut infirmus sit, aut aliqua exigente causa non valuerit: nunquā tamē deesse debeat, qui dominicis diebus, aut festiuitatibus verbū Dei prædicet, iuxta quod intelligere vulgus potest: nedū autē Episcoporum curæ, & sollicitudini incumbit, diebus dominicis, & festis sollempnibus sanctum Iesu Christi Euangeliū prædicare, sed & omnes, quibus cura animarum commissa est, illis diebus plebem subiectam, doctrinis, & monitis salutaribus instruere tenentur. Concil. Basileen. sess. 15. concil. Trident. sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. Illud tamen obseruandum est, nemini licere præter auctoritatem ab Apostolica sede, vel Catholico Episcopo loci susceptam, publice, vel priuatim prædicationis officium usurpare. Concil. Lateranen. cap. 3. Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur? Quod pluribus enarrat Innocent. 3. lib. 2. epist. decret. epist. ad vniuersos Christi fideles tam in vrbe Metensi, &c. Quondam propriū atque præcipuum Episcoporum erat prædicare ut habetur in dicto can. Trull. vbi Balsamon.

5 In Alexandria non licebat presbyteris populum docere. Sozomenus lib. 7. cap. 19. tripartit. histor. lib. 9. cap. 38. & 39. Nicephor. lib. 12. cap. 34. Idem auctores, Episcopos Romæ minime prædicasse prodiderunt, quos tamen Leonis, Gregorij, Innocentij, & complurium aliorum pontificum homiliae conuincunt. Sane S. Hieron. epist. ad Nepotianum consuetudinem qua presbyteri presentibus Episcopis a prædicatione arcebantur, pessimā appellat. Constat, Sancti Augustini sæculo presbyteros, potestate ab Episcopis accepta, prædicasse. Possidonius in vita S. August. cap. 5. Legimus S. Chrysostr. hom. 2. de verbis Isaia, initio concionis sese velut excusare, quod presbyter coram Episcopo verba faceret. Damasus Papa epist. decretal. vetat Chorepiscopis, astante Episcopo, populum docere, aut salutare, aut exhortari. Quibus error Hussitarum, & pauperum de Lugduno conuincitur. Hi enim cuilibet Christiano etiam laico prædicationem liberam mentiebantur: quem errorem longe ante synodum Trull. can. 64. damnauerat, his verbis: Quod non oportet laicum publice disputare, vel docere, docendi auctoritatem ex eo sibi vendicantem; sed ordini a Domino tradito cedere, & aurem ijs, qui docendi gratiam acceperunt, aperire, & diuina ab eis doceri. In vna enim Ecclesia diuersa membra facit Deus, ut est vox Apostoli. Quam aperte interpretans Gregor. Theologus, eum, qui in ijs est, ordinem commendat, dicens: Hunc ordinem reuerentiam fratres, hunc seruemus, hic quidem sit auris, ille vero lingua; hic autem manus, hic vero aliquid aliud; hic quidem doceat, ille vero discat. Et paulo post: Ne simus omnes lingua, quod est promptius, ne omnes Apostoli, ne omnes Prophetæ, ne omnes interpretemur. Et post quædam: Cur te omnium pastorem facis? Cur caput efficeris, cum sis pes? Cur Imperator esse conaris, cum relatus sis in numerum militum? Quam ob rem Leo Pontifex Maximus epist. 63. diligenter cauendum scribit: Ne vllus præter Domini sacerdotes concionandi munus, siue sit ille Monachus, siue sit laicus, sibi audeat vendicare. Non me laet, primis Ecclesiæ temporibus, cum pauci essent tum presbyteri, nec reperirentur idonei homines feruente persecutione, qui doctrina sua prodesse fratribus possent, laicis, iussu vel permissione Episcopi, concionari indultum. Quod & auctoritate, & exemplis probat Nicephor. l. 5. ecclesiast. historiae cap. 14. Verum hæc ad consequentiam protrahenda non sunt. Sane quando indulget summus Pontifex. Iustas ob causas plerisque religiosi, ut qui ad sacros ordines nondum promoti sunt, possint concionari. Quod nuper Gregor. 13. Societati Iesu indulgit. Idemq. ab alijs pontificibus tum eidem Societati tum alijs quibusdam religiosi singulari beneficio indultum constat.

DE OF.

DE OFFERTORIO.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

- 1 Offerenda, seu offertorium quo loco cantetur.
- 2 Sacerdotis salutatio hæc: Dominus vobiscum, cur vsitata in sacro Misse.
- 3 Offertorium vnde dictum.
- 4 Oblationes a populo in sacro offeruntur.
- 5 Offertorij primus auctor, & cur institutum.
- 6 Mosaiæ immolationis ritus aliquot.
- 7 Oblationum in Missa vsus antiquissimus esse probatur, ex patribus & Conciliorum decretis.
- 8 Offerebant primum mares, deinde femina.
- 9 Oblationes an ex obligatione offerantur a populo.
- 10 Offerentium nomina olim recitabantur.
- 11 Aquam offerebant cantores.



OST Symbolum Offerenda cantatur, ait Rupert. de diuinis offi. cap. 2. officium quod nos dicimus offerenda, auctore Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 19. ab illo loco inchoatur, vbi sacerdos dicit: Dominus vobiscum; & finitur vbi excelsa voce dicit: Per omnia sæcula sæculorum. Salutat vero sacerdos populum deprecando, ut Dominus sit cum illo. Populus econtra orat pro sacerdote, ut simul cum suo spiritu sit Dominus cum eis. Hæc salutatio, addit Amalar. introitum demonstrat ad aliud officium. Postea dicit: Oremus, admonetq. ut vnusquisque offerentium sese ad suam conscientiam introducat. Et postea: Si quis habet voluntarium sacrificium, precetur, antequam de manu eius exeat, ut acceptabile sit Domino, nec despicatur, sicut despectum est sacrificium Caim, quia non recte offerebat. Paulo aliter Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ cap. 53. sacerdos dicturus, oremus, præmittit, Dominus vobiscum, quia nisi nobiscum sit Dominus, ad salutem nostram orare non possumus salutatione præmissa, ait Stephan. Eduen. de sacrament. alta. cap. 12. sacerdos monet ad orandum, ut stabiles sint in fide, quam professi sunt in sermone. Statim autem chorus decantat offertorium. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 10. Offertorium vero, auctore Isidoro lib. 6. Etymolog. capit. 19. tali ex causa sumpsit vocabulum: fertum enim dicitur oblatio, quæ in altari offertur, & sacrificatur a Pontificibus, a quo Offertorium nominatum, quasi propter fertum, oblatio vocatur, quia offertur. Hæc Isidorus. Fertum siue feretū, ait Festus, genus libi dictum, quod crebrius ad sacra ferebatur. Inde Persius satyra 2. opimo vincere fertu, vbi Cornut. & Cato, de re rustica. cap. 134. Iuppiter te hoc fertu obmouendo bonas preces, precor: vel Offertorium dicitur ab offerendo, quia dum offertorium cantatur, sacerdos accipit oblationes. Hæc Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ capitulo 53. per hoc oblationes offeruntur a populo, ait Raban. Maur. lib. 1. de institut. cleric. cap. 33. & Offertorium cantatur a Clero, quod ex ipsa causa vocabulum sumpsit, quasi offerentium canticum. Ordo sane conueniens, ait Innocent. ut post prædicationem sequatur fides in corde, laus in ore, fructus in opere, fides in symbolo, laus in offertorio, fructus in sacrificio. Quapropter Offerenda cantatur, quia sacrificium laudis offertur. Vnde psalmista Psal. 20. Circuibō, & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo, & psalmum dicam Domino. Hildebertus cenoma. de mysterio Missæ:

Effectum spondet chorus offertoria cantans,

Tamquam si dicat: Credo, fatebor, agam.

Et paulo post.

Ordo decens, Euangelium precedere cernis

Pone fidem pandi, dona deinde dari:

Audis, ut credas, & credis, ut hostia fias.

Quis vero Offertorium in Missa cantari instituerit, hærent nostri. Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. capitulo 21. Offertorium, quod inter offerendum cantatur, quamuis a prioris populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, tamen quis specialiter addiderit officijs nostris, aperte non legimus. Traditur denique, S. Gregorium sicut ordinationem Missarum, & consecrationū, ita etiam cantilenæ disciplinam maxima ex parte in eam, quæ hæctenus quasi decentissima obseruatur, dispositionem perduxisse, sicut & in c. Antiphonarij commemoratur, vulgo offertoria,

fertoria S. Gregorio ascribuntur, Radulph. Tungr. de can. obseruatiâ propof. 23. Hadrianum Papam in offertorijs, & offertoriorum versibus, quod geminatum est, geminasse prodidit. Sigibert. ad annum Domini 772. Hodie, ait Durand. in Ration. lib. 4. c. 25. offertorij versus in plerisque locis prætermittuntur, tum breuitatis causa, tum etiam quia, sicut ait Aug. can. omnia, dist. 12. Christianam religionem paucissimis, & manifestissimis celebratiõnũ sacramentis misericordia Dei voluit esse liberã. In offertorio tamen, quod dicitur in Missa pro defunctis, versus ipsi hodie dicuntur. Hæc Durand. Porro offertorium cantari varijs causis a patribus institutum fuit. Isid. lib. 1. de Eccles. offic. c. 14. offertoria, quæ in sacrificiorum honore cantantur, Ecclesiasticus liber indicium est veteres cantare solitos, quando victimæ immolabantur: sic enim porrexit, inquit, sacerdos manum suam in libatione, & libauit de sanguine uæ, & fudit in fundamento altaris odorem diuinum excelso prinicipi. Tunc exclamauerunt filij Aaron in tubis ductilibus, & sonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam corã Domino: non aliter, & nunc in sono tubæ, idest vocis prædicatione cantus accenditur, simulq. corde, & opere, laudes Domini declamantes iubilamus in altum, in illo scilicet vero sacrificio, cuius sanguine saluatus est mundus. Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. c. 19. Interim cantus, inquit, celebratur in templo Domini, dicente eodẽ Paralip. Constituit quoque Leuitas in domo Domini cum cimbalijs, & psalterijs, & citharis secundum dispositionem Dauid. Et paulo post: Cumq. offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, et clangere tubis, atque in diuersis organis, quæ Dauid rex repererat concrepare. Omni autẽ Turba adorante, cantores, qui tenebant tubas, erant in officio suo, donec completeret holocaustum: cumq. finita esset oblatio, incuruatus est rex, & omnes qui erant cum eo, & adorauerunt. Et postea: Dum sacerdos suscipit oblationes, cantores cantant. Quamdiu enim turba cantabat, *Osanna in excelsis*, Christus vota eorũ suscipiebat. Rursus interim cantores cantant more antiquorum, vt iam protulimus, siue turbarum, quæ cantabant Christo venienti Ierusalem. Dum autem cantatur offertorium, populus dat oblationes suas. Veteres, auctore Festo, quæ dijs suis offerebant, offermenta vocabant, vulgus hodie offerẽdas. Quod autem, ait Alcuinus de diuin. offic. c. de celebr. Missæ, sacerdote oblationem suscipiente, clerus Deo laudes interim persoluit, ad imitationem populi Israel sumptum est, qui oblationes, & vota cũ laude moderationis Deo offerre consueuerat. Oblationum vsus in Missa antiquissimũ appareret ex cano. 3. apof. Licitum non est admouere aliud quid ad altare, quàm oleum in lampadem. Et postea: Certum est autem, quod Episcopus, & presbyteri inter Diaconos, & clericos, eas scilicet oblationes diuidunt, *εἰ τις ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἀπὸ τοῦ τοῦ κυρίου διὰ τῶν τῶν ἐπὶ τῆ θυσίᾳ προσεγγυῖ, ἐτεροῦ τίνα ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον καθαιρεῖθαι*. Tertul. in Apologet. c. 39. modicam vnusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit. Nam nemo compellitur, sed sponte confert. Pius Papa primus oblationum, quæ offeruntur a populo, meminit in quodam decreto quod extat tom. 1. Concil. Fab. Papa martyr temporibus Maximini ep. 3. ad Hila. constituit, omnibus diebus Dominicis ab omnibus viris & mulieribus oblationem tam panis, quàm vini fieri. Quod decretũ renouatur in Concil. 2. Matisc. can. 4. apud Bruchar. lib. 5. c. 32. S. Cypr. in lib. de opere, & eleemosyna: Locuples, inquit, & diues, & Dominicum celebrare te credis, quæ carbonam omnino non respicis, quæ in Dominicum sine sacrificio venis, quæ partem de sacrificio, quod pauper obtulit, sumis. Inruere in Euangelio viduam præceptorum cælestium memorem. Inter ipsas pressuras, & angustias egestatis operantem, in Gazophilacium duo, quæ sola sibi fuerant, minuta mittentẽ. Et postea: Atque vt intelligamus hæc opera Deo dari, & eum quisquis hæc faciat Dominũ promereri, Christus illud dona Dei appellat. Synod. Gangren. can. 7. & 8. oblationum Ecclesiast. meminit, easq. *καρποφορίας* appellat. Trull. Syn. quæ sub nomine 6. Sinodi circũfertur, can. 57. vetat ad altare mel, & lac offerre, *ὅτι ἡ ἑν τοῖς θυσιαστηρίοις μέλι ἔγλυκ. προσφέρεται*. In Concil. Carthag. 4. can. 93. can. oblationes dist. 90. Oblationes dissiditium fratrum in sacratio, vel Gazophilacio recipi vetantur. Synod. Item Aurel. 1. can. 16. can. antiquos 10. q. 1. Antiquos canones instaurando, de his, quæ in altario oblatione fidelium conferuntur, mediapars Episcopo, altero vero medietas clero dispenfanda committitur. S. Hieron. ad Heliõd. Securis ponitur ad radicem, si vnus ad altare non defero, nec possum obtendere paupertatem, cum in Euangelio anum viduam, duo, quæ sola sibi supererant, æra mittentem laudauerit Dominus. S. August. epistola 187. ad Bonifac. comitem: Oblatio vero domus tuæ a clericis ne suscipiatur indixi. Et epistola 122. Hic enim sunt illæ virgines, scilicet in terra captiuitatis suæ, quo modo erant illi in ea terra, vbi nec sacrificare more suo poterant Domino,

mino, sicut nec istæ possunt, vel ferre oblationem ad altare Dei, vel inuenire ibi sacerdotem, per quem offerant Deo. Rursus sermone 215. Oblationes, quæ in altario consecrantur, offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione communicauerit. Possidonius in vita August. narrat. S. Ambrosium præsentem S. August. In Ecclesia aliquando tractasse de neglecto a fidelibus Gazophilacio, ac sacratio. Carol. Magnus lib. 6. Legum Franciæ, cap. 162. Vt populi oblationes sacerdotibus in Ecclesia offerant, & vt die Dominica communicent: illud obseruandum est, primum mares, deinde feminas offerre consueuisse. Ordo Rom. de offic. Missæ, ibi: Interim cantores cantant offertorium cum versibus, & populus dat oblationes suas, idest panem, & vinum, & offerunt. Cum phanionibus candidis, primo masculi, deinde feminae. Durand. in Ration. lib. 4. cap. 31. Quod & per hæc tempora obseruatur. Prætereo in eandem sententiam innumera aliorum patrum testimonia. Verum, an populus teneatur ad oblationes in Missæ sacro ex præcepto, an vero oblationes illæ voluntariæ sint, quæri solet, & receptum est, has oblationes sua natura nisi aliunde accedat obligatio, puta, ex promissione, vel Ecclesiæ necessitate, vel longi temporis recepta consuetudine, voluntarias esse. Plene S. Thomas 2. 2. quæst. 86. artic. 1. de Turre crem. in cano. omnis de consecrat. distinct. 1. Antonin. in sum. 3. parte titulo secundo Ioannes Andreas Panormit. & ceteri in Rub. de parochijs Hostienf. Syluester, & alij in summis. Fuit tempus, quo eorum nomina, qui obtulerant, a Diacono publice recitabantur. S. Cyprianus libro 3. epist. 14. alias 45. Nondum restituta Ecclesiæ ipsius pace ad communionem admittuntur, & offertur nomen eorum. Rursus epist. ad Episcopos Numidas: Vt autem fratres nostros, ac sorores, qui adhuc opus tam necessarium prompte ac libenter operati sunt, vt semper operentur, in mentem habeamur in orationibus vestris, & eis vicem boni operis in sacrificijs & precibus repræsentatis: subdidi nomina singulorum, sed & collegarum quoque, & confacerdotum nostrorum, qui & ipsi cum præsentibus essent, & suo, & plebis nomine quædam pro viribus contulerunt, nomina addidi. At, quia redemptio peccatorum, oblationes enim, & eleemosynæ fiunt pro peccatis Deut. 4. offeretium vanitate, vel sacerdotum cupiditate mutabatur in laudem peccantium. S. Hieron. id grauiter reprehendit in Ier. cap. 11. lib. 2. Nunc, inquit, publice recitantur offerentium nomina, & redemptio peccatorum mutatur in laudem, nec meminerunt viduæ illius in Euangelio, quæ in Gazophilacium, duo æra mittendo omnium diuitum, vicit donaria. Deinde in Ezechielem cap. 18. lib. 6. Publice, ait Diaconus in Ecclesijs recitat offerentium nomina: tantum offert illa, tantum ille pollicitus est, placentq. sibi ad plausum populi, torquente eos conscientia. Innoc. 1. epist. ad Decent. c. 2. Nomina offeretium enunciare ante precem sacerdotis, diligenter prohibet his verbis: De nominibus recitandis, antequam sacerdos faciat, atque eorum oblationes, quorum nomina recitanda sunt, sua oratione commendet, quàm superfluum sit & ipse pro tua prudentia recognoscis, vt cuius hostiam necdũ Deo offeras, eius ante nomen insinues, quamuis illi incognitum sit nihil: prius ergo oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, vt inter sacra mysteria nominentur, non inter alia, quæ ante præmittimus, vt ipsis mysterijs viã futuris precibus aperiamus. Illud item obseruandum est, cantores olim, more Leuitarum, quærere ad fontem aquam, eamq. mundam offerre consueuisse. Alcu. de diuinis offic. cap. quid signif. vestim. Idq. institutum ait Amalar. Fortun. lib. 3. de Eccles. offic. capit. 19. ne cantores penitus extorres essent a sacrificio: offerebant vero cantores aquam per manum archiparaphonistæ, vt in ordine Romano. Deinde, inquit, descendit subdiaconus sequens in schola, accipit fontem de manu archiparaphonistæ, & defert ad archidiaconum. Archiparaphonista vero dicitur quartus scholæ, qui pontifici de cãtoribus, cum quid opus erat, nunciabat. Onuphrius ex libello ordinis Romani in interpretat. vocum obscur. ecclesiastic.

DE PERMIXTIONE AQVÆ & vini

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

- 1 Aqua vino admiscenda in calice vt Patres prolixè docent.
- 2 Aquam vino permiscendam esse docent Concilia varia.

- 3 *Aquariorum hæresis refutatur.*
 4 *Armenorum hæresis de vino puro.*
 5 *Aqua que vino admiscetur modica esse debet.*
 6 *Aqua permixtio in calice an sit de necessitate Sacramenti.*



ALXANDER Papa & martyr, quintus a Petro, constituit in Missæ sacrificio panem tantum & vinum aqua permixtum offerri epist. ad omnes orthodox. in hæc verba: Non debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed vtrumque permixtum, quia vtrumque ex latere eius in passione sua profluxisse legitur. can. in sacramentorum de consecrat. dist. 2. S. Iustin. martyr. apolog. 2. ad Antoninum pium: Vbi desitum est a precibus, antistiti patrum panis & calix aquæ & vini diluti offertur, atque ita is capiens, &c. hinc S. Irenæus lib. 4. cap. 47. calicem vocat temperamentum, & initio lib. 5. calicem mixtum: S. Cypria. lib. 2. epist. 3. ad Cecilium, alias 48. can. 2. de consecrat. dist. 2. enarrans verba illa Salom. Bibite vinum quod miscui vobis: Vinum, inquit, mixtum declarat id est calicem Domini aqua & vino mixtum prophetica voce pronunciat, vt appareat, in passione Dominica id esse gestum, quod fuerat ante prædictum. Totus est S. Cypria. in ea epist. ad probandum nec calicem cum aqua sine vino recte offerri, nec vinum absque aqua iuxta Christi traditionem consecrari: huius epistolæ meminit S. August. lib. 4. de Doctrina Christi cap. 21. Iulius papa 36. a Petro, epist. ad Episcopos Ægypti: Calix Dominicus, inquit, iuxta canonum præcepta vino & aqua permixtus debet offerri, quia videmus populum in aqua intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo cum in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur, & credentium plebs, & in quem credit copulatur & iungitur. Quæ copulatio, & coniunctio aquæ & vini, sic miscetur in calice Domini, vt mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis, si vero aqua sit sola, plebs incipit esse sine Christo. S. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 1. In calicem mittitur vinum, & quid aliud aqua. Sed tu mihi dicis: Quomodo ergo Melchisedech panem & vinum obtulit? quid sibi vult mixtio aquæ? rationem accipe, &c. S. Hieron. in Marcum cap. 14. Accepit Iesus panem, &c. formans sanguinem suum in calicem, vino & aqua mixtum, vt alio purgemur a culpis, alio redimamur a pœnis. Idem quæstio. Hebr. super paralip. Et notandum, inquit, quod vinum, quod Deo in sacrificium offerebatur, aqua mixtum erat. Damasc. lib. 4. de orthodoxa fide. cap. 14. Similiter accipiens calicem ex vino & aqua tradidit illis dicens: Bibite ex hoc omnes. Theophil. in Ioan. cap. 19. Confundantur Armenij, qui non admiscunt in mysterijs ijs aquam vino, non enim credunt, vt videtur, quod aqua ex latere egressa sit. In eandem sententiam extant complura sanctorum patrum concilia, Concil. Hippon. can. 25. repetitum in concil. Carthag. 3. can. 24. vt in sacramentis corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur quam ipse Dominus tradidit, hoc est panis & vinum aquæ mixtum. can. vt in sacramentis de consecrat. dist. 2. concil. Antifiodor. can. 8. Non licet in altari, in sacrificio diuino, mellitum quod mulsum appellatur, nec vnum aliud poculum, extra vinum cum aqua mixtum offerre. Bracharen. 3. can. 1. calix Dominicus vino & aqua permixtus, debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi, in vino vero ostendi sanguinem Christi. Ergo quando in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur. Non enim potest calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque simul misceatur. can. cum omne de consecrat. distinct. 2. Eadem constitutio instauratur in Concil. Vuormatiensi. canon. 1. Berengosius abbas ferm. de laude & inuentione sanctæ crucis: Et ideo, inquit, sicut in ipsa sanctæ matris schola didicimus, in sacrificio Domini nec vinum solum, nec aqua sola, sed vtrumque potius misceatur. Prætereo Eusebium Emiff. homil. de corpore & sangu. Domin. Paschasium abbatem libro de corpore & sangu. Domini. cap. 11. Hildebert. episcop. Cenomanen. in versibus de mysterio missæ. Magist. sentent. lib. 4. dist. 11. Vbi Thomas, Bonauent. & ceteri. Plane Trull. Syn. quæ sub nomine 6. Synodi circumfertur, can. 32. duas hæreses euertit, alteram Hydroparastatarum, qui aqua sola in sancti calicis sacrificio utebantur. Hanc hæresim sectabantur Hebionitæ & Marcionitæ. Epipha. hæresi 30. & 42. de aquarijs. August. hæresi 44. Ad Quoduultdeum: In Eucharistia, ait idem August. de Ecclesiast. dogmatib. cap. 75. non debet pura aqua offerri, vt quidam sobrietatis falluntur imagine, sed vinum cum aqua mixtum. & ser. 119. Sanguis

Sanguis fufus est in remissionem peccatorum, aqua miscet salutare poculum, præbet nobis in baptismo lauacrum, & potum in altari. S. Chrysoftom. homil. 83. in cap. 26. Matth. quærens cur Christus bibit post resurrectionem vinum non aquam, respondet in hæc verba: Perniciosam quandam hæresim radicitus euellere voluit, eorum, qui aqua sola scilicet in mysterijs vtuntur: Alteram Armenorum, qui non nisi vinum purum offerunt. Huius Armenorum erroris meminerunt etiam Theophilact. ad cap. 19. S. Ioan. Nicephor. lib. 18. capitulo quinquagesimo tertio. Armacanus libro nono, aduersus Armenos. Calvinistæ hodie in sua coena imaginaria vino puro vtuntur. Hunc etiam errorem damnat Synod. Tridentina sessione vigesima secunda, cano. 9. Si quis dixerit, aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit. Hoc loco obseruandum est, dum miscetur aqua vino, plus de vino quam de aqua ponendum esse in calice, idque varijs rationibus, quas percensent Mag. Sentent. libro quarto distinctione duodecima, Honorius 3. in capitulo Perniciosus, de celebrat. Missar. Alexand. de Ales 4. par. quæst. 32. memb. 5. articulo 3. S. Thom. 3. par. quæst. 74. articulo 8. Albertus Magnus. in libro de Missa. Quare Eugenius 4. in decreto quod exaratum est post octauam generalem Synod. 3. tomo Concil. de vnione Armenorum ex sententia Synodi, constituit vt Armeni, se cum vniuerso orbe Christiano confirmarent, eorumque sacerdotes in calicis oblatione paululū aquæ admiscerent vino. Ceterum an aquæ permixtio sit de necessitate sacramenti, quæri solet. S. Th. 3. par. quæstione 74. articulo septimo, & quæstione 83. articulo 6. ad 4. & ad 4. sentent. dist. 11. quæstione secunda, articulo 4. & in 1. ad Corinth. capitulo 11. concludit quod cum participatio Eucharistiæ a fidelibus, ad sacramenti huius essentiam non pertineat, aquæ cum vino permixtio, quæ ad eam significandam refertur, non est de necessitate sacramenti. Plene Bonauent. & ceteri ad 4. sentent. distinctione vndecima. Alexand. de Ales 4. par. quæstione 32. memb. 5. articulo secundo, & membro 6. eam tamen esse de necessitate ministri consecrantis, adeo vt si prætermiserit aquam vino miscere, graui pœna afficiendus sit, Scholastici consentiunt, plenissime Gabriel Biel super can. Missæ lectio. 35.

DE MANVVM LOTIONE

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

- 1 *Manuum ablutio cur iterum fiat, ante oblationem sacrificij.*
 2 *Manuum ablutio Mosaica.*
 3 *Ablutionis manuum meminerunt permulti patres.*
 4 *Manuum ablutio quid significet.*
 5 *Manus abluunt etiam Laici ante communionem.*
 6 *Manuum ablutio hæc Ecclesiastica, vnde petita.*
 7 *Illotis manibus.*



PRÆTER manuum ablutionem, quæ fit a sacerdote, dum se parat ad Missam, de qua supra capitulo de præparat. sacerdot. ante Missæ celebrationem. Sacerdos sacrificium oblaturus manus iterum lauat, quasi, ait Albertus Magnus, tum ampliori indigeat ablutione etiam a venialibus, & peccatorum reliquijs, dicens cum propheta Psal. 25. Lauabo, non iam inter peccatores, sed inter innocentes manus meas. Et Psal. 50. Amplius lauabo me ab iniustitia mea: sic Aaron & filij eius in veteri lege manus lauabant in ingressu tabernaculi. Rursus accessuri ad altare, quo magis magisque mundati hostiam immaculatam offerrent, Exod. capitulo trigésimo. Huius lauacionis in sacro Missæ veteres patres plane, & aperte meminerunt. S. Dionys. de Ecclesiastica Hierarch. capitulo tertio: Vbi manus, tum antistes, tum sacerdotes aqua lauerunt, Pontifex in medio altari collocatur. Rursus eodem capite in contemplatione. Ijs autem eo ritu, quem diximus, perfectis, stans Pontifex coram Sanctissimis signis, quæ proposita sunt, manus cum honesto sacerdotum

- sacerdotem ordine, abluit. Quoniam igitur, vt scripta diuina loquuntur: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, id est alicuius alterius lauacionis nisi summorum suorum digitorum, siue extremorum. Et paulo post: Lauatio quidem sacrosancta erat, vt diximus, in legis Hierarchia: nunc autem, & a pontifice, & a sacerdotibus adhibita manuum expiatio eam significat. Ij enim, qui ad sanctissimum sacrificium veniunt, expiati esse debent, etiam ab extremis animi visionibus atque illius similitudine, quoad eius fieri potest, accedere. Et postea: Illa autem pontificis sacerdotumq. lauatio, quæ summis, siue extremis digitis adhibetur, coram sanctissimis signis obseruatur quasi coram Christo spectante omnes occultissimas nostras cogitationes, & summarum partium expiatione, &c. S. Clemens libro 8. Constitut. Apostol. capitulo 11. Vnus autem hypodiacoconus ministrat aquam sacerdotibus ad lauandum manus, quod est signum puritatis animarum, quæ Deo dicatæ sunt. S. Chrysof. homil. 61. ad popul. Antiochenum: Dic mihi, illotis manibus ad sacrificium eligeres accedere? non puto. Cyrill. Ierosol. catechesi 5. Myftagog. Vidistis Diaconum aquam lauandis manibus porrigentem sacerdoti: Ablutio manuum est vice eius, qui se lauit, & innocens sum, vociferatus est: nobis autem sacerdotibus innuit, vt puri conscientia, mente & cogitatione, quæ sunt manus animarum nostrarum, cum timore, et mansuetudine & clementia omni accedamus ad sanctam mensam. Lauabo inter innocentes manus meas. Hæc sanctus Germanus in theoria rerum Ecclesiast. Lauat sacerdos manus, hostiam oblaturus, vt significet, se lauare, & purgare debere conscientiam lacrymis poenitentia. Psal. 6. Lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Beda in libro de tabernaculo, & vasis eius. Innocent. libro secundo, myfter. Missæ capitulo quinquagesimo quinto. Durand. in Ration. libro quarto, capitulo 28. Alexand. de Ales 4. part. Vel susceptis oblationibus reuertitur sacerdos ad altare, & lauat manus, & extergit a tactu communium manuum atque terreno pane. Ordo Rom. de offic. Missæ, Additio ad Rabanum ad finem primi libri. Amalarius Fortunatus libro tertio de Ecclesiast. offic. capitulo decimonono. Nedom vero sacerdotes ante sacrificium manus abluant, sed & laici ante sacram communionem. S. Aug. Dominic. 24. post Trinitatem sermone 2. in anniuersario Dedicat. Eccles. Omnes viri, quando communicare desiderant, lauant manus suas, & omnes mulieres nitida exhibent linteamina, vbi corpus Christi accipiant. Non est grande quod dico, fratres, quo modo viri lauant aqua manus suas, sic elemosynis lauent conscientias suas. Porro animaduertendum est Ecclesiam non conseruasse manuum ablutionem ante sacrificium tamquam ceremoniale veteris legis præceptum, sed quasi ab Ecclesia institutum, sicut quiddam secundum se conueniens. S. Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5. versic. ad primum. Prætereo, quod veteres prophani a manuum lotione rem diuinam auspicabantur, Megadorus apud Plautum in Aulularia: Ego, nisi quid me vis, eo lauatum, vt sacrificem. Euclio item scena altera: Nunc lauabo, vt rem diuinam faciam. Solebant etiam se abluere ante conuiuium, vt pote rem sacram. Vnde illud ἀνιπτοις χερσίν, id est illotis manibus: cuius prouerbij nedum Iuriconsultus vulgata l. 1. de orig. iur. Sed & Hesiodus de operibus, & diebus, & S. Gregor. Nazianzenus orat. prima de fuga sua in Pontum, & alij complures mentionem faciunt.

D E I N C L I N A T I O N E

Sacerdotis, conuersione ad populum,

& oratione

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

- 1 Incensum quando apponendum, & de oratione subsequente.
- 2 Inclinatio sacerdotis quid significet, ante sacrificij oblationem.
- 3 Sacerdotis verba hæc: Orate pro me, quo pertineant, & cui ascribantur auctori.
- 4 Oratio tacita, velint nolint hæretici, sancta est, & vsitata semper in Ecclesia.
- 5 Sacerdotis silentium ante sacrificij oblationem quid significet.

6 Secreta

6 Secreta vnde dicta.

7 Sacerdotis verba hæc: Per omnia secula, &c. cur alta voce proferantur.



OST oblationem ex ordine Romano ponitur incensum super altare dicente (ait Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebr. Missæ) Sacerdote: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo, ex turibulo quod super imponit, post orationem demonstrat sacerdos, per quem ei propitiari possit Deus, videlicet, Per Dominum nostrum Iesum Christum, cuius corpus designat turibulum. Amalarius Fortunatus libro tertio de Ecclesiast. offic. capitulo 19. De turificatione plura diximus libro primo, capitulo de turibulo. Peracta turificatione, sacerdos leuiter incuruefcit ante altare dicens, auctore Micrologo de Ecclesiast. obseruant. cap. 12. hanc orationem non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam Passionis, Resurrectionis, Ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & præsta, vt in conspectu tuo tibi placita ascendat, & meam, & omnium fidelium salutem operetur æternam, Per Christum, &c. Eadem oratio exarata legitur apud Radulph. Tungrenf. de cano. obseruat. propof. 23. huius etiam meminisse videntur Primas, & Haymo. ad cap. 7. epist. ad Hebræos, ibi: Vnde sacerdotes Ecclesiæ altari astantes dicunt: Suscipe Domine preces populi tui, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum. Dum autem se inclinat sacerdos humilitatem Christi significat, qui exinaniuit semet ipsum formam serui accipiens, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Hæc Innocent. 3. l. 2. myfter. Missæ cap. 60. Ad hæc sacerdos memor quantæ molis res sit, tam grande, tam diuinum sacrificium maiestati diuinæ offerre, quantæ etiam innocentia esse oporteat, pro populo ad Deum accedere de virium suarum imbecillitate, ac conuersationis suæ integritate diffusus, ad humilitatis suffragia refugit. Quo enim non pertingit infirma oblatio sacrificiatis, eo penetrat verecunda oratio se humiliantis: nisi inquit Auguft. epist. 56. humilitas, omnia quæcumque bene facimus, & præcesserit, & comitetur, & consecuta fuerit, & propofita, quam intueamur, & appofita, cui adhæreamus, & imposita, qua reprimamur, iam nobis de aliquo bono facto gaudentibus, torum de manu extorquet superbia. Tandem sacerdos conuertens se ad populum, orat astantium precibus adiuuari, dicens: Orate pro me. Steph. Eduenf. de sacram. alt. cap. 12. conuertit se sacerdos ad populum, ait Alcuin. de diuin. offic. capitulo de celebrat. Missæ, postcens, vt iungant preces suas precibus eius, & mereatur exaudiri pro salute illorum. Hoc autem dicendum est a sacerdote cum silentio, *Orate pro me fratres*, vt meum pariter, & vestrum sacrificium acceptum sit Domino. Acclamans ergo populus orare debet ita: Dominus sit in corde tuo, & in oratu tuo, & suscipiat sacrificium sibi acceptum de ore tuo, & de manibus tuis pro nostra, omniumq. salute, Amen. Hæc Alcuin. Odo Cameracen. in expositio. cano. Missæ enarrans verba illa: *Memento Domine famulorum*, ait: Neque tanta sufficiat sacramenta conficere nisi collectæ multitudinis adiutus oratione, quam prius etiam sum hortatus dicendo: *Orate fratres*: debemus, ait Innocent. d. cap. 60. pro inuicem orare secundum Apostolum, vt saluemur. Illud vero: *Orate pro me*, Leoni Papæ adscribi solet, Radulph. Tungrenf. de can. obseruat. propof. vlt. At ante Leonem Chrysoftomus huius formulæ meminisse videtur hom. 10. in 2. epist. ad Corinthios: In ijs, inquit, horrendissimis myfterijs communia sunt omnia, omnes similiter salutamus bene, precatur sacerdos populo, & populus sacerdoti. Aug. item epist. 106. ad Vitalem: Numquid vbi audieritis sacerdotem Dei ad eius altare populum hortantem ad orandum non respondetis, Amen? Steph. Eduenf. lib. de sacram. alt. c. 10. hæc traditionem ad Christum referre videtur his verbis: Sacerdos exclamat, *Oremus*, monens se, & alios orare, quia Dominus orauit, & discipulos ad orandum excitauit monito populo, vt oret pro sacerdote. Sacerdos reflexus ad altare orat voce demissa, & secreto. Cum paratur consecratio sacerdotem tacite precari consueuiffet docet aperte S. Clemens lib. 8. constit. Apostol. c. 12. ex Concil. Laodic. can. 19. in Missæ sacro preces quædam fiunt silentio. Testatur Synod. Trident. sess. 22. cano. 5. piam matrem Ecclesiam, ritus quosdam instituisse, vt scilicet quædam submissa voce, alia vero elata in Missa pronuntiarentur: Rideant quantum velint hæretici, apparet ritum istum esse Apostolicum: huius orationis, quæ secreta appellatur, complures ex patribus meminere. Hildebert. Cenoman.

Hic ita pramissis secreto presbyter orat:

Secretas memorans, & similansq. preces.

Q 2

Quas

*Quas egit Christus, cum te iam Iuda remoto
Abscessit modicum, ter q. precatus ait.*

- 5 Rupert. lib. 2. de diuin. offic. cap. 4. Post hæc, inquit, iam sacerdos silentij solitudinem expectit, instante memoria Dominicæ passionis, conuersus ad altare concentu chori finito, & omni Ecclesiâ conticescente. Hoc autem significat illud, quod Dominus noster iam non palam ambulabat apud Iudæos, cum cogitarent eum interficere, sed abiit in regionem iuxta desertum in ciuitatem, quæ dicitur Effren, & ibi morabatur cum discipulis suis. Et postea Sacerdos ergo in silêtio stans, & tacite super oblatam dicens orationem, sanctum præparat sacrificium, quia Dominus noster etiam cum se absconderet, nec palam apud Iudæos ambularet, salutare nobis passionis suæ meditabatur sacramentum. Innocen. 3. libro 2. myster. Missæ. cap. 54. Silentium sacerdotis latibulum Christi designat, vel auctore S. Thom. 3. par. q. 83. art. 4. ad 6. Secreto aliqua sacerdos dicit quod Christi passionem, discipuli non nisi occulte confitebantur Christum. Ad hæc Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. capit. 20. secreta ideo nominatur, quia secreto dicitur. In hac precatur sacerdos, per eandem hostiam, purgari vsquequaque sacerdotis solius est, soli Deo offerre sacrificium. Ac ideo quia de cogitationibus loquimur, non est necessaria vox roboans, sed verba ad hoc tantum, vt eisdem admoneretur sacerdos quid cogitare debeat. Iuo Carnot. de conuenientia veteris, & noui sacrificij: Secretæ orationes, quas post offertorium facit sacerdos, in quibus panis, & vinum, quæ in Christi corpus, & sanguinem Dominicis verbis commutanda sunt hostiæ, vel oblationes, vel sacrificia nominantur, quid cum Euangelio simile habeant videamus. In Euangelio quippe legimus, quod Dominus facta coena in hortu cum discipulis exiit, & ibi antequam ad eum peruenirent, qui comprehensuri eum erant, remotus a discipulis eandem orationem in silentio ter orauit, &c. In Ambrosiana Missa oratio super oblatam alta voce dici solet. Radulph. Tungrenf. de cano. obseruant. propof. vltima. Deinde sacerdos in fine orationis secretæ vocem intendens, dicit: *Per omnia secula seculorum*, sacerdos dicit collectam super oblatam, & in eius fine, *Per omnia secula*. Alcuin. de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, post miraculum dilecti sui, a morte suscitati, eo palam ambulante, sacerdos rumpit silentium, exclamans: *Per omnia secula seculorum*, &c. Hæc Steph. Eduens. libro de sacram. altar. cap. 12. Quid autem significet sacerdos dum rupto silentio pleniore, & grandiore voce dicit: *Per omnia secula seculorum*, enarrant Rupert. libro 2. de diuinis offic. cap. 4. Belet. de diuinis offic. cap. 44. Durand. in Ration. lib. 4. cap. 32.

DE PRÆFATIONE

CAPVT TRIGESIMUM.

- 1 Præfationis quis primus fuerit auctor ex patrum testimonijs ostenditur.
- 2 Præfationis meminerunt permulti patres antiqui, etiam ante Gelasium.
- 3 Liturgia patrum suas habent præfationes.
- 4 Præfationes nouem enumerantur, vsitate in sacrificio Missæ.
- 5 Præfationes pro varietate festorum mutantur, & clara voce dicuntur.



UPERIORI capite docuimus, in fine orationis, quæ secreto dicitur, sacerdotem compta, & canora voce dicere: *Per omnia secula seculorum*: Finis orationis, ait Innocent. 3. libro 2. myster. Missæ capitulo 61. est principium præfationis, propter quod sacerdos insinuat Christum esse lapidem angularem, qui fecit vtraque vnum: vulgo creditur Gelasium Papam auctorem esse præfationis: Fecit, inquit auctor libro Pontific. capitulo quinquagesimo, de Gelasio loquens, hymnos in modum sancti Ambrosij, ac deinde fecit etiam & sacramentorum præfationes: Hoc ipsum litteris mandarunt Sigibertus ad an. 487. et Radulph. Tungrenf. de cano. obseruant. propof. vltima, alibi idem Sigibertus ad annum 685. scribit Gelasium Papam, collectas & præfationes composuisse: præfationem communem Gelasio ascribit Alcuin. lib. de diuin. offic. capitulo de celebr. Missæ: Hæc, inquit, exhortationem, quæ sequitur, *Vere dignum & iustum est*, Gelasius composuisse dicitur. At verius est præfationes institutas in ipsis Ecclesiæ primordijs, cum & nominis, & vsus illarum

illarum antiquiores patres meminerint. Extat apud Clement. lib. 8. constit. Apost. cap. 16. præfatio, quæ a nostra communi paulum verbis discrepat, sententijs vero omnino congruit. S. Dionysium præfationes composuisse testatur Honor in gemma, & Radulph. d. propof. vltima, S. Cypr. & præfationis verba commemorat, & nomen proponit de oratione Dominica his verbis: Ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa præparat fratrum mentes, dicendo: *Sursum corda*, vt dum respondet plebs: *Habemus ad Dominum*. Ecce & nomen, & præfationis verba apud Cyprianum. Præfationis item meminit S. Chrysoftom. homil. 3. in cap. 3. ad Coloss. *ἐν ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς εἰρήνῃ ἐν ταῖς εὐχαρίσ, ἐν ταῖς λιταῖς, πρὸς ῥησασιν καὶ δ. πατρὶ καὶ δ. ῥησ, καὶ πολλὰ καὶ*. In Ecclesijs pacem, in precationibus, in supplicationibus, in præfationibus, & semel atque iterum ac tertio. Præfationis quoque, in qua & laudationis Dei, ac Seraphim, & Dei Sabaoth mentio fit, meminisse videtur S. Athanas. his verbis: Ecclesiæ autem Christi omnes ab Oriente vsque ad Occidentem conuenienter Patres & Seraphim laudari profitentur in mysteriorum velatione, hoc est, vt interpretor, Missarum celebratione. Et postea: Itaque & Spiritus sanctus Dominus Deus sabaoth dicitur, & est cum Patre, & Filio a Seraphin adoratus, propter quod dicunt ter Sanctus, Sanctus, Sanctus, vt Trinitatem pronuntiarent. S. item Ambros. lib. 3. de Spiritu sancto capitulo 18. Ergo sanctus Pater, sanctus Filius, sanctus Spiritus. Et paulo post: Et ideo omnia hæc, quæ sancta nos credimus, illam solam prædicant sanctitatem, Cherubim, & Seraphim indefessis vocibus laudant, & dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus sabaoth. Rursus nos quoque nihil pretiosius inueniemus, quo Deum prædicare possimus, nisi vt sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius est Deo, inferius est Domino. Sequitur: Seraphim laudant, omnis beatorum chorus laudat, vt sanctum Deum dicat, sanctum Filium, sanctum Spiritum sanctum, &c. Ecce quo modo Athanas. & Ambros. notant illud in præfatione, *Per quem maiestatem tuam laudant Angeli, ac beata Seraphim sociâ exultatione concelebrant*, & tandem *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, &c. S. Algerus libro 1. de sacramento corporis Christi capitulo 15. præfationem S. Ambros. citat in Dominica quinta post Epiphaniam. Ambrosium præfationum librum ordinasse prodidit Radulph. Tungrenf. d. propof. vltima, quibus error eorum arguitur, qui Gelasium præfationum auctorem primum faciunt; probatur item præfationum vsus vetustissimus: Quis vero fuerit earum primus auctor nondum sibi compertum scribit Vualfridus Strabo lib. 2. de rebus Ecclesiast. capit. 22. Illud constat in liturgia S. Iacobi, nec non apud Clementem, Præfationes ante consecrationem extare, quæ etsi verbis differant, re tamen vnum, & idem continent. Prætero liturgias Basilij, & Chrysof. in quibus similes præfationes leguntur. Sane in Concilio Africano, tempore Bonifacij primi cap. 70. constitutum fuit, has demum preces & præfationes, quæ probatæ fuerunt in Concil. recitari. Bruchard. lib. 3. decret. c. 67. quod & repetitum fuit in Concil. Mileuitano can. 12. Nouem præfationes enumerat Pelagius Papa 2. epist. 4. ad Episcopos Galliæ, & Germaniæ vnam in Albi Paschalibus, aliam de Ascensione Domini, Tertiam die Pentecostes, Quartam de natali Domini, Quintam de Apparitione Domini, Sextam de Apostolis, Septimam de sancta Trinitate, Octauam de cruce, Nonam de ieiunio in Quadragesima tantummodo dicendam. Has, inquit Pelag. tenet & custodit Romana Ecclesiâ, easq. tenendas mandat, can. inuenimus de consecrat. distinctione 1. Bruchard. lib. 3. capit. 69. Sigibert. ad annum Domini 581. dum de Pelagio verba facit. Microlog. de Ecclesiast. obseruant. cap. 60. His testante Radulpho Vrbanus 2. in Concilio Placentiæ celebrato, decimam de B. Virgine Maria addit anno Domini, can. sanctorum. §. fin. distin. 70. De his plura Radulph. Tungrenf. propof. vltima, & Clitoveus in suo elucidatorio: mutatur vero præfatio pro festorum ratione, vel aliquid ei addatur, Vualfrid. Strabo de rebus Ecclesiast. capit. 22. numquam tamen prætermitti debet, Concil. Basiliens. sessione capit. de his, qui in Missa non complent, Credo. Ceterum extra nouem præfationes ceteras delendas esse suadet Hostien. in capit. Concil. de celebr. Missarum. Ad hæc præfatio contenta, & pleniore voce dicitur: In sequenti oratione ait Amalarus Fortunatus libro 3. de Ecclesiast. offic. capitulo 20. sacerdos clamat ad populum, vt quod ipse iam habet, habeat, & ille, hoc est sursum cor, ac deinde, vt gratias agat Deo pro serenitate mentis: igitur hoc necessario extolletur voce, quod omnibus licet simul agere, id est gratias referre Deo, hoc acclamatur.

P R A E F A T I O N I S E X P L I C A T I O

C A P V T T R I G E S I M V M P R I M V M.

- 1 *Prefatio a gratiarum actione incipit, & desinit in Dei confessionem.*
- 2 *Oratio a laudibus Dei, & gratiarum actione inchoanda.*
- 3 *Dominus vobiscum, quid significet.*
- 4 *Hominiis miseria est cum illo non esse, sine quo esse non potest.*
- 5 *Sursum corda.*
- 6 *Gratias agamus.*
- 7 *Gratia Deo agenda, quando & quibus de causis.*
- 8 *Oratio offertur Deo Patri per Christum.*
- 9 *Angeli, latine nuncij dicuntur, Hebraice אַלְכִימִי estq. hoc nomen officij non naturae, & quibus spiritibus conueniat.*
- 10 *Angelorum ordines nouem numerantur, & declarantur.*
- 11 *Seraphim & seraphici ordinis inter angelos descriptio.*
- 12 *Cherubim qui sint, & quae illa eorum facies apud Ezechielem.*
- 13 *Throni inter angelos qui dicantur.*
- 14 *Angelorum secundus ordo continet dominationes, virtutes, & potestates: & cur virtutes nonnulli collocent in tertio ordine.*
- 15 *Angeli tertij ordinis sunt principatus, Archangeli, Angeli.*
- 16 *Principatus an ab Archangelis distinguantur, qui alioqui principes etiam videntur.*
- 17 *Archangelus vnde dicitur.*
- 18 *Michaeli Archangelo synagoga olim, nunc Ecclesia Christiana tradita est.*
- 19 *Michael peculiarem Gallicani regni tutelam suscepit, eiusq. apparitiones varia referuntur.*
- 20 *Militaris ordo S. Michaelis apud Gallos.*
- 21 *Gallicana Ecclesiae, & vniuersae illius monarchiae, deplorandus hodie status cum apostrophe ad tutelarem eiusdem regni Angelum.*
- 22 *Archangelorum quorundam nomina recensentur, & explicantur officia.*
- 23 *Angelorum tertius ordo quos contineat.*
- 24 *Angeli singuli singulis hominibus ad custodiam dati, & quid de malis angelis.*
- 25 *Potestates quo modo contremiscant in conspectu diuinae Maiestatis.*
- 26 *Calorum virtutes quae sint, & an caeli sint animati.*
- 27 *Ecclesia voces suas cum Angelicis laudibus admitti merito postulat.*
- 28 *Hymni illius ter sancti, vel trisagij, quis primus auctor fuerit.*
- 29 *Trisagium dicere iure non potest, qui ore suo ad vituperium abutitur.*
- 30 *Sanctus ter dicitur in confessionem trium personarum: semel vero Deus Sabaoth, in testimonium vniuersae deitatis & essentiae.*
- 31 *Sabaoth quid significet, numeraturq. inter decem Dei nomina.*
- 32 *Hosanna vox Hebraea est, & prolixè ab auctore explicatur.*
- 33 *Petri Antiocheni haeresis contra Trinitatem.*

1 **P**R A E F A T I O hæc a gratiarum actione initium ducit, & in adorationem, ac diuinæ maiestatis confessionem desinit, optimoq. ordine oblationi præponitur. Omnis enim oratio a laudibus Dei, & gratiarum actione inchoanda est, S. Basil. de constitut. mona. capit. 2. Quandocumque instituis orare, ab eius glorificatione exorditor, qui omnia condidit: cumq. in eo factis fueris immoratus, dic: Gratias ago tibi Domine propter incredibilem clementiam, &c. S. Ambros. lib. 6. de sacram. cap. 5. Non debes, inquit, quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante a laudibus Dei: vnde & oratores isti sapientes hanc habent, disciplinam, vt iudicem fautorem sibi præstent: incipiunt a laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde, & paulatim incipiunt rogare iudicem, vt patienter dignetur audire.

audire. Audet & tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere, &c. superest præfationis singula verba breui percurrere. Imprimis sacerdos precatur populo, *Dominus vobiscum*, vt scilicet adsit per gratiam, qui semper adest per suam omnipotentiam: Non omnes, ait S. August. lib. 14. de Trinit. cap. 12. ad finem, cum illo sunt eo modo, quo ei dictum est: Ego semper tecum, nec ipse cum omnibus eo modo, quo dicimus, *Dominus vobiscum*: magna itaque hominiis miseria est, cum illo non esse, sine quo non potest esse. S. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 12. Igitur Episcopus precationem silètio faciens vna cum sacerdotibus splendida veste indutus stans ad altare, & facto manu in fronte trophæo crucis dicat, gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini nostri Iesu Christi, & communicatio sancti Spiritus sit cum omnibus vobis, & omnes vna voce respondeant. *Et cum spiritu tuo*, ac rursus Episcopus sursum mentem, respondeant omnes, *Habemus ad Dominum*: de hac precatione, *Dominus vobiscum*, plura superiori capite. Sequitur, *Sursum corda*. Quando stamus ad orationem, ait Cypr. sermone de oratione Dominica, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio omnis secularis, & carnalis abscedat, nec quidquam tunc animus, quam id solum cogit quod precatur, ideo & sacerdos ante orationem præfatione præmissa parat fratrum mentes dicendo: *Sursum corda*, vt dum plebs respondet, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil aliud se, quam Dominum cogitare debere: claudatur contra aduersariū pectus, & soli Deo pateat. Hæc totidem verbis Eligius homil. 11. in cœna Domini, S. Chrysof. hom. in encœnijs: Hæc ego dixerim ad eos, qui sanctorum communionem, & consecrationem relinquunt, & sub horam terribilis mysticæ mentis in vaniloquentiæ conuentibus occupati sunt, quid facis homo non promisisti sacerdoti qui dixit, *Sursum mentem, & corda*, & dixisti, *Habemus ad Dominum*, &c. S. August. sermone 44. de tempore: Corda fidelium cælum sunt, quia in cælum quotidie diriguntur, dicente sacerdote, *Sursum corda*, securi respondent, *Habemus ad Dominum*, quibus fere verbis S. August. vitur sermone 54. de tempore, & epist. 156. ad Probam. Idem August. in lib. de vera religione cap. 3. Si denique per vrbes atque oppida, castella, vicos & agros, villasq. priuatas in tantum aperte persuadetur, & appetitur a terrenis auersio, & in vnum Deum verumq. conuersio, vt quotidie per vniuersum humanū genus vna plene voce respondeat, *Sursum corda* se habere ad Dominum. Item de bono viduitatis cap. 16. Illud quoque inter sacra mysteria cor habere sursum iubemur ipso adiuuante id valemus, quo iubente admonemur. Rursus ad Psal. 148. Ibi: Laudate eū in excelsis: Sed cum cogitamus, quo modo illic laudetur, cor ibi habeamus, & non sine causa audimus, *Sursum corda*. Leuemus cor sursum ne putrescat in terra. Et lib. 50. homil. 48. Audis, *Sursum corda*, & curas dicere, *Habemus ad Dominum*. Et libro 14. de ciuit. Dei cap. 13. Bonū est sursum habere cor, non tamen ad seipsum, quod est superbiæ, sed ad Dominum, quod est obediētiae, quæ nisi humilium esse non potest. Cæsarius Abela ten. Episcopus homil. 5. de diuinis mysterijs: Cum maxima pars populi, immo quod peius est, pene omnes recitatis lectionibus exeunt de Ecclesia, cui dicturus sacerdos sursum corda? Numquid respondere possunt quando deorsum in plateis, & corpore simul, & corde discedunt prophani. Apud Apuleium in sacris eorum dicere solebat: Hoc agite, vnde proverbium: Hoc age, de quo latissime Briffonius lib. 7. de formulis. Sequitur, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, sicut enim ante exhortationem necessariū fuit mentis eleuationem a diuina misericordia bene precando optare, ita & necessarium accepta cordis eleuatione Deo nostro, ac Domino Gratias agere. S. Cypria. sermone de cœna Domini ad finem: Ad hæc inter sacra mysteria ad gratiarum actiones conuertitur. S. Chryf. homil. 18. in 2. ad Corinth. Ea quæ sunt Eucharistiæ, id est gratiarū actionis communia sunt omnia: Nec enim ille solus gratias agit, sed etiam omnis populus: prius enim accepta illorum voce, deinde congregatis illis, vt digne, & iuste hoc fiat, incipit Eucharistiam. Idem. Chrysof. homil. 26. in Matth. Ideo altari assistens sacerdos pro vniuerso orbe terrarum presentibus atque præsentibus, pro ijs qui ante nos fuerunt, & postea futuri sunt sacrificio illo proposito Deo nos gratias iubet offerre. S. August. de Spiritu, & littera cap. 11. In ipso verissimo, & singulari sacrificio Domino Deo nostro gratias agere admonemur. Et epist. 57. ad Dardanum: Nosti autem in quo sacrificio dicatur, *Gratias agamus Domino Deo nostro*, Item epist. 120. capit. 19. Hinc gratias agimus Domino nostro, quod est magnum sacramentum, in sacrificio noui testamenti, *Dignum & iustum est*. S. August. l. 2. de bono perferentia, cap. 13. In sacramentis fidelium dicitur, vt sursum habeamus corda, quod munus est Domini, de quo munere ipsi Domino Deo nostro gratias agere a sacerdote post hanc vocem, quibus hoc dicitur, admonemur, & dignum, & iustum est respondet. Et de bono viduitatis c. 16. Et ideo

7 Et ideo sequitur, vt de hoc tanto bono, sursum eleuati cordis, non nobis gloriam, quasi nostrarum virium tribuamus, sed Domino Deo gratias agamus: hoc enim continuo commemoratur, quia hoc dignum & iustum est. S. Chrysostr. hom. 26. in Genesi: Non vt nostra gratiarum actione opus habens sibi gratias agi velit, sed vt quidquid lucri est, id iterum ad nos redeat, & dignos nos faciamus maioribus subsidijs, quamuis autem non possimus facere, vt dignum est, non quo modo id fieri posset, cum tam fragiles natura simus, & quare dico humanam naturam, ipsæ etiam incorporeæ, & inuisibiles virtutes, ac potestates, & cherubim, vt dignus est glorificare illum non possunt, etiam si iuxta vires suas gloriâ illi offerunt, nihilominus iustum fuerit pro viribus gratiarum actionem offerre, & indefinenter glorificare Dominum nostrum, & per benedictionem crebram, & per vitam optimam. Cyril. Ierosolym. cateches. 5. mystagogica: Postea clamat sacerdos, *Sursum corda*, vos respondetis, *Habemus ad Dominum*, deinde dicit sacerdos, *Gratias agamus Domino*. Ad hæc vos subiicitis, *Dignum & iustum est*. S. German. in theo. rerum Ecclesiast. & vice salutis, qua gratiarum actionem, & gloriam reddamus Domino, *Dignum & iustum est*, ait populus in liturgijs S. Iacobi, Marci, Basilij, & Chrysostr. Populus ad monetur attollere mentem, & corda. Et populus respondet, *Dignum & iustum est*, quæ omnia eorum errorem arguunt, qui hanc præfationem Gelasio Papæ acceptam ferunt. Longe enim ante Gelasium veteres Patres, & Græci, & Latini hanc præfationem frequentabant. Honor. in gemma au. Eâ sumptam arbitratur ex c. 3. Lamentationum Ierem. ibi: *Leuemus corda nostra, &c. Vere dignum & iustum est*, S. Clemens lib. 8. constituit. Apostol. capit. 12. & Pontifex dicat, ac rursus Episcopus sursum mentem, Respondeant omnes, *Habemus ad Dominum*, & Episcopus, *Gratias agamus Domino*, & omnes, *Dignum & iustum est*. Deinceps dicat Episcopus: *Vere dignum & iustum est*. Laudare ante omnia, Deum verum dignum est, quantum ad Dominum, quia ipse est Dominus Deus noster. *Iustum est*, quantum ad nos, quia nos sumus populus eius: *Dignum*, quia nos mera voluntate fecisti: *Iustum*, quia nos pura misericordia redemisti: *æquum*, quia gratuito nos iustificas: *salutare*, quia nos perpetuo glorificas. Hæc Innocent. l. 2. myster. Missæ in expof. præfat. & Durand. in Ration. lib. 4. cap. 33. paulo aliter Florus magister, qui floruit regnante Carolo Caluo, in expositione Missæ. Quod est iustum, hoc est & æquum, sed repetitio sermonis confirmatio est veritatis. Et paulo post: *Vere ergo*, vt incessanter; Gratias agamus, Dignum est pro tantis beneficijs, *Iustum* nostris obsequijs, *æquum* ipso pondere rationis, *salutare* manifesto fructu salutis. *Per Christum Dominum nostrum*. Tota oratio, ac gratiarum actio, quam vbique debemus, offertur Deo Patri, Per Christum Dominum nostrum, tamquam per mediatorem Dei & hominum, de quo Apostolus ait: Vnus est Deus, vnus mediator Dei & hominum. Hæc pluribus Florus Magister, in exegefi Missæ. Optat. Mileuit. lib. 3. contra Permenianum paganum, inquit: Vocas eum, qui Deum Patrem per filium eius ante aram rogauerit: Neque tamen præiudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, de quo plenius infra in his verbis: *Te igitur clementissime Pater Laudant Angeli*. Angeli Græce, Latine nunciij dicuntur. S. August. de ciuitate Dei, lib. 18. cap. 35. & lib. 16. contra Faust. Manichæum cap. 20. & tract. 24. in Euangel. Ioan. nec non 34. in eundem. S. Hieronym. in Marc. cap. 1. Ideo vero nominatur Angelus, auctore S. Chrysostr. homil. 3. de incomprehensibili Dei natura, quia Dei sententias hominibus ἀγγέλλει, hoc est nunciat: ἀγγέλλω, enim nuncio. Hesich. Pollux, & Suidas. S. Paul. 1. ad Hebræos appellat Angelos, administratorios Spiritus, in ministerium missos eorum, &c. ἀγγέλοι πάντες εἰσὶ λειτουργοὶ καὶ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστέλλόμενα. Hebraice Angeli appellantur Malachim, quæ vox & nuncios & Angelos significat. Genes. cap. 16. Psal. 103. Qui facit Spiritus suos. Item Nahum. 2. Iob cap. 1. & alibi sæpe, quare Angeli nomen officij est, non naturæ. S. Hilar. lib. 5. de Trinit. Prosper ad Psal. 103. Ceterum obseruandum est Angelorum nomen commune esse omnibus spiritibus cælestibus. Daniel 3. quandoque nomen proprium, & peculiare est in ijs, qui sunt vltimi seu infimi ordinis, vt ex Dionys. de cæl. Hierarch. cap. 5. perspicuum est. S. Tho. 1. par. q. 108. artic. 5. versic. ad primum. Illud constat, distinctos esse Angelorum ordines. S. Hieronym. A. polog. aduersus Ruffin. lib. 1. & lib. 2. aduers. Iouinianum. Nouem vero esse Angelorum ordines. S. Dionys. alijq. patres consentiunt. S. Dionys. de cælesti Hierarch. c. 5. & sequen. Plene Magister sentent. lib. 2. dist. 9. vbi Bonauent. & ceteri. S. Thomas par. 1. quæst. 100. Porro S. Dionys. testate Damaso lib. 2. orthodoxæ fidei cap. 3. Cælestes substantias in tres ordinum terniones distinguit, quorum primum eum esse ait, qui Deum semper circumstat, assidueq. ac citra vllius rei interuentum ei copulatus est:

est: nempe sex, aligerorum Seraphim, oculatissimorum Cherubim, & sanctissimorum thronorum. Secundum, Dominationum, virtutum, ac potestatum. Tertium ac postremum principatum, archangelorum, & angelorum. Hi nouem ordines sacre Scripturæ testimonijs plane, & aperte comprobantur. Seraphicus primus angelorum ordo ab Isaia cap. 6. describitur: Seraphim, inquit, stabant clamantia, & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Hunc locum singularem notat ibid. Hiero. neque alibi in scripturis mentionem Seraphim fieri: Seraphim autem idem Hieronym. interpretatur ἐμωρησας, hoc est incendentes, siue comburentes. Inde Psal. 103. Qui facit angelos suos Spiritus, & ministros suos ignem vrentem, vel Seraphim eodem Hieron. auctore Epist. 142. ad Damas. ardor, aut incendium, quidam Græcorum ait. Ibidem Hieronym. in scripturis apprime eruditus, Seraphim virtutes quasdam in cælis esse exposuit, quæ ante tribunal Dei assistentes, laudent eum, & in diuersa ministeria mittantur, maximeq. ad eos, qui purgatione indigent, & ob pristina peccata, aliqua ex parte supplicij purgari merentur. S. Chrysostr. hom. 3. de incomprehensibili Dei natura: Seraphim a candente, flagranteq. ore nomen inuenerunt. Sophronius in encomio sanctorum archangelorum: Cum vos, o Seraphim, ob incendi expiandi vim, qua polletis, omnem malitiam, omnemq. foeditatem absumere, & expiare consueuistis, incensorum, & calefactorum nominibus designemini. Ordinis cherubici mentio fit Genes. 3. Exod. 25. 12 Ezechiel. 10. & 28. & alibi passim. Cherub, ait Hieronym. in Ezechiel: capit. 28. dicitur genere masculino, & numero singulari: plurali vero Cherubim scientia multitudo. Id ipsum docet Hieronym. epist. 103. ad Paulinum. Item S. August. ad psal. 98. Nam, inquit, & ipsum Cherubim interpretati sunt quidam, quid diceretur latine. Qui nouerunt linguam illam Hebræam, quia Hebræa lingua dictum est Cherubim, & dixerunt esse Cherubim plenitudinem scientiæ. Quare, ait Sophronius in encomio archangelorum, cognitionis fontes, & scaturigines appellantur. Quæ vero fuerit facies Cherub, cuius meminit Ezechiel. cap. 10. non omnes conueniunt. Ioseph. lib. 3. cap. 6. prodidit faciem Cherub esse faciem auis numquam visæ ab hominibus, cuius similitudinem Dominus ostendit in Ore. At S. Hieron. scribit faciem esse vituli. Nicolaus de Lyra ad cap. 10. Ezechielis ex Rabi Salomo. Caieta. Paul. Brugen. Xantes Paguinus in thesauro, & quidam alij crediderunt Cherubim habuisse similitudinem puerorum alas habentium. Quam opinionem eiusq. argumenta erudite refellit Hieronym. ab Oleastro ad cap. 25. Exodi. Multa in vtramque partem offerri possent. At illa tractatio non ita magni ponderis est, vt in ea sit diutius immorandum. Sequitur tertius prioris Hierarchiæ ordo, Thronorum scilicet. Thronus Græce, Latine sedes. Hieron. ad psal. 9. 13 Thronos S. Paul. ad Coloss. cap. 1. angelicos spiritus appellat Deus, auctore August. lib. 3. de Trinit. in angelicis spiritibus summa amicitia copulatis, tamquam in excelsa, & sancta sede residet. Throni, ait, Gregor. homil. 34. in Euangelia, illa agmina vocantur, quibus conditor præsidet. Idem Gregor. homil. 8. super Ezechielem affirmat, nusquam legi thronos missos ad ministerium, quia eis longe sublimius Creator omnium præsidet. O throni, ait Sophronius in encomio archang. ardore incensi, & inaccesi, qui Dei optimi sedes, vehiculum, & requies estis, &c. Ad hæc, sciendum est, ait Gregor. homil. 34. in Euangel. quod plerumque ipsi beatorum spirituum ordines, vicinorum sibi ordinum vocabula fortiuntur. Thronos etenim, scilicet sedes Dei, specialem beatorum spirituum ordinem diximus, & tamen per psalmistam dicitur: Qui sedes super Cherubim, quia videlicet, dum in ipsis distinctionibus agminum Cherubim thronis iunguntur, sedere etiam super Cherubim Dominus, ex vicini agminis æqualitate perhibetur, &c. Secunda Hierarchia ex sententia Dionys. dominationes, virtutes, & potestates continet. Horum trium ordinum meminit Paul. ad Ephes. 1. Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. Quæ vero sint proprietates, & officia dominationum, virtutum, & potestatum præclare S. Dionys. de cælesti Hierarch. cap. 8. S. Gregor. homil. 34. in Euang. can. principium de poenitentia distin. 2. Sophronius in encomio archang. Glicas par. 1. annal. S. Bernard. sermone 19. in cantica. Sane hac in parte scrupulus tenuis iniicitur. Dionys. enim virtutes in secunda Hierarchia collocat, inter dominationes, & potestates, atque ita ex sententia Dionysij virtutum ordo est medius Hierarchiæ secundæ. Sequitur Athanas. lib. quæst. 4. & sermone de Deipara Virgine ad finem. Gregor. vero hom. 34. quem Bernard. sequitur virtutes numerat in primo ordine tertiæ Hierarchiæ: Principatus vero, in secunda Hierarchia cum dominationibus, & potestatibus. Dionys. imitatus videtur apostolum ad Ephes. 1. vbi ascendendo, ait: Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem. Gregorius vero eundem Apostol. ad Coloss.

Coloff. cap. 1. ubi descendendo, inquit, siue throni, siue dominationes, siue principatus, siue potestates. At obseruandum est angelorum nomina bifariam considerari, vel quatenus spirituales ipsorum perfectiones respiciunt, vel quatenus externa tantum ministeria. Primum autem modum in ordinibus computandis Dionys. respicit, secundum vero Gregorius: quod plenius explicat S. Thom. 1. par. quæst. 108. artic. 5. & 6. Plane thronorum, dominationum, & principatum nomina non substantias nominatorum commendant: verum honoris singulorum mensuram significant. Cyrill. Alexandr. lib. de Spiritu sancto: Superest tertia Hierarchia ex principatibus, archangelis, & angelis constans. Principatum nomen, proprietates, & officia Dionys. cap. 9. pluribus verbis explicat. Quod si quis hæreat, quasi nihil intersit inter dominationes, potestates, & principatus: Rursus quod Archangeli dicuntur, quasi principes angeli. Non ergo debet hoc nomen imponi alij ordini, quam ordini principatum. Respondet apposite Thomas d. quæst. 108. artic. 5. His verbis: Nomen dominationis, & potestatis, & principatus diuersimode ad gubernationem pertinet. Nam Domini est solummodo respicere de agendis, & ideo Gregor. homil. 34. in Euangelia dicit quod quædam angelorum agmina, pro eo quod eis cetera ad obediendum subiecta sunt, dominationes vocantur. Nomen vero potestatis, ordinationem quamdam designat, secundum illud Apostol. ad Rom. 13. Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Et ideo Dionys. capit. 8. cælestis Hierarch. ante medium dicit quod nomen potestatis significat quandam ordinationem, & circa susceptionem diuinorum, & circa actiones diuinas, quas superiores in inferiores agunt, eas sursum ducendo: ergo ad ordinem potestatum pertinet ordinare quæ a subditis sunt agenda. Principari vero, vt Gregor. homil. 34. in Euangel. ante medium docet, est inter reliquos priorem existere, quasi primi sint in executione eorum, quæ imperantur: & ideo, ait Dionys. cap. 9. cælestis Hierarch. circa principium, nomen principatum significat dum cum ordine sacro. Illi enim, qui alios ducunt, primi inter eos existentes, principes proprie vocantur, secundum illud Psal. 57. Præuenerunt principes coniuncti psallentibus. Deinde Archangeli, auctore Dionys. cap. 9. Ecclesia. Hierarch. medij sunt inter principatus, & angelos: Medium autem comparatum vni extremo, videtur alterum, in quantum participat naturam vtriusque, sicut tepidum respectu calidi, est frigidum: respectu vero frigidi, est calidum: sic & archangeli dicuntur, quasi principes angeli, quia respectu angelorum, sunt principes, respectu principatum, sunt angeli. Secundum Gregor. homil. 34. in Euangel. dicuntur archangeli, quia principantur soli ordini angelorum, quasi magna nuntiantes. Principatus autem dicuntur, quia principantur omnibus cælestibus virtutibus, diuinas iussiones expleantibus. Hæc omnia Thomas dicta quæst. 108. artic. 4. Consequens est, vt de archangelorum ordine agamus, cum præsertim in eam tractationem inciderim, eo ipso die, quo festum S. Michaelis celebramus. Archangelus dicitur quod angelis ἀρχαῖ, id est imperat, siue præest. S. Chrysost. homil. 3. de incomprehensibilis Dei natura. Vnde Zachar. cap. 1. Angelus maior dixit minori: Vade, inquit, & doce puerum istum. Quare angeli summi, nuntij dicuntur. Gregor. d. hom. 34. Archangelis non nomina, vt quidam crediderunt, sed agnomina, per quæ dignitas, vel officium eorum designatur, imposita fuere. Gotfrid. Viterbiens. 1. par. chronicorum vt מַיְכָאֵל Michael quis, sicut Deus S. Hieronym. ad cap. 8. Daniel. Porro, ait Hieronym. vbi populo prospera promittuntur, εὐλασμοὺς, quod nos Dei propitiationem, vel expiationem possumus dicere, necessaria est, Michael dirigitur, qui interpretatur, quis sicut Deus? vt scilicet intelligatur, quia propitiationem, vel expiationem, nullus possit offerre nisi Deus. Addit Gregor. d. homil. 34. Quoties miræ virtutis aliquid agitur, Michael mitti perhibetur, vt ex ipso actu, & nomine detur intelligi, quia nullus potest facere quod facere præualet Deus. Michael em Iudas epist. canonica archangelum appellat: Daniel vero cap. 10. Vnum de principibus primis. Hic olim præerat populo Israel, & Iudæorum Synagogæ. Daniel. 12. ei. q. creditum fuisse populum Iudæorum notant Hieronym. in cap. 10. Daniel. & S. Gregorius lib. 17. moral. cap. 8. hodie præest Christianorum Ecclesie. S. Thom. ad cap. 12. Apocalyp. hunc animarum illustratorem appellat. Sophronius in encomio archang. Ea tuba clangente mortui resurgent, totusq. ait Sophron. commouebitur orbis. Is, eodem Sophronio auctore, piorum animas e corporis ergastulo, & purgatorio exemptas deducit ad cælum. Varia eius miracula copiose, & grauiter commemorat Pantaleon Diaconus, vt est apud Metaphrasten, præcipue vero Michaeli, Gallici regni tutela commissa creditur. Nam & Christianæ religionis regnum istud, columna præcipua est, & Gallorum reges Christianissimi, & Ecclesie propugnatores fuerunt hætenus præcipui.

Legimus

Legimus varias S. Michaelis apparitiones. Constantino apparuisse Michaelem, ob idq. Constantinum duas Ecclesias in Sosthenio, in honorem eius extruxisse, Auctores sunt Sotzom. lib. 2. cap. 2. Nicephor. l. 8. capit. 4. Georg. Cedrenus, & alij complures. Has demum Ecclesias, diuturnitate temporis collapsas admiranda structura, ex ipsis fundamentis Iustinianus restituit. Procop. lib. 1. de ædific. Iustina. in Apulia, ad radices Gargani montis, Gelasio primo Pontifice maximo, imperate Anastasio, ab eo Aedem sacratam fuisse testantur Beda, & Ado Treurenf. in Martyrologio 3. Kalend. Octobr. Sigibertus ad annum 488. Ioan. Echius homil. 3. in festo S. Michaelis, & complures alij. Huius vero apparitionis, & consecrationis memoriam Ecclesia octauo Idus Maij, & 3. Kalend. Octob. religiose colit. Ad hæc, anno salut. 709. sanctus Michael Auberio Episcopo Sambriocano apparuit, iubens ei in montis vertice, prope Sambriocanam ciuitatem Britannie, Ecclesiam in eius honorem ædificare, & dedicare. Guaguinus lib. 3. cap. 4. Benedictus ad cap. Raynutius in verbo Adiectæ impuberi. Hanc sequens ætas miraculorum splendore fulgentem, piorum hominum tam conuenarum quam externorum frequentia celebravit. Quare cum Galliarum Reges tutelam, atque præsidium S. Michaelis in communibus miserijs crebro experti essent, Ludouicus XI. ordinem militare S. Michaelis Galliarum propugnatoris instituit. Sane hodie is est Galliarum status, ea rerum omnium perturbatio, atque conuersio, vt suæ quemque fortunæ pœniteat, nemoq. fere sit, qui non vbiuis potius, quam vbi est, esse malit. Non solum enim rei familiaris iactura, sed totius Gallie imminere videtur interitus: & quod maximum est, veræ & catholice religionis ereptio. Hæretici siquidem templa diruunt, altaria prophanat, & euertunt, sacras Christi, & sanctorum imagines incendunt, catholicos insectantur, captos vinculis, verberibus, atque omni supplicio excruciatos necant: Germanorum, & barbarorum copias in Gallie vastationem aduocant. Ac, quod omnem impietatem superat, sacrosanctum Christi corpus, quod in Eucharistia latet, passim proterunt, & conculcant. Rursus catholici non omnes idem sentiunt, complures in varias partes, & factiones diuiduntur, multos spes rapiendi, & prædandi excæcat; nullus regis, aut legum metus; illinc præstigiæ, hinc fallaciæ. Quare ad te Deum Opt. Max. confugimus, remitte nobis Domine, remitte, ne simul perdas nos cum iniquitatibus nostris, neque in æternum iratus referues mala nobis. Miserere Domine, & mitte exercitus tui principem Michaelem Archangelum, qui toties cum dracone congressus victoria potitus est. Is, te mandante, hæreticorum, & barbarorum copias disperdat, & dissipet. Catholicos quorundam perfidia & dissimulatione distractos, rursus in pristinam reducat concordiam. Galliam, antiquum religionis orthodoxæ domicilium, Michaelis tutelæ consecratam, sartam, tectamq. ab omni periculo confirmet, ipsamq. tutam ab insidijs inimicorum præstet: ad custodiam ciuitatis Tolosane, tibi innumeris beneficijs deuinctæ & deditæ inuigilet, nosq. omnes ad piam pacem, quæ nihil insidiarum sit habitura, adducat, nosq. Deo copulet. Tu vero, vt cum Sophronio loquar, ter sanctissime sacra militia Princeps, & administrator Michael, Angelorum coriphæ, omni cultu, omniq. laude, & celebratione dignissime, internos sensus meos illustra: cor meum vitæ huius fluctibus agitatam confirma: mentem meam ad terrena inclinatum sursum ad cælestem prudentiam subleua: e mortuos pedes, ne semitam, quæ ad cælos ducit, deseram, corrobora: cicatrices meas, quæ graueolentiam exhalant, planeq. putrescunt, sana: cetera tandem miseriarum mearum, & laborum molestias cura. Iterum re, & nomine te Michael oro, & quanto possum sensu, obtestor, vt vitæ huius curriculo exituro, letus, pacatusq. appareas: meq. sub honorato alarum tuarum velamine abscondas, atque ex angustijs obscurisq. inferiorum locis ereptum, in loco tabernaculi admirabilis constituas. Sunt & alij Archangeli, quorum nomina seu potius agnomina ad nos peruenerunt, Gabriel, Raphael, Vriel. גַּבְרִיֵּאל Gabriel, ait Hieronym. in capitulo 22. Danielis in linguam nostram vertitur fortitudo Dei: vnde & eo tempore, quo erat Dominus nasciturus, & indicturus bellum dæmonibus, & triumphaturus demundo, Gabriel venit ad Zachariam, & ad Mariam. Hic, inquit Sophronius, Danieli in Cobar visionem illam plane diuinam patefecit: ex Daniel. 8. Hic infœcundum ante Elisabethis vterum a vinculo, quo tenebatur, Dei iussione soluit. Hic beatissimam, inculpatissimamq. sacratissimæ purissimæq. Domine nostræ genitricis Dei Mariæ animam læta, salutarisq. annunciatione, ingenti gaudio imbuit, Euæq. tristitiam, eiusdemq. luctum certæ salutis sponse in lætitiâ transformauit, Eusebius Emisenus Dominica 4. Aduentus: Missus est, inquit, Angelus Gabriel, qui Dei fortitudo interpretatur, vt Dei virtutem, & Dei sapientiam carnem suscipere nuntiaret. Raphael. Raphaelis sit mentio Tobie 5. & 12. vbi cumque

quo ait Hieronym. in capitulo 8. Daniel medicina, & sanatio necessario, Raphael mittitur qui interpretatur curatio, vel medicina Dei, hoc videlicet nominis interpretatione significante, quod in Deo sit medicina vera אֱלֹהֵינוּ Vriel. Vrielis meminit S. Ambr. lib. 3. de fide capit. 2. ibi: Non moritur Gabriel, non moritur Raphael, non moritur Vriel. Perhibetur, ait Glicas par. 1. annal. cap. de Caianitarum secta diuinum angelum Vrielem, cuius est inter astra statio, descendisse ad Sethum, & Enochum, eosq. de temporum anni, mensium conuersionum, ipsorumq. annorum adeo discriminibus erudijisse. Alibi idem Glicas enarrans Tobiae historiam ex Psello scribit appellationem Vrielis, nec prisci foederis libris, nec noui contineri: eamq. extare in libro quodam Hebraico, qui habet inscriptionem: **23** Precationes Iosephi. Restat vltimus tertiæ hierarchiæ ordo, angelorum scilicet, horum est minima nunciare. Gregor. hom. 34. Quo argumento concludit Thom. 1. par. quæst. 113. artic. 3. singulorum hominum particularem custodiam ad angelos infimi ordinis spectare. **24** Notum atque testatum est omnibus, singulis hominibus singulos angelos ad custodiam committi, & delegari. Matth. 18. Angeli eorum in cælis semper vident faciem Patris mei, qui in cælis est. Apost. quoque 1. ad Corinth. 11. præcipit velari capita feminarum propter Angelos. Et Act. 12. Petro pulsante in ædibus Mariæ, quæ mater erat Ioannis, & ancilla Rhode nomine denunciante, Petrum ante ianuam esse, dixerunt: Angelus eius est. Origenes hoc per Numeros: Adest, inquit, vnique nostrum etiam minimis, qui sunt in Ecclesia, angelus bonus, angelus Domini qui regat, qui moueat, qui gubernet. Magna, inquit Hieronym. in cap. Matt. 17. & in dialogo de origine animarū, dignitas animarū est vt vnaquæque habeat ab ortu natiuitatis angelum in custodiam designatum, vel delegatum. Idem Hieron. epist. 27. ad Eustochiū virginem: Testor Iesum, & sanctos eius, ipsumq. proprium angelū, qui custos fuit, & comes admirabilis Paulæ. S. Basilius hom. in Psal. 48. enarrans verba: Et dominabuntur eorum recti in matutino, ait: Cuilibet fidelium est angelus assistens, & adiunctus, patrem qui est in cælo videre dignus. Et lib. 3. contra Eunomium: Quod vero singulis fidelium adsit angelus, vt pædagogus quidam, & pastor, ad vitam dirigendam nemo contradicit, qui verborum Domini recordatur dicentis: Ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, quoniam angeli eorum in cælis semper vident faciem patris mei. Et psalmista dicit: Castrametatur angelus Domini in circuitu timentium ipsum. Idem Basil. in psal. 33. Cuilibet credenti in Dominum assidet Angelus, nisi nos ipsum per mala nostra opera effugauerimus: Nam sicut apes fugat fumus, & col umbas abigit malus odor: ita etiam vitæ nostræ custodem angelum amouet, & abducit lacrymabile, foetidumq. peccatum: Chrysostom. homil. 14. circa finem, epist. ad Hebr. Vnicuique, inquit, nostrum angelus assidet. Anastas. Episcopus Nicænus quæst. 41. in Scripturam: Nam vnusquisque fidelis habet angelum suum custodē, & vt scriptum est: Castrametabitur angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos: Nam etiam ab initio quilibet vir probus habebat angelum sicut dicit Iacob. Angelus qui me liberat a iuuentute mea. Sunt & alia innumera sanctorum patrum in eadem sententiam testimonia, quibus accedat August. soliloq. capitulo 27. vbi de angelis loquitur in hæc verba: Ideoq. magna cura, & vigilantissimo studio, adiuuant nobis omnibus horis, & locis succurrentes, & prouidentes necessitatibus nostris, & solliciti discurrentes inter nos, & te Domine, gemitus nostros, atque suspiria referentes ad te, vt impetrent nobis facilem tuæ benignitatis propitiationem, & referant ad nos desideratam tuæ gratiæ benedictionem. Et postea: Grandis est ijs cura de nobis, magnus est affectus dilectionis eorum erga nos, & hoc totum propter honorem inestimabilis tuæ charitatis, qua dilexisti nos: diligunt enim quod tu diligis, custodiunt quod tu custodis, & deserunt quod tu deseris, &c. Immo binos angelos, singulos quosque hominum comitari affirmat Origen. lib. 3. Periarchon. Quare, ait ille, si quando bonæ cogitationes cor nostrum ascenderint, a bono suggeruntur: si vero malæ, instigationi mali angeli ascribuntur: In eamq. sententiam, & librum de pastoribus, & Barnabæ epistolā laudat: Vnusquisque, ait Gregor. bonum angelum habet sibi ad custodiā deputatum, & vnum malum, ad exercitium. Magister sentent. lib. 2. dist. 11. circa principium: Amplius angelos regnis, nationibus, prouincijs, & vrbibus custodiendis delegatos legimus Danielis 10. vbi Theodoret. apud Origen. homil. 35. in Luc. Basiliū lib. 3. aduersus Apolog. Eunomij. Gregor. Nazianzen. orat. 32. in præsentia 150. Episcoporum, Hieron. in cap. 34. Isaia 28. Ezechiel, & cap. 1. Zachar. Gregor. Pap. in 25. capit. Iob. Tremunt potestates, **25** hoc beatus Iob prædixerat cap. 26. columnæ cæli contremiscunt, & pauent ad nutum eius. Columnas ibidem interpretantur angelos Hieronym. Gregor. & Philip. presbyter. Item Gregor.

Columnas ibidem interpretantur angelos Hieron. Gregor. & Philip. presbyter. Item Gregor. in cap. 26. Iob, virtutes cælestium, quæ Deum sine cessatione conspiciunt in ipsa sua contemplatione contremiscunt, sed idem tremor ne iisdem poenalis sit, non timoris est, sed admirationis. Cum igitur, addit Seuerianus, tanta sit deuotio laudantium, veneratio adorantium, tremor admirantium, consideret hæc homo, cui dictum est: Quid superbit terra & cinis? & audiet Apostolum monentem ad Philippenf. 2. Cum metu & timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. *Cæli cælorumq. virtutes.* Horum verborum argumentum non pauci asseruerunt, cælos animatos esse, vt referunt S. Thom. quodlibeto 12. & Caieta. ad psal. 135. Fecit cælos in intellectu. Plane cælum, cælestiaq. corpora animam habere Platonicis, & Peripateticis antiqui crediderunt. Plato lib. 12. de legibus, & in Tim. Plotinus enead. 2. lib. 2. cap. 1. Philo Iudæus lib. de somnijs, & lib. de opificio sex dierum. Cic. libro 6. de repub. Aristot. lib. 2. de cælo. 7. & 8. physicon, & lib. 2. de anima. Theophrast. libro primo de cælo. Auerr. 2. de cælo, comment. 61. Auicenna, Alexander, Aphrodisæus, Algazel, & alij innumeri. Consentiant Astronomi Ptolomæus, Albumazar, Hali, A ratus, & Manilius, & ex nostris, Origen. & quidam alij. Verum hanc opinionem improbant S. Basil. hom. 3. hexameron, S. Hieron. ad cap. 45. Isaia, & in epist. ad Auitum, vbi errores Origenis recenset, Damascenus libro 2. de fide orthodoxa, cap. 6. S. Thom. par. 1. quæst. 70. artic. 3. Bonauentura, Scotus, & ceteri ad 2. senten. dist. 14. plenissime D. Paus. in libro de cælorum animatione, & alij plures. Gabriel Biel eruditus alioqui Theologus in explicatione præfationis Missæ interpretatur cælos materiales, & virtutes cælorum influxiue, ait ille, in inferiora: quibus inferior mundus regitur, illuminatur, fecundatur, & ad operationes suas disponitur. Non desunt qui existimant cælos, cælorumq. virtutes concelebrare maiestatem diuinam, eo nimirum sensu quo psalm. 19. Cæli enarrant gloriam Dei, & psalm. 148. Laudate eum cæli cælorum. Cæli enim stellæ etiam, ait Euthimius, ad psal. 148. post Chrysostomum, & si voce careant, mentem etiam, aut animam non habeant: laudant tamen Deum, & maiestatem eius celebrant, per prosopopæiam, quæ Hebraice communi quodam omnibus figuris nomine dicitur, אֱלֹהֵינוּ sua magnitudine, pulchritudine, situ, natura, vtilitate, ministerio, perseverantia, atque alijs similibus modis, quibus etiam spectatorum animos in admirationem, & laudem factoris mouent. Vnde spectatoris lingua ad Dei laudem vtuntur. Omnia enim, ait Gregor. Nazianzenus, Deum laudant inenarrabilibusq. & mutis etiam, vt ita dicam, vocibus Deum glorificant. At cæli materiales, vt orbis, globosq. cælestes significant, societatem non habent cum spiritibus angelicis in celebrandâ laude diuina, neque hoc loco commemoratis hinc, & inde supernarum substantiarum ordinibus congruum esset miscere sermonem de sensibilibus, & materialibus cælis, qui omnino sunt alterius generis ab angelorum natura, & gradum longe inferiorem sortiti. Clitoveus libro 3. Elucidator. Ecclesiast. & D. Paus. libro de cælorum animatione, cap. 7. Quare hoc loco cæli cælorumq. virtutes, cælestes omnes spiritus significant. Cæli enim plerumque pro angelis Iob. 15. vbi Hebræus habet, Cæli non sunt mundi, Chaldæus interpretatur, Angeli in excelsis non sunt mundi. Nam, vt ait Florus magister post Seuerianum, cum longum foret in ista gratiarum actione, totos angelorum ordines, qui nouem in scripturis inueniuntur, sigillatim ponere, post cælos ponuntur virtutes, quo nomine omnes cælestes spiritus appellari solent, vt est illud psalm. 23. Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ. & psalm. 32. Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Et rursum psalm. 102. Benedicite Domino omnes virtutes eius. Attamen proprie, ait Florus post Gregorium homil. 34. in Euangel. in ordinibus angelorum virtutes illi spiritus vocantur, per quos signa, & miracula frequentius fiunt. *Cum quibus* **27** *nostras voces.* Vox Angelorum, ait Gregorius in primum caput Iob, cap. 5. est in laude Conditoris ipsa admiratio intimæ contemplationis. Voces ergo nostras, ait Florus magister post Seuerianum in conspectu Dei cum angelicis laudibus deprecamur admitti, id est assumi, vel intromitti, vt possimus dicere: Intret oratio mea in conspectu tuo, vtique tales voces & talis clamor non est in sono oris tantum, sed multo magis in desiderio cordis. Et quia superna illa ciuitas, & angelis, & hominibus constat: merito addit Florus post Seuerianum, sancta Ecclesia, quæ illi socianda est in cælo, & cum illis in Dei laudibus permanens, iam nunc ipsis vocibus Deum laudat in terris. R quibus

quibus eum sancti angeli laudant in cælis. Et hoc non superba præsumptione, sed sup-
 plici confessione hic desiderans maiestatem Dei credere in mundo, sicut ab angelis vi-
 detur, & laudatur in cælis. *Socia igitur exultatione.* id est vna laude & gratiarum actione
 iam nunc homines cum angelis sociantur, dicentes, Sanctus. Hæc Alcuinus, Seueria-
 nus, & Florus, quibus addo Chrysofomum hom. 19. in Matth. Vnus est ex angelorum
 choro & archangelorum socius effectus, cum Cherubim quoque, ac Seraphim canis.
 Et homil. de non contemnenda Ecclesia & Ecclesiæ mysterijs: Cogita prope quem asti-
 teris, o homo, in sacro illo, & horrendo sacrificio, cum quibus Deum sis inuocaturus,
 28 cum Cherubim & Seraphim, & alijs cælestibus virtutibus. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Vulgo
 receptum est, Sixtum, octauum a Petro pontificem, ter sanctum hymnum ad Missam ad-
 didisse, Damasc. lib. pontifical. cap. 8. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ,
 Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 21. Rupert. de diuinis officijs. cap. 21.
 Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 11. Radulph. Tungren. de canon. obseruat. prop.
 pos. 23. Sigibertus, Marianus Scotus, & Martinus Polonus in Sixto. Berno de officio
 Missæ, cap. 12. At ex Liturgijs sancti Iacobi, & Marci, qui aliquot annos Sixtum ante-
 cesserunt, ter sanctum hymnum in Missa decantari consuetum apparet, illumq. trium
 phalem appellant, S. Iacobus, & Basilius in Liturgijs, S. item Clemens lib. 8. constitut.
 Apostol. cap. 16. circa fin. huius ter sancti hymni meminit in hæc verba: Te adorant in-
 numerabiles angelorum copię, archangelorum, thronorum, dominationum, potesta-
 tum, virtutum, æternorum exercituum, cherubim, & senis alis præditi seraphim, binis
 quidem tegentes pedes, binis vero capita, binis item volantes, & dicentes vna cum mil-
 le millibus Archangelorum, & centum millibus Angelorum, nullo puncto temporis
 intermisso, & sine intercapedine vocis clamantium. & omnis populus dicat: Sanctus,
 Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Plenum est cælum gloria eius, Benedictus in
 sæcula, &c. Nicephorus lib. decimo octauo. cap. quinquagesimo primo, Ter sanctum car-
 men, inquit, vt apparet & mihi videtur iam inde ab Apostolis etiam ante Theodosij iu-
 nioris, & Procli patriarchæ tempora per manus Ecclesiæ Christi traditum est. Inde hunc
 hymnum apposite Alcuinus primæuum appellat. Porro in concilio Vasensi, quod ce-
 lebratum est sub Leone primo, cano. 45. diserte constitutum fuit in omnibus Missis siue
 matutinis, siue quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro commemorationibus defun-
 ctorum fiunt semper Sanctus, Sanctus, Sanctus eo ordine recitari, quo ad Missas publi-
 cas dici debet. Quoniam, ait Synod. tam dulcis, & desiderabilis vox etiam si die, nõ-
 etuq. possit dici, fastidium non poterit generare, &c. Hunc hymnum gloriæ Dei Isaias
 propheta capite sexto, se audisse testatur, quando gloriam Domini vidit, & seraphim
 istis vocibus eum collaudantia audiuit. Et clamabat, inquit, alter ad alterum, & dice-
 bat: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus sabaoth. In Apocalypsi item de quattuor
 animalibus, sic legitur, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, &c. Vsum
 illius hymni in sacris mysterijs, nedum apud Latinos, sed & apud Græcos probat san-
 ctus Athanasius libro nono de fide sua ad finem. Sit ergo nobis secundum salutaris bap-
 tismi confessionem, fides integra Trinitatis, sit vna deuotio pietatis, nec more genti-
 lium, potestatum diuersitatem opinemur, sed potius perfectam Trinitatem adorantes
 & magnificentantes, sicut in mysterijs ore nostro dicimus, ita conscientia teneamus San-
 ctus, Sanctus, Sanctus, Deus omnipotens. Quæ totidem verbis repetit Victor Vricenf. li-
 bro secundo de persecut. Vandal. ad finem. Hunc hymnum Ecclesiam, per vniuersum or-
 bem decantaturam Isaias prædixerat. Quod & Procopius monet his verbis, *ὡς γὰρ τῆ*
ἰουδαίων συναγωγῆ, τοῦ ἁγίου, ἁγίου, ἁγίου, οὐχ ἀνόητος, ὁ γράφεται ἕως τῆ ἐκκλησίας κα-
 29 *θόλης τῆς οἰκουμένης ἀπικεῖτο.* Plane dum hymnus iste canitur, homo cogitare debet, ait
 Chrysof. hom. 14. ad Ephes. cum quibus tempore mysteriorum astat, cum cherubim cum
 seraphim neminem vituperant, sed vnus & idem vsus ora illorum adimplet, nempe bene-
 dicendi & glorificandi Deum. Quo modo, ait ille, potes dicere, Sanctus, Sanctus, Sanctus,
 qui ore tuo ad vituperium abuteris? Sane perspicuum est nihil pretiosius auctore Ambrosio
 libro 3. de Spiritu sancto, cap. 18. nos inuenire, quo Deum prædicare possimus, nisi vt san-
 ctum appellemus. Illud obseruandum est, quod ter dicitur Sanctus, vt notetur Trinitas,
 seu distinctio personarum: sed semel tantum dicitur Deus sabaoth, vt denotetur diuinæ sub-
 stantiæ vnitas. Sanctus Athanas. in hoc dictum: Omnia mihi tradita sunt a patre. In eo ipso
 inquit,

inquit, quo amplissima ista animalia tertio proferunt glorificationem dum aiunt Sanctus
 Sanctus, Sanctus, triplici numero tres perfectas absolutas integras personas ostendunt, quæ-
 admodum sub vnica voce, Dominus, vnã substantiam declarant. S. Ambros. lib. 3. de
 Spiritu sancto, Cherubim & Seraphim indefessis vocibus laudant & dicunt, Sanctus, San-
 ctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Non semel dicunt, ne singularitatem credas: non
 bis dicunt, ne spiritum excludas: non sanctos dicunt, ne pluralitatem æstimes. sed ter re-
 perunt, & idem dicunt, vt etiam in hymno, Trinitatis distinctionem, & Diuinitatis intelli-
 gas vnitatem. Epiphanius in Anchorato. per duas, inquit, voces glorificatio in cælo non per-
 ficitur, neque quarto acclamant sancta, & inuisibilia spiritualia animalia, neque quartam
 vocem eadem edunt, neque vnã solam: sed tres voces singulares Sanctus, Sanctus, San-
 ctus. Et non dicunt Sancti, Sancti, quo singulare celebre pronuntient, neque trium nume-
 rum occultant: sed ter quidem dant sanctificationem, vniformiter autem & singulariter
 proferunt sermonem, vt ne multitudinem deorum nominent. Procopius item Gazæus in
 cap. 6. Esaiæ, *Ἐὶς δὲ τὸ ἅγιος λέγοντες κατακλείουσι τὴν δόξολογίαν, ὡς τὸ κύριος σαβαώθ, ἐν μιᾷ*
θεώτητος φύσει τὴν ἁγίαν πνεύματος ἕξιν δα. Tertio, Sanctus, repetentes in eo laudis summam con-
 cludunt, quod qui Dominum Sabaoth dicunt, in vna diuinitatis natura trinitatem po-
 nunt. S. Hieronymus in prologo de quadraginta duabus mansionibus: His, inquit, dua-
 bus manibus, quasi duobus Seraphim, in confessionem sanctæ Trinitatis erumpimus, dicen-
 tes: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Damascen. epistol. de trifagio,
 hæc pluribus verbis confirmat. Seraphim, inquit, hanc vocem, Sanctus, ter dixerunt,
 vocabulum autem, Dominus, semel dum taxat: vt ostenderent tres quidem sanctas hypo-
 stases, vnã autem trium dominationem, & vnum imperium, & gloriam, essentiam,
 & deitatem, & vnum tres illas esse, Sanctum Deum, nimirum Patrem sanctum, filium
 sanctum, Spiritum sanctum, &c. Stephan. Eduens. lib. de sacramento altaris, cap. 12. Tri-
 na, Sanctus, repetitio, sanctæ Trinitatis est confessio: quia semel Dominus profertur, vni-
 tas substantiæ in personis designatur, cuius gloria, pleni sunt cæli, & terra, angelica, sci-
 licet, creatura, & humana. Hildebert. de myster. Missæ.

*Ter positum, Sanctus, trinum notat esse, sed vnum
 declamat Dominus, atque Deus Sabaoth.*

Dicimus ter, Sanctus, ait Alcuin. de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ, & semel, Dominus,
 vt ostendamus omnipotentem Deum, & trinitatem in personis habere, & vnitatem in
 substantia. At cum per hanc vocem, ter dictam, designetur Trinitas personarum, & per
 Dominus Deus, essentia vnitas, miratur Hugo Cardinal. in cap. 6. Esaiæ, quare in Ec-
 clesia Parisien. vltimum Sanctus, iungatur, cum, Dominus Deus, nisi fortè, ait idem Hu-
 go, per hoc innuat, quod, cum dicitur, quilibet Sanctus, debet intelligi Dominus Deus,
 vel ne quaternitas personarum videatur esse, si sub quattuor distinctionibus diceretur, San-
 ctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus. Amplius obseruandum est, hunc hymnum, sa-
 cerdotem ipsum cum alijs debere dicere, ne se ipsum, sua prece videatur priuasse, qui &
 suas voces & aliorum Angelicis laudibus admitti deprecatus est, in præfatione. Hæc Mi-
 crologus de Ecclesiastic. obseruat. cap. 11. necnon ministros, cum Sanctus canitur, incli-
 natos stare vsque dum dicatur: Sed libera nos a malo. Amalar. Fortun. lib. 3. de Eccles.
 offic. cap. 22. & 23. *Dominus Deus Sabaoth* non domini dij, quia eadem Trinitas vnus Deus
 est. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto, cap. 18. & lib. 2. de fide cap. 4. Sanctus
 Gregorius lib. 29. Moral. cap. 28. sabaoth, Deus exercituum vel virtutum vel dominan-
 tium. Gregor. Nazianzen. oration. 4. de Theologia. Item sanctus Hieronymus epist. 142.
 ad Damasum, & in cap. 9. Ezechiel. Sabaoth, inquit, interpretatur militiarum, siue exerci-
 31 tium, atque virtutum. Item S. August. lib. de consensu Euangelist. cap. 29. Quid dicunt,
 de isto Deo sabaoth? quod interpretatur, Deus virtutum, vel exercituum, quia illi seruiunt
 virtutes, & exercitus Angelorum. Epiphanius item lib. 1. tom. 2. hæresi 26. Vbi dicit scriptu-
 ra, Hæc dicit Dominus sabaoth, non nomen alicuius dicit, sed nomen glorificationis dei-
 tatis. Sabaoth enim interpretari poteris ex Hebraica lingua, Dominum virtutum: vbi enim
 in veteri testamento scriptum est, virtutem significat. Sabaoth, ait Alcuin. vnum est ex De-
 cem nominibus Dei, a pud Hebræos, & interpretatur, exercituum, siue virtutum, vel mi-
 litiarum. Dominus autè sabaoth, Dominus omnipotens dicitur: quia omnis exercitus, & mi-
 litia virtutesq. angelorum illi seruiunt. Additq. Angelicos spiritus rectè militia dicimus, quia

decertare eos contra aereas potestates, non ignoramus. Quæ tamen certamina non labore, sed imperio peragunt: quia quod agendū contra immundos spiritus appetunt, ex adiutorio cuncta regētis possunt. Hęc Alcuin. & fere iisdē verbis Seueria. & Florus. Hoc denique nomen וִירְטוּת , quod 70. Virtutum, Aquila, Exercituum transfulerunt, numerant Origenes & Hieronymus inter decem Dei nomina, Origenes lib. 1. & 5. contra Celsum, & Hieronymus epist. ad Marcellam. *Pleni sunt celi, & terra gloria tua.* Nonnulli interpretantur gloriam pro maiestatis diuinæ manifestatione, celi nomine Angelos: terram vero homines, qui de terra creati sunt. Atque ita ut ista laus, quia beatorum Angelorum est, possit intelligi, ut sit laus futuræ ciuitatis Dei, & illa a nobis nunc frequentetur in futurorum spē. Verum quia Isaias in visione, cuius mentio fit d. cap. 6. Vidit gloriam Dei, ut expressum monet Sanctus Ioannes cap. 12. probabilius est, & sacrificio nostro congruentius, nomine gloriæ, gratiam intelligere, quod & Cyrill. ad cap. 6. Isaiæ notat, quemadmodum & ad Rom. c. 3. Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei: nomine vero, celi, fideles, qui ad Deū conuersi sunt, & nomine terre, inimici crucis qui terrena sapiunt. eademq. interpretatione has voces explicat S. Cypr. serm. de oratione Dominica, enarrans verba illa, Sicut in cælo, & in terra. Hi enim pleni sunt gloria eius, quia per gratiam Dei præueniuntur, & ne id in quo præueniunt, negligant, ad misericordiam inuitantur: illi sunt pleni gloria eius, per quam in gratia accepta conseruantur, purgantur, & promouentur, donec felici sine perficiantur. Afferuntur & aliæ interpretationes, quas breuitatis causa prætereo. *Osanna in excelsis.* Osanna, vocem Hebræam esse, omnes consentiunt, eamq. in aliam linguam transferri non posse docent Hieronymus epistola 145. & Sanctus Augustinus libro 2. de doctrina Christi. cap. 11. & tract. 51. in Euangel. Ioann. Eam vocem varie interpretatam legimus. Sanctus Iust. quæst. 50. ad orthodox. magnitudinem excellentem interpretatur. Hilarius vero can. 21. in Matthæum, & Ambrosius, in cap. 19. Lucæ, redemptionem domus Dauid. Horum interpretationem Sanctus Hieronymus refellit epistola 145. ad Damasum Papam. Ceterum Chrysostomus homil. 37. ex cap. 21. Matth. in opere imperfecto, ait quosdam Osanna interpretari gloriam, alios redemptionem, alios saluifica, siue saluum fac. Euthimius quoque eundem Matthæi locum enarrans notat, Osanna Hebraicum esse, & interdum significare hymnum, siue laudem, quandoque vero, serua. Angelus Caninius in collatione aliquot locorum noui testam. cum Hebræorum originibus, post institutiones linguæ Syriacæ, originem & explicationem istius vocis, refert ad vsum Hebræorum, qui in festo Scenopegion siue tabernaculorum, ramos palmarum & salices torrentis gestabant: quod & eis præceptum erat Leuit. 23. Osanna vero apud Hebræos salicem significat: vnde fasciculos salicum fluuiialium, Hebræi vocabant: Osannas, quod ex Elia & varijs locis Thalmuth. euincitur. At quoniam salices passim inueniuntur, cedri, palmæ myrthiq. non item, obtinuit vsum, ut omnium arborum rami, quos Hebræi in festo Scenopegion gestabant. subinde clamantes, Osanna, id nomen nanciscerentur. Itaque turbæ, ait ille, Christum aduentantem, hoc elogio excipiebant, fatentes se, Osanna, hoc est salicum palmarum, aliarumq. arborum ramos ferre filio Dauid, atque ita eum Messiam, & Deum cognoscere. Hęc & si plausibilia sint: hærendum tamen iudico S. Hier. qui in ep. ad Damasum, & in c. 21. Matth. docet primum corrupte, & littera vocali media elisa, dici Osanna, legendum enim censet Osianna. Quem etsi ea in parte arguat Echius homo pietate, & eruditione insignis ad Euang. Dominicæ primæ Aduentus, eum tamen ab Echij argumentis liberat Richard. Cenom. in collat. ad Magist. Senten. ad Psal. 117. Secundo vocem אֲנָנָה Osianna compositam esse ex אֲנָנָה hosiach, salua, siue saluifica, & אָנָּה anna quæ est interiectio deprecantis: quasi dicas, saluum fac obsecro. Inde Psal. 117. $\text{אָנָּה אֲנָּה אָנָּה}$ Anna. Ieoua oscihāna, quod manifestius interpretatus est Symmachus, dicēs: obsecro Domine saluū me fac. Verum scrupulus, etsi tenuis, residere videtur, hæc enim solocismum continere videntur, saluum fac vel saluifica filio Dauid, cum præsertim Græce scriptum sit $\text{ὡσαννά τῷ υἱῷ δαυὶδ}$, Osanna filio Dauid, in datiuo. Qui tamen scrupulus facile euelli potest. Quidam insipienter interpretantur Osanna filio Dauid, ut sit casus vocandi. Alij putarūt referri ad ea verba quæ sequuntur, filio Dauid. At verius est quod Cornel. Iansen. & nonnulli alij obseruarunt: verbū ofchiach, & alia trāsitiua, non tantū constriui cū accusat. sed etiam cum ἰ id est cū dat. & tunc per opē ferre commode exprimitur, ut exempli causa,

causa, cum ἰ verbum istud, Osiach, construitur Iudic. 7. & 2. Regum 10. Quare in hac specie, אֲנָּה , capitur pro וְיָדוּ , ut sit sensus: Serua obsecro filio (pro filium) Dauid, iuxta Hebræam constructionem, ac si diceretur: Bene fortuna eum: successum ei da prosperum. Ex quo etiam patet recte fecisse Græcum interpretem, qui retenta voce Hebræa, Osanna, retinuerit etiam Hebræam constructionem אֲנָּה . Hoc loco adijciam, quod Florus Magist. docet in exposit. Missæ, O sanna quod Latine interpretatur salus, siue saluifica in excelsis, aperte docet aduentum Domini in carne non solum humani generis in terra, sed & Angelorum in cælis esse salutem, ut ait Hieron. in cap. 21. Matth. Terrena iungere cælestibus, ut omne genu ei flectatur cælestium, terrestrium, & inferorum. Vel ut Iidor. ait lib. 1. de diuinis offic. cap. 15. Quinta infertur illatio in sanctificatione oblationis. In qua etiam ad Dei laudem terrestrium creatura, virtutumq. cælestium vniuersitas prouocatur, & *Osanna in excelsis*, cantatur: quod Saluatore de genere Dauid nascente, salus mundo, vsque ad excelsa peruenerit. *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Hoc loco cauendum est ab errore eorum, qui referunt ad totam sanctam Trinitatem ista verba quasi tota Trinitas incarnata sit, vel ad Christi humanitatem, separata inde eius diuinitate, atque ita pro Trinitate personarum constituunt quaternitatem. Quare cum Petrus Cnaphæus Episcop. Antiochen. horum errorum auctor, aut potius fautor hymno trisagio addidisset: Qui crucifixus est pro nobis: Felix Papa in synodo 5. Constantinop. epist. quæ extat in actis synodi, ad Petrum Antiochenum Episcopum, diligenter vetat adijci hymno trisagio: Qui crucifixus est pro nobis, in hæc verba: Nam quod post illud, sanctus immortalis, quod est Spiritus sanctus, tunc infer, Qui pro nobis crucifixus es, miserere nobis, quaternitatemq. non Trinitatem populo insinuare videris: nempe si ex humana traditione manasset hæc laus, non ita incaute crucem infereres laudi, in qua filij appellatio, fortis scilicet, ponitur. Quoniam vero ab Angelis nobis laus ista profluxit qui ante crucem dicebant, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, sicut respicere Isaias meruit. Post crucem vero cum laude clamabant: Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis. Denique cum terræ motu quateretur Constantinopolis populusq. oraret in campo, infantulus toto populo spectante, cum Proclo, ciuitatis Episcopo, in cælum per vnam horam raptus est, ibiq. huiusmodi didicit hymnum: rursusq. descendens, nunciauit quæ in æthere audierat, dicens de cælo quasi de multitudine psallentium, huiusmodi laudes insonuisse auribus suis, dictumq. sibi ut eam laudationem populo indicaret: quam vbi populi incoeperant, receperunt ciuitatem, Deoq. per huiusmodi laudem propitio facto, ab imminente ira liberati sunt. At tu quam temere ut scripturas diuinas reliquas, ita & Angelorum laudem peruertere præsumpsisti? Item epist. ad Zenonem Imperat: Post hæc autem omnia impia & blasphemica suæ præsumpta, & deprauationem trisagie deprecationis, cum illis addere voluit: Qui crucifixus est pro nobis, multa inconuenientia effecit, multumq. a nobis, & in Christo dilectis fratribus nostris, qui in Oriente sunt, & a venerabili Acaio vestræ regalis, & a Deo amata ciuitatis Archiepiscopo admonitus, conuertere noluit. Eripiendus quoque error Armenorum qui ad solum filium trisagij hymnum referunt, adijciuntq. appendicem. Qui crucifixus es, vel, qui resuscitatus es, vel qui assumptus es sursum. quem errorem pluribus refellit Theorianus in legatione Imperator. Comneni ad Armenos.

DE SACRO CANONE MISSAE.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

- 1 Canon Missæ varia habet nomina.
- 2 Canon appellatur legitimus.
- 3 Canon actio dicitur.
- 4 Canonis auctor primus prolixè inquiritur, & examinantur opiniones.
- 5 Canon Missæ aliqua habet non aliunde quàm ex Euangelio petita, & verbis Christi instituentis Eucharistiam, alia vero ex traditione antiquissima.
- 6 Scholasticus ille quis fueris, cui nonnulli canonis originem ascribunt.

- A**NON Missæ quandoque actio, quandoque secreta, appellatur. Canon vero ideo nominatur, quia in eo est legitima & regularis sacramenti confectio. Vualafrius Strabo de reb. Eccles. cap. 22. Idem docet Microlog. lib. de Eccles. obseru. cap. 12. his verbis: Orationem, quam canonem siue actionem, propter regularem sacramentorum confectio nem, Romano more, appellamus. Eadem ratione Optat. Mileuit. lib. 2. contra Parmenian. canonem appellat Legitimum. Quis dubitat, ait Optat. nos illud legitimum præterire non posse. Et libro 3. Dixistis vos illud legitimum, nec præterire potuistis. Pax vobis. Canonis voce vtitur. S. Gregor. in Regist. lib. 11. cap. 16. ibi: Tantam pati frequenter angustiam, vt post longa interualla ad locum canonis. redire valeat, quem reliquit. Vel canon dicitur eodem sensu, quo S. pater Antiochus hom. 105. Psalmidiam canonem appellat. Actio vero dicitur, auctore Strabone, quia in ea conficiuntur sacramenta Dominica, vel quia gratiarum actionem continet: nam & Missæ sacrum totum est gratiarum actio, vt colligere licet ex S. Irenæo lib. 4. cap. 34. Appellatur & secreta, quia secreto canon dicitur: idq. varijs rationibus, quas latissime percentent Innocen. 3. lib. 3. myster. Missæ cap. 1. Alex. de Ales. par. 4. quæst. 37. memb. 2. Gabriel Biel super can. Missæ lectio. 15.
- Q**uis autem fuerit primus canonis auctor, Vualafrius Strabo lib. de reb. Ecclesiast. cap. 22. sibi ignotum profitetur. Vulgo creditur Scholasticum quemdam, qui vixit ante Gregorij tempora, auctorem fuisse canonis Missæ, huiusq. sententiæ testem laudant S. Gregor. lib. 7. epist. 63. ibi: Et valde mihi inconueniens visum est, vt precem, quam Scholasticus composuerat, super oblationem diceremus, & ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit, super eius corpus, & sanguinem non diceremus. Hæc Gregor. Hunc vero Scholasticum quidam hominem, cui hoc nomen erat, existimauerunt: alij vero Gelasium interpretantur. Radulph. de can. obseruat. propos. 23. nam & Gelasium magna ex parte canonem composuisse Hugo de S. Victore. Innocen. 3. Guillel. Durandus in ration. & Polidor. Virgil. prodiderunt. At verius est, longe ante Gelasium, seu scholasticum illum, sacrum Missæ canonem conflatum, & compositum fuisse, quod ex Clemente, Dyonisio, Alexandro primo, Cypriano, & alijs vetustioribus, quos in singulorum verborum enarratione laudabimus, perspicuum est. Amplius canonis antiquitatem, ante scholasticum illum probat S. August. epist. 59. ad Paulin. vbi posteaquam de precationibus, orationibus, & postulationibus pro regibus, & c. verba fecit, addit: Sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, vt precationes accipiamus dictas, quas fecimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa incipiat benedici, cum benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur. Quam totam petitionem, fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Rursus canonis antiquitatem confirmat S. Basil. de Spiritu sancto cap. 27. Inuocationis, inquit, verba, cum ostenditur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis, quis Sanctorum scripto nobis reliquit? Nec enim his contenti sumus, quæ commemorat Apostolus, vel Euangelium, verum alia quoque ante & post dicimus, ramquam multum habentia momenti ad mysterium: quæ ex traditione citra scriptum accepimus. Ad hæc Vigilus Papa qui 25. annis S. Gregorium Papam antecessit epist. ad Eutherum cap. 5. se Missæ canonem ex Apost. traditione accepisse, aperte, palamq. testatur, in hæc verba: Ordinem quoque precum in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festiuitate significamus habere diuersum: sed semper esse eodem tenore oblata, Deo munera consecrare. Et postea: Quapropter, & ipsius canonicæ precis textum direximus subter directum, quem, Deo propitio, ex Apostolica traditione suscepimus. Item Innocen. 3. epist. ad Archiepisc. Lugdunen. cap. cum Marte de celebrat. Missarum. Credimus, inquit, quod formam verborum, sicut in canone reperitur, & a Christo Apostoli, & ab ipsis eorum acceperunt successores. Prætereo Radulph. Tungren. Petrum de Natalib. lib. 10. cap. 118. & nonnullos recentiores, qui scriptum reliquerunt S. Clemen. constituisse, canonem in consecratione decantari. Quod vero ex S. Gregor. de scholastico afferri solet, faciledilui potest. In primis, Canonici Colonienses in eo lib. qui Antididagma inscribitur, negant scholastici nomine virum aliquem, cui hoc nomen esset proprium, significari: immo potius peritum, & in rebus ecclesiasticis exercitatum hominem, vt & apud S. August. lib. de Catechizandis rudibus sedulo monendi sunt scholastici. Horum coniecturam iuuat quod idem Gregor. passim scholasticum, pro viro

viro erudito vsurpet lib. 1. epist. cap. 3. Paulo scholastico: lib. 3. cap. 38. Marcello scholastico. lib. 4. cap. 89. Andrea scholastico. lib. 7. cap. 61. Martino scholastico. idem Gregor. lib. 10. cap. 2. meminit Matthæi viri Clarissimi scholastici. & lib. 12. cap. 30. De causa vero filij Commissi scholastici consulisti. Non me late scholasticum quandoque pro aduocato l. 2. de lucris aduocat. lib. 12. C. vbi Cuiac. quandoque pro assessore, vt apud S. Greg. lib. 4. epist. 29. ibi Gregor. Severo scholastico Exarcho, vbi Roaldus monet legendum Exarchi. Deinde in canone ex orationibus, quæ antecedunt, vel sequuntur, quædam sunt precatoriæ, quibus oratur pro viuis, & defunctis: aliæ laudatoriæ, & inuocatoriæ, quibus Sanctorum præsidia inuocantur: quarum meminit S. August. tract. 8. in Euangel. Ioannis. Ceterum omnes orationes, vt iam dixi, auctores habent, Scholastico, & Gregorio vetustiores, præter hanc: Per quem hæc omnia Domine semper bona creas, & c. quam verisimile est scholasticum composuisse. Denique S. Gregor. non omnem canonem, vel omnes orationes scholasticum composuisse scribit; at solummodo precem. quæ verba ad eam quam dixi, Per quem hæc omnia, referri possunt: de qua plenius suo loco, Non desuere qui coniectura augurantur hunc Scholasticum fuisse Musæum Massiliensem presbyterum, quem Gennadius in catalogo scriptorum illustrium scribit, virum in scripturis doctum, linguaq. scholasticum, eumq. egregium volumen sacramentorum edidisse. At leuis est ea coniectura.

SACRI CANONIS ENARRATIO
De prima parte canonis

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

- 1 Canon Missæ in quot partes diuidatur.
- 2 Canonis initium cur ad Deum Patrem dirigatur, & quo modo cohereat cum Trisagio.
- 3 Donorum, munerum, & sacrificij sancti diuersis nominibus in canone res vna, pro sui magnitudine significatur.
- 4 Donorum, & munerum explicationes varie.
- 5 Sacrificia ante consecrationem cur dicantur illibata, & sancta.
- 6 Crucis trina signatio, initio canonis, quid significat.
- 7 Sacrificium Missæ in primis pro Ecclesia offertur, quæ in tanta membrorum diuersitate vna est.
- 8 Tua, vox est consecrantis, imitans diuinam bonitatem, ad conseruationem eorum, quæ fecit: aliquando aliud significat.
- 9 Ecclesia Dei peccatores, si non sint excommunicati, aut schismatici, continet, iuxta veritatem, & Patrum testimonia.
- 10 Ecclesia sancta dicitur, licet peccatores contineat.
- 11 Sacramenta extra Ecclesiam vera esse possunt, non tamen salutifera.
- 12 Ecclesia vnde dicta sit catholica: & quid Romana vere catholica sit.
- 13 Ecclesie pax, & recta gubernatio petitur in canone.
- 14 Pontificis summi mentio peculiaris in canone Missæ.
- 15 Pontifex cum sacrum facit, an ipse more aliorum oret pro summo Pontifice.
- 16 Antistitis quoque mentio fit in canone Missæ.
- 17 Regum item merito fit mentio in canone Missæ.
- 18 Orantes pro Regibus Gallie, indulgentiarum gratiam promerentur.
- 19 Orthodoxorum nomine, in canone qui teneantur, & qui excludantur a fructu sacrificij.
- 20 Orandū ne pro ijs qui sunt extra Ecclesiam: & quando id faciat Ecclesia in orationibus publicis.



CANONEM quidam in quinque partes, alij in sex, nonnulli in duodecim diuidunt. Innocen. 3. in quindecim, plerique in vndecim, Primæ partis initium est, Te igitur. S. Clemen. auctore Radulph. de can. obseruat. propos. vltima, orationem ante consecrationem instituisse dicitur, vnde, Te igitur clementissime Pater, a quibusdam ei tribuitur. Dirigitur hæc oratio, ait Florus Magister

Magister in exposit. Missæ (is floruit tempore Caroli Calui, circa annum Domini 845.) sicut reliquæ orationes iuxta regulam fidei, & morem Ecclesiæ, ad clementissimum patrem, cuius erga nos peccatores tanta extat misericordia, & clementia, quantam Apostolus commendat, dicens: Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos: & cum essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Christo, & c. Ex præmissis ait Stephanus Eduensis lib. de sacramen. altar. cap. 3. (is vixit anno 950.) datur intelligi, quod Deus Pater per filium suum ab omni cælesti creatura laudatur, & glorificatur, tum beneficio datæ gloriæ, & illius confirmationis, a quo intellectu initium canonis præcedentibus hoc modo continuatur: quia clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum, ab Angelis & cælestibus virtutibus collaudaris, cum quibus ad laudem tuam, voces nostras precamur admitti. Igitur per eundem filium tuum te rogamus, ac petimus, vt tibi sit gratum, & acceptum quod offerimus. Rogamus humiliter, petimus confidenter: te rogamus pro lapsis, qui in filij tui humilitate iacentem mundum erexisti; a te poscimus munus salutiferum, de tua misericordia confisi, qui non ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam tuam saluare nos voluisti. Item Odo Cameracen. in exposit. sacri can. Missæ (is floruit anno Domini 1128.) quia dignum, & iustum est, nos tibi gratias agere. Te igitur clementissime Pater rogamus, vt a nobis sacrificium accipias, & quia nostras voces supplici confessione admittis. Te igitur clementissime Pater per Iesum Christum filium tuum supplices rogamus, & reale sacrificium accepturi vt laudes vocum substantiale sequatur sacrificium, & c. *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia*: quod autem subiungit: *Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia*, non aliud, atque aliud dicitur, sed res vna pro sui magnitudine, diuersa appellatione laudatur. Quæ enim diuinis altaribus offeruntur, & munera appellantur, sicut Dominus: Si offers munus tuum: & dona, vel sacrificia, sicut Apostolus de Pontifice. Vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis. Sed vt dictum est, sermonum repetitio, tanti sacramenti est commendatio, & piæ deuotionis excitatio. Hæc sunt quippe sancta, & illibata, id est, inuiolata, & incontaminata sacrificia, quæ in ministerio Dominici corporis offeruntur. Hæc Alcuinus de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ, & Florus Mag. in exposit. Missæ, vel auctore Stephano Eduen. de sacramento altaris cap. 13. donum est, quod a superiore datur: munus, quod ab inferiore. Vnde, quæ hic tractantur, sunt dona a Deo nobis donata, munera a nobis Deo oblata. Cum Stephano consentit Ruper. lib. 2. de diuinis offic. aliter Odo Cameracen. in exposit. sacri can. Missæ. Hæc dona quæ tibi donamus, vt tibi maneant, per tuam benedictionem firmata. Hæc dona quæ tibi donamus, vt apud te consistant, per tuam benedictionem incorrupta. Hæc dona, vt fiant tibi Deus assumpta, siquidem verbum caro factum est, & postea: *Hæc munera*, quibus te muneramus, vt percipiamus inde corpus & sanguinem Christi, *Hæc sancta sacrificia, illibata, sancta*, quia Deo oblata. Item Hildebertus Episcopus Carment. de offic. Missæ.

Dona vocat primum, mox munera nuncupat escas

Post sacrificij nomine censet eas.

Dona vocat, quoniam Deus has donauit, vt inde

Sustentaretur lege modoq. caro.

Munera sunt, quoniam Deus his donatur, & inde

Munerat auctorem, cui dedit auctor eas.

Nam quod sacrificij censentur nomine, monstrat

Qua ratione prius munera dicat eas.

Scilicet idcirco, sacrificantur, & apte

Munerat auctorem, cui data reddit ei.

Sic eadem, qua dona vocat, cum sacrificantur

Munera sunt, quoniam munerat inde Deum.

His addo S. August. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. Cum ad illum sursum est, eius est altare cor nostrum, eius vnigenito (eum, vulgo legitur, cum sacerdote placamus, ei cruentas victimas cædimus) & paulo post: Ei dona eius in nobis, nosq. ipsos vouemus, & reddimus. Et paulo post: Ei sacrificamus hostiam humilitatis, & laudis in ara cordis, igne feruidæ charitatis, & c. Hoc loco hærebit aliquis, qua ratione, hæc sacrificia ante consecrationem sancta dicantur, necnon illibata. Primum illibata dicuntur, non quasi nondum tacta, vel gustata, vt Alcuinus, & Odo crediderunt: verum auctore Innocent. 3. lib. 3. mysterio

mysterio Missæ cap. 3. *illibata*, id est immaculata, quæ sine macula cordis, & corporis offerri oportet. Quoniam igitur, ait S. Irenæus lib. 4. cap. 34. cum simplicitate Ecclesia offert; iuste munus eius, purum sacrificium, apud Deum deputatum est. Cum itaque sacerdos ea *illibata* appellat, sui ministerij simplicitatem, ac sinceritatem Deo commendat. Gaueant diligenter sacerdotes, ne vitiorum maculis notati, ad tantum, tamq. magnum sacrificium accedant, sordes accurate eluant, vt vere ac fideliter hæc verba proferrant, *Sacrificia illibata*. Mundamini, qui fertis vasa Domini, Isaiæ 52. Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat. 1. ad Corinth. 11. Sancta vero dicuntur varijs rationibus, quas Innocent. Alex. de Ales, & Gabriel Biel percensent, præcipue vero, quia ad sanctum vsum deputata, quo modo Achimelech in figura huius sacramenti dicebat, Non habeo panes laicos ad manû, sed tantum panem sanctum. 1. reg. 21. Adde Orig. hom. 21. in c. 20. Leuit. quo loci pluribus probat, sancta dici, quæ cultui diuino, vel sacris vsibus deputata sunt. vel sancta dicuntur non secundum se, vt Alex. de Ales: sed quia significant sacrosanctum corpus, & immaculatum sanguinem Christi, mox cælesti consecratione mutanda in corpus, & sanguinem. Dicuntur autem pluraliter *dona, munera, & sacrificia*: quia panis, & vinum anteaquam consecrentur, & diuersæ species substantiarum, & diuersæ specierum substantiæ, sed vbi consecratio cælestis accesserit, species quidem remanent, sed substantiæ conuertuntur: ita quod diuersa sint continentia, sed vnicum est contentum. Porro sacerdos cum profert, *Benedicite hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia*: dextera manu ter signat cõmuniter super hostiam, & calicem, vel vt Microlog. loquitur lib. de eccl. obseru. c. 13. signat sacerdos oblationem, & calicem tribus vicibus, sed vna cruce. Trina vero illa signatio, triplicem Christi traditionem denotat, a Deo ex dono, a Iuda pro munere, a Iudæis in sacrificium illibatum. Innocent. 3. lib. 3. myster. Missæ cap. 3. Alex. de Ales, Gabriel Biel super can. Missæ Lectio. 2. 1. Durant. in rationali lib. 4. cap. 36. significat etiam, Alberto Magno auctore, tres Christi illusiones, derisus enim fuit coram Pontificibus, coram Herode, & coram Pilato. Rursus ex sententia Stephani Eduen. d. cap. 13. triplici cruce signantur panis, & vinum, quo doceatur totum mysterium fieri, Sancta Trinitate cooperante. Tres autem tantum cruces, dum dicimus, *Hæc munera, hæc sancta sacrificia* super panem, & vinum, communiter facimus, nec vnquam panem a calice separamus, nisi vbi separatim nominantur in canone. Hæc Microlog. de ecclesiast. obseru. ca. 14. & Radulph. Tungren. de canon. obseruan. propof. 23. Ceterum obseruandum est, crucis signationem non fieri dumtaxat ad consecrationem; nam & post consecrationem fit: verum etiam ad commemorandam virtutem crucis, & modum passionis Christi. Sanctus Thomas par. 3. quest. 83. art. 5. In primis *quatibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta catholica*. Reddit causam sacerdos, ait Alcuinus cap. de celebrat. Missæ, pro quibus offerat illa sacrificia, & 7 dicit, se in primis, id est principaliter pro Ecclesia catholica, id est vniuersali, sic enim dignum fuit, vt inciperet sancta oblatio, videlicet pro Ecclesia Dei toto orbe diffusa, quæ est vnico sanguine Domini redempta. Nullum est sane Ecclesiæ membrum, quacumque intercapedine loci diffitum, quod ab huius sacrificij oblatione secernatur. S. Clemens lib. constit. Apostol. cap. 12. adhuc precamur pro Ecclesia tua sancta, a finibus vsque ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisuisti. Optat. Mileuitan. lib. 2. Contra Parmenian. Quis dubitet vos illud legitimum in sacramentorû mysterio præterire non posse? Offerre vos Deo dicitis pro Ecclesia, quæ vna est, & c. quæ loca canonis veritatem manifestant. *Tua*, hæc vox obsecrantis est, qua petimus vt Ecclesiæ beneficiat, & propter ipsius, quæ in Ecclesia posuit, dona: vt quemadmodum omnia sunt ex ipso, propter originem, in ipso propter conseruationem, ita sint, & per ipsum propter suam ipsius, qua ipsa bonorum primordia diligit, bonitatem, Hoc modo, addit Iansenius, orauit B. Ambros. lib. 2. de poenit. c. 8. Serua Domine munus tuum, custodi donum quod contulisti, etiam refugienti. Grandis, ait idem Ambros. ferm. 10. in Psal. 118. in rebus humanis prærogatiua est, vt aliquis operibus, & beneficijs faueat suis, nec meritum spectet alienum, sed in suæ gratiæ munus intendat, ne videatur abrogare quod ipse donauit. Aliquædo additur hæc vox, *tua*, in gratiarum actione, sicut quædo dicimus martyris tui, quæ videlicet tu martyrij & forte donasti, & virtute roborasti. *Sancta* quæret aliquis quo pacto Ecclesia dici possit, cū necdū ex perfectis, sed ex ijs qui grauiora admiserunt, costet, modo peccatores eiusdē Christianæ fidei professione, sacramentorum communionem, ac Rom. Pont. obedientia teneantur, reiectis Pelagianorum, Nouatianorum, Lutheranorum, Confessionistarum, Calvinistarum mendacijs,

dacijs, & commentis. Sane receptum est in Ecclesia vera, & catholica ne dum imperfe-
 ctos, sed etiam graues peccatores esse, siue occulti, siue manifesti sunt, quod innumeris
 scripturæ, & sanctorum patrum testimonijs probari potest. Matthæi 18. 1. ad Corinth. cap.
 1. & S. Cyprian. lib. 3. epist. 3. ad Maximum. Gregor. Nazian. orat. 1. apolog. Ambros. lib. 1.
 de peniten. cap. 6. & serm. 8. in psal. 118. & in cap. 2. epist. 2. ad Timot. Chrysoft. ad psal.
 39. August. tract. 6. in Ioan. lib. 2. retract. cap. 18. & in breuiculo collar. & lib. post collar. cap.
 7. & lib. de unitate Ecclesie cap. 13. serm. 107. de tempore, serm. 1. Dominic. in passio. De fide
 ad Petrum cap. 43. De hæresibus heresi 88. Lib. 2. contra Crescon. Grammat. cap. 34. Contra
 epist. Parmeniam lib. 3. cap. 2. & compluribus alijs locis. Hieronym. dialo. aduersus Lucife-
 rian. cap. 8. Lib. 3. dialogorum aduersus Pelagian. cap. 5. Lib. 2. aduersus Iouinia. cap. 13. &
 14. Et cap. 1. ad Galatas, & in psal. 116. Quod vero hæretici in medium afferunt ex eodẽ Hie-
 ronymo. lib. 3. in epist. ad Ephes. non de militante, sed de triumphante Ecclesia interpretan-
 dum est. nihilominus Ecclesia sancta dicitur. S. Paul. ad Ephes. 5. Vt exhiberet ipse sibi glo-
 riosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit
 sancta & immaculata. Petr. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta,
 populus acquisitionis. Et in symbolo, Credo sanctam Ecclesiam catholicam. Vbi obiter ob-
 seruandum est, nos credere sanctam Ecclesiam, non in sanctam Ecclesiam: quia, ait August.
 serm. 131. de tempore, Ecclesia non est Deus, sed domus Dei. S. Thom. 2. 2. quæst. 1. art. 9.
 Sancta vero dicitur tum ratione capitis Christi, scilicet qui est sanctus sanctorum. Daniel.
 cap. 9. Item ratione sanctorum qui in Ecclesia sunt, & quia ab excellentiore & digniore de-
 bet fieri denominatio, licet in Ecclesia, quæ doque plures scelerati sint, non scelerata, sed san-
 cta, nomenq. dignitatis sibi vendicat, propter sanctos, qui digniores sunt. Rursus sancta di-
 citur a suo rectore: regitur siquidem a Spiritu sancto, quem Christus pollicitus est Aposto-
 lis, Ecclesia nomine. Rogabo patrem & alium paraclætum dabit vobis, vt maneat vobiscum
 in æternum, Spiritum veritatis. Ioan. 14. & 16. Ideoque in symbolo Apostol. post articulum
 de Spiritu sancto, mox sequitur articulus de Ecclesia sancta: Credo in Spiritum sanctum,
 sanctam Ecclesiam. Credimus enim in Spiritum sanctum sanctificantem Ecclesiam. Deni-
 que sancta dicitur, quia nullus extra huius consortium, sanctitatis particeps esse potest.
 11 Quare etsi sacramenta extra eam percepta, vera sint, non tamen salutifera. S. August.
 lib. 1. contra Crescon. Grammat. cap. 9. lib. 2. contra litteras Petilia. cap. 108. Sermon. 108. de
 temp. & de baptismo contra Donatist. lib. 3. cap. 19. & varijs alijs locis. Plura de causis, qui-
 12 bus Ecclesia sancta dicitur, Gabriel Biel super canone Missæ lectio. 22. *Catholica*, idest, vni-
 uersali. quod enim græcè *ὁλὴ* dicitur, latinè totum, vel vniuersum interpretatur: per totum
 enim, siue secundum totum, est *καθ' ὅλον*. vnde Catholica Ecclesia nuncupatur, hæc Augu-
 stin. lib. 3. contra Donatist. cap. 1. & de unitate Ecclesie contra Petilian. Donatistæ epist.
 cap. 2. & lib. 2. contra litteras Petilian. cap. 38. necnon in Euangel. Ioannis tractat. 118. &
 alibi de Genesi ad litteram imperfect. cap. 1. Catholica dicitur ex eo, quia vniuersaliter per-
 fecta est, & per totum orbem diffusa. Est autem Ecclesia Catholica, seu vniuersalis, nedum
 loco quia per totum orbem terrarum: sed & tempore, quia ab ipso Abel, vsque ad eos qui
 nascituri sunt vsque in finem, & credituri in Christum. S. August. psal. 110. conc. 2. & ad
 psal. 56. & alibi serm. 131. de tempore enarrans verba illa, Sanctam Ecclesiam Catholicam.
 Catholicam dicit toto orbe diffusam. Diuersorum enim Hæreticorum ecclesie, ideo catho-
 licæ non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque prouincias continentur: hæc
 vero a solis ortu vsque ad occasum, vnius fidei splendore diffunditur. Planius & copiosius
 Vincentius Lirinen. In qua, inquit, Catholicæ Apostolicæq. Ecclesie, sequantur necesse
 est vniuersitatem, antiquitatem, consensionem. Et alibi: Id teneamus quod ab omnibus
 creditum est: hoc enim vere, proprieq. catholicum, quod ipsa vis nominis, ratioq. decla-
 rat, quæ omnia verè vniuersaliter comprehendit. Demonstrent itaque suos errores, vbique
 semper, & ab omnibus fuisse creditos, & tum primum catholicos sese iactitent. Lactan.
 lib. 4. cap. 30. scribit solam catholicam Ecclesiam, verum cultum retinere, eamq. esse fon-
 tem veritatis, domicilium fidei, templum Dei. Addit postea, singulos coetus hæreticorum,
 se potissimum Christianos, & suam esse catholicam Ecclesiam dicere. Hos arguit August.
 contra epist. Manichæi cap. 4. In catholica, inquit, Ecclesie gremio, me tenet ipsum nomen
 catholicæ, quod non sine causa inter tam multas hæreses, sic ista Ecclesia obtinuit, vt cum
 omnes hæretici se catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, vbi ad catho-
 licam conueniatur, nullus hæreticorum vel basilicam suam, vel domum audeat ostendere.

Idem

Idem August. lib. de vera relig. cap. 7. Tenenda est eius Ecclesie communicatio, quæ catho-
 lica est, & catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Vel-
 lint enim nolint, ipsi quoque hæretici & schismatū alumni, quando non cum suis, sed cum
 extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant. Non enim possunt
 intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quod ab vniuerso orbe nuncupatur. Rursus
 epist. 163. arguit Fortunium Donatistam, quod audiens illam demum Ecclesiam esse catho-
 licam, & toto se terrarum orbe diffundere, ausus fuerat dicere suam vbique terrarum
 esse communem. Sane Romanam Ecclesiam catholicam esse testantur Ambr. in orat. fu-
 nebri, de obitu fratris Satyri: Aduocauit Satyrus ad se Episcopum, nec vllam veram puta-
 uit, nisi veræ fidei gratiam, percontatusq. ex eo est, vtrum nam cum Episcopis catholicis,
 hoc est cum Romana conueniret Ecclesia. Tertul. de præscript. aduers. hæreticos, cap. 30.
 narrat, Marcionem, & Valentinum in catholicam primo doctrinam credidisse apud Eccle-
 siam Romanensem, apud quam doctrinam catholicam extitisse, testatur & ipse Irenæus
 lib. 3. aduersus hæreses, cap. 3. *Quam pacificare, custodire, adunare, & regere digneris.* S. Clemens 13
 lib. 8. constit. Apostol. cap. 12. Adhuc precamur te Domine pro Ecclesia tua sancta, a fini-
 bus vsque ad fines propagata, quam pretioso sanguine Christi tui acquisiisti, vt eam ex-
 tra fluctus, ac tempestates, vsque ad consummationem sæculi conserues, &c. Id ipsum au-
 tem videtur esse, adunare, quod pacificare; id ipsum custodire, quod & regere. Pacifican-
 do namque adunat, cum omnium fidelium corda in sua pace coniungit, cum omnium fi-
 delium mentes vnius efficit voluntatis, diffusa charitate per Spiritum sanctum: custodiendo
 regit, cum inter omnia pericula clementer eam gubernat, & regit. Hæc Alcuinus de
 diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Florus magister in expos. Missæ, cap. 5. Durant. in ra-
 tio. 1. 4. cap. 36. Porro Odo Cameracen. in expositio. sacri cano. Missæ, & Stephan. Eduenf.
 de sacramen. altaris, cap. 13. hæc verba distinguunt, & hoc modo enarrant, *Quam paci-
 ficare* ab hostibus visibilibus, & inuisibilibus, vt nec hominum persecutionibus concul-
 cetur, nec instinctu dæmonum criminibus polluat: *Custodire* in ipsa pace; *Adunare*, ne
 schismatibus vllis, & hæresibus diuidatur, sed in unitate sacramentorum catholicæ fi-
 dei, in omnibus tota adunetur Ecclesia, *Et regere digneris toto orbe terrarum*, vt in suis concil-
 ijs, dispositionibus, iudicijs, decretis, institutis, actionibus, nullo decipiatur errore,
 & in omnibus tuo ducatur moderamine. Aliter hæc verba enarrant Alexan. de Ales, Al-
 bertus Magnus, Gabriel Biel, & Iaufonius in sacrum canon. Missæ, quorum interpreta-
 tiones breuitatis ergo prætereo. *Vna cum famulo tuo Papa nostro.* Planè etsi Ecclesie catho-
 licæ nomine summi Pontificis, ceteriq. antistites, ac reges contineantur; peculiari tamen
 commemoratione, horum nomina recensentur, iuxta Apostoli præceptum, Mementote
 præpositorum vestrorum, Hebr. 13. Item S. Chrysoft. hom. 79. ad populum Antioch. vo-
 bis autem, & pro terrarum orbe, & pro Ecclesia, quæ vsque ad terræ terminos extendat-
 tur, & pro gubernantibus ipsam, & præidentibus, iubetur, orationes emittere. In concil.
 Vafensi, tempore Leon. I. cap. 4. & 5. constitutum fuit, in Missis omnibus nomen Do-
 mini Papæ, qui sedi Apostolicæ præfuerit, recitari. Burchard. lib. 2. Decret. cap. 230. Sane
 ipse ecclesiastici corporis vnitas fortius commendatur; quia religionis cultum sic Domi-
 nus instituit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum summo principaliter collocaret, atque
 ab ipso quasi quodam capite dona sua vellet; in corpus omne manare. Vnde constat,
 ab vniuersi orbis communionem separatos esse, sicut S. Pelagius II. epist. 1. docet, qui quali-
 bet dissensione inter sacra mysteria Apostolici Pontificis memoriam, secundum consuetu-
 dinem non frequentant. Hæc Alcuinus de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ, & Florus
 Magister. in exposit. Missæ. Item Fabianus I. epist. 1. ad comministros Ecclesie catholicæ:
 Vestræ, inquit, fraternitatis charitatem intimis obsecramus precibus, vt nostræ paruita-
 tis in vestris sacris orationibus memores esse dignemini. Inter capita concordie ineun-
 da, inter veteris, & nouæ Romæ Ecclesias, imperante Michaeli Paleologo, primum
 fuit in sacris hymnodijs, Papæ cum quattuor patriarchis memoriam facere. Nicephorus
 Grigora lib. 5. & in fragmentis Pachimerij lib. 5. Ceterum cum Papa celebrat, non
 dicit, vna cum famulo tuo Papa nostro, cum idem pro se videretur orare, ac super se
 Antistitem habere. Verum dicere solet, vna mecum indigno famulo. Hæc Innocen. III.
 in cap. 3. de celebrat. Missarum, in 3. collectio. Decretal. quod prætermisum est in no-
 stris vulgatis Decretalibus. Hanc Innocentij sententiam aperte confirmat S. Clem. lib. 8.
 constituit.

16 constituit. Apostol. cap. 12. Adhuc obsecramus te, pro me, qui nihil sum, qui tibi oblationem facio. *Et Antistite nostro*, sicut vniuersalis Ecclesiæ commemoratio, propter vnitatem societatis, & pacis coniungitur, commemoratione Apostolici Pontificis: ita dignum & religiosum est, vt singulæ Ecclesiæ commemorationem suorum subiungant antistitem, probante se, per illam orationem seruare, cum eis vnitatem spiritus in vinculo pacis. Nomina episcoporum ad altare recitabantur. S. Gregor. in Regist. lib. 4. cap. 37. ad Constantinianum Mediolanensem Episcopum. Concil. Africicum, cap. 48. concil. Carthag. cano. 84. Precationem vero fieri pro antistite confirmat S. August. epist. 110. de actis Eradij, in fine: Bene habet, vt ea, quæ Dei sunt, circa sacrificium eius agere valeam, in qua hora supplicationis nostræ, commendo charitati vestræ, vt omnes vestras causas, & negotia intermittatis, & pro ista Ecclesia, & pro me, & pro presbytero Eradio, Domino precem fundatis. *Et rege nostro*. Antistitis, & regis personæ tanti momenti sunt, & ponderis; vt nominatim deceat eorum fieri mentionem, ex eorum enim incolumitate salus subditorum pendet. S. Clemens lib. 8. constituit. Apostol. cap. 12. Orandum pro regibus iubet Paulus 1. ad Timot. cap. 2. vbi Chrysostomus ait, in obsequio quotidiano, oblationis sacramentorum, & postea pro regibus, & his, qui in sublimitate positi sunt: quo loco Chrysostomus veterum christianorum morem probat orandi pro regibus in quotidiano obsequio oblationis sacramentorum. Idem Chrysost. in Liturgia, Obtulimus tibi hanc rationalem hostiam, pro orbe, pro sancta Ecclesia. *Et paulo post*, pro fidelissimis, & Deo dilectis Imperatoribus. Et ante eum Basil. in Liturgia, Memento Domine pijsissimi, & fidelissimi Imperatoris. S. item Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 4. Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. nam reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratio præmittitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Arnobius lib. 4. aduersus gentes circa finem: Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari, cur immaniter conuenticula dirui, in quibus summus oratur Deus, pax cunctis, & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vñctione, &c. Cyrillus Hierosol. Catechesi Mystagogica 5. Deinde postquam confectum est illud spiritale sacrificium, & ille cultus incruentus, super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro regibus, &c. Bonifacius Papa epist. ad Honorium, Ecce enim inter ipsa mysteria, inter preces suas, quas pro vestri felicitate dependit imperij. S. Augustinus epist. 59. ad Paulin. quæstione 5. Multa quippe hinc dici possunt, quæ improbanda non sunt, sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel pene omnis frequentat Ecclesia, vt preces accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedicere. *Et aliquanto post*, Hæc autem causa præcipua fuit ista dicendi, vt, his breuiter perscrutis, atque significatis, non putaretur negligendum esse quod sequitur, Pro omnibus hominibus, pro regibus, &c. Theophilact. in commentar. ad cap. 2. 1. ad Timoth. Quia verisimile erat, Christianorum animum turbari, si iubeatur mysteriorum tempore orare pro infidelibus regibus, lucrum apponit, vt vel sic adhortationem recipiamus. Illorum namque salus, inquit, nostra est tranquillitas. Oecumenius eodem loco: Ne perterreatur, perturbeturve Christianus, quamobrem in tempore mysteriorum memoria fiat regis: quandoquidem sæpe, & si incredulus sit, ostendit in nostrum lucrum cedere ipsorum incolumitatem. Haymo etiam ad eundem locum, Beatus, inquit, Apostolus dirigens hæc verba Timotheo, in illo tradidit omnibus Episcopis, & presbyteris, omniq. Ecclesiæ formam, quo modo deberent Missarum sollempnia celebrare, & pro omnibus hominibus orare: quam formam, vel exemplum, omnis Ecclesia modo retinet. In concil. Rhemeni cap. 40. Vt pro domino Imperatore, suaq. prole orationes, & oblationes super has, quæ hæcenus pro ipsis Deo omnipotenti oblatae sunt, augeantur. Prætereo Tertul. ad Scapulam, & in Apologet. nec non Athenagoram, qui de orationibus Christianorum pro imperatoribus, & regibus plane & aperte loquuntur. quibus addo Durantum in lib. de modo celebrandi concilium generale, cap. 6. hunc morem orandi pro regibus in sacro Missæ diu perdurasse, hinc constat, quod præter hunc Ecclesiæ ritum, vrgentibus malis malorum principum meritis, vetitum quandoque fuerit, regum, vel imperatorum nomina in Ecclesijs inter Missarum sollempnia recitari; vt de Philippico Constantinopolit. Imperatore scriptum

ptum reliquit Gotfridus Viterbiensis lib. 16. chronicorum. Porro orantibus pro rege Francorum Innocen. 4. decem dies indulgentiarum indulsit. Glossa pragmat. sanctio 18 in proemio 3. verbo, Tuëretur. De Sefua in tractat. de benefic. quæst. 23. Clemens 100. dies. Ioannes Ferrald. priuileg. 3. regis franciæ. Leo 10. annum adiecit. Bened. ad cap. Reinucius in verbo, Si absque liberis, Helias archiepiscopus Turonen. in defensorio concordat. *Et omnibus Orthodoxis, atque Catholica & Apostolica fidei cultoribus*: Orthodoxos, hoc loco quidam significare crediderunt recte sentientes, *δὲξα* enim Græca vox quandoq. sententiam & opinionem significat, inde orthodoxus recte sentiens. Alij vt Alcuinus & Florus Magister rectæ gloriæ homines, seu nullo errore deprauatos, fidei confessione Deum glorificantes, interpretantur. Vel orthodoxi hoc loco dicuntur homines gloria celebres, maiestatemq. præditi. *δὲξα* enim, auctore Basilio in cap. 10. Isaia, significat gloriam cum laude; quæ consono ore plurium celebratur: quasi Ecclesia, iuxta Pauli præceptum 1. Timot. 2. oret pro regibus & orthodoxis, hoc est pro his, qui in sublimitate constituti sunt: Ceterum his verbis, Orthodoxis & Apostolica fidei cultoribus, excluduntur a fructu huius sacrificij infideles, hæretici, & schismatici. Tales enim quia recta fide, & vnione carent, neque Christo capiti neque ceteris Ecclesiæ connectuntur membris, S. Thom. 3. par. quæst. 79. artic. 7. Plene Gabriel Biel super can. Missæ lect. 24. Non tamen veritum est Catholicis, pro paganis, Iudæis, & hæreticis orare. Quicumque in Ecclesia estis, ait August. ad psal. 65. nolite insultare eis, qui non sunt intus, sed orate potius vt & ipsi intus sint. & serm. 50. de verbis Domini, ad finem, Orate & pro dispersionibus, veniant, & ipsi cognoscant & ipsi ament. Et ad psal. 82. circa finem, vt impendamus in eos magnam charitatem abundantem misericordiam, in deprecando Deum pro illis. Extant & alia Augustini testimonia, nec non S. Chrysostomi, homilia de Adam, & Eua, & homil. 6. ad cap. 2. epist. prioris ad Timotheum, & Epiphanius epist. ad Ioannem episcop. Hierosolym. Immo quandoque sacerdos ad altare orat, & hortatur populum orare pro incredulis, vt eos Deus conuertat ad fidem S. August. epist. 107. ad Vitalem Carthaginensem, circa principium. Leo Papa 1. serm. 4. in solemnitate Epiphaniæ: Ecclesiasticum sane, atque diuinitus institutum non solum inhibemus, sed etiam incitamus affectum, vt etiam pro talibus, de hæreticis agit, nobiscum, Domino supplicetis. Quoniam & nos deceptorum animarum ruinas, cum fletu & mærore miseremur, exequentes apostolicæ pietatis exemplum: vt cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus desicemus. Speramus enim exorandam misericordiam Dei, nullis lacrymis & legitima satisfactione lapsorum: quia dum in hoc corpore viuunt, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio. Item Cælestinus Primus epist. 1. ad Episcop. Galliæ cap. 11. Cum enim sanctorum plebium præfules, mandata sibimet legatione fungantur, apud Diuinam Clementiam, humani generis causam agunt, & tota secum congemiscente Ecclesia postulant, & precantur, vt infidelibus donetur fides, vt Idolatræ ab impietatis suæ liberentur erroribus, vt Iudæis ablato cordis velamine lux veritatis appareat, vt hæretici catholicæ fidei perceptione respiscant, vt schismatici spiritum rediuuæ charitatis accipiant, vt lapsis pœnitentiæ remedium conferatur, vt denique Cathecumenis ad regenerationis sacramenta perductis cælestis aula misericordiæ referetur. Quibus verbis scopus orationum Ecclesiæ in die parasceues indicatur. Eo enim die in Missæ officio Ecclesia orat, ne dum pro Iudæis & paganis, sed & pro hæreticis & schismaticis, vt Deus eruat eos ab erroribus vniuersis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam atque Apostolicam reuocare dignetur. Quod quibusdam absolum videtur. Nam pro excommunicatis orare non licet precatione publica, hæretici autem ipso iure excommunicati sunt. Cui dubitationi occurrit Nauar. lib. de oratione & horis canonicis cap. 19. conclusione 6.

DE SECUNDA PARTE CANONIS,
Memento Domine famulorum.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

- 1 Meminit sacerdos in Missa eorum pro quibus sacrificium offert.
- 2 Meminisse Dei, est adiuuare.
- 3 Nominum recitandorum in Missa consuetudo antiqua.
- 4 Orat pro astantibus sacerdos in Missa.
- 5 Missarum solemnium quotidie interesse salutare est.
- 6 Sacrificium pro se quoque offert sacerdos.
- 7 Sacrificium offert ministerio solus sacerdos, & populus etiam voto & deuotione offerre dicitur.
- 8 Sacrificium laudis, designat Christi passionem, & cur ita nominetur.
- 9 Oramus pro nobis nostrisque omnibus, idque studiosus ut ordinata charitas exigit, nec tamen omit-
tendi sunt inimici.
- 10 Orandum, & sacrificium offerendum, non modo pro redemptione animarum, & vita aeterna, qua
præcipua bona nostra sunt, sed etiam pro temporali incolumitate, pro pace & similibus.
- 11 Peccati reatus sæpe causa est infirmitatis corporalis.
- 12 Sacrificium integritatum in veteri testamento quod fuerit.
- 13 Votorum nomine in canone Missæ quid intelligendum sit.
- 14 Bona opera qua ratione Dei sint & hominis.

Memento Domine famulorum famularumque. Hactenus pro vniuersa Ecclesia, & eius præpositis: nunc tempus postulat, ut sacerdotes susceptos suos, ut loquitur August. epist. 59. quæst. 5. id est eos, pro quibus sacrificium Dominicum offerre decreuerunt, misericordissimæ offerant pietati. Petimus autem, ut Dominus meminerit eorum, quos offerimus ei. Meminisse vero Dei, adiuuare est & misereri. Inde August. libro vndecimo confess. in principio: Numquid Domine cum tua sit æternitas, ignoras quæ dico tibi? Cur ergo tibi tot rerum narrationes digero? Non utique ut per me noueris ea, sed affectum meum excito in te. Et postea: Nam & oramus, & tamen veritas ait: Nouit pater vester, quid vobis opus sit, priusquam petatis a Deo. Affectum ergo nostrum patefacimus in te confitendo miseras nostras, & misericordias tuas super nos ut desinamus esse miseri, & beatificemur in te. Plenius de Turre cremata in canon. De nominibus de consecrat. distinct. 1. Gabriel Biel, lect. 25. Porro ex hac forma cum eo quod sequitur, Et omnium circumstantium manifeste colligitur, quod hic quasi quidam sit locus, ubi sacerdos specialiter, quos voluerit debeat nominare. Hæc Alcuinus cap. de celebrat. Missæ Innocent. 3. lib. 3. myster. Missæ. capit. 6. Alex. de Ales & Durant. in rational. vel auctore Alcuino cap. de celebrat. Missæ, istud ab antiquis obseruatum est, ut ibi offerentium nomina recitarentur. Innocent. 1. epist. prima ad Decentium, Prius oblationes sunt commendandæ, ac tunc eorum nomina, quorum sunt oblationes, edicenda, ut inter sacra mysteria nominentur non inter alia, quæ ante præmittimus, ut ipsis mysterijs viam futuris precibus aperiamus. Huius decreti mentionem facit Carol. Magnus lib. 1. capit. 54. apud Ansegisum Abbatem. Item August. Epist. 137. Nomen autem presbyteri propterea non ausus sum de numero collegarum eius, vel suppressere, vel delere, can. Nomen 2. quæst. 1. Et paulo post. ead. Epist. Et nunc si vobis placet, ut nomen eius non recitetur, ne ijs qui ad Ecclesiam accedere nolunt, sicut ait Apostolus, demus occasionem quærentibus occasionem. non erit nostrum hoc factum, sed eorum quorum causa fuerit factum. Quid

quid enim obest homini quod ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro viuorum non delet eum iniqua conscientia, can. Quid obest. 11. quæstion. 3. Illius etiam recitationis meminit Gelas. Papa, epist. ad Anastasium Augustum; quo Acacio scilicet in sua perfidia, & damnatione manente tam eius in Ecclesiastica recitatione non potest nomen ascribi, quàm externæ contagium non debet communionis admitti. Odo Cameracen. in explicat. Sacri can. Et quia in quibusdam codicibus inuenitur littera N, aliquorum fieri memoriam nominatim significatur. Vnde quidam vsu tenent, memorare hoc in loco, quos chariores habent. Confirmat. S. Chrylost. homil. 6. in cap. 2. epist. 1. ad Timoth. Omnis igitur oratio nostra gratiarum actione non caret: sed & pro ijs, qui nobis familiaritate iunguntur orare meminerimus. Potest autem sacerdos, ait Gabriel. Biel lect. 25. vel viua voce nomina eorum, pro quibus orat, exprimere: vel solum labijs compressis inclusa pectoris cogitatione, ut Hieronym. loquitur, recitare. Hoc loco 4 quæri posset, an Sacerdos offerens sacrificium in persona Ecclesiæ, possit eius fructum, & virtutem alicui, vel aliquibus applicare: de qua quæstione plene Scotus in quolib. quæst. 20. & Gabriel Biel, lect. 26. Et omnium Circumstantium. Assistens sacerdos altari, pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, atque præsentibus, pro ijs, qui ante nos fuerunt, pro ijs, qui postea futuri sunt, sacrificio illo proposito, Deo nos gratias iubet offerre. Hæc S. Chrylost. hom. 26. in Mart. Ex his verbis colligere licet quàm sanctum, & salutare sit 5 Missarum sollempnium interesse, nedum diebus Dominicis, quod & Ecclesia iubet: verum etiam singulis diebus. Pro astantibus enim sacerdos speciatim precatur: quod & Innoc. 3. & Alex. de Ales obseruauerunt. Vel qui tibi offerunt. Hæc verba referri possunt, auctore Inno- 6 cent. 3. lib. 3. myster. Missæ cap. 6. ad Sacerdotes, qui offerunt. Cum enim sacerdos offert, pro populo offert & nihilominus pro se. Innocentium Durant. in rationali sequitur. Refertur quoque possunt ad populum. Non solum enim offerunt Sacerdotes, sed & vniuersi fi- 7 deles: hi voto, illi ministerio. Idem Innocent. dicto cap. 6. & Alber. magnus, item Alcuinus cap. de celebrat. Missæ: Quod adimpletur proprie ministerio sacerdotum, generaliter agitur fide, & deuotione cunctorum. Odo Cameracen & Steph. Eduen. de sacramento altaris, cap. 13. Non solum, inquit, sacerdotes, & clerus, qui secundum diuersos gra- 8 dus, diuinis occupantur officijs, offerunt: sed etiam audientes, qui votis, & orationibus assistunt cooperantes. Amplius non illi solum dicuntur offerre sacrificium, qui Sacerdotij ministerio funguntur: sed & illi, qui ut Deum promereantur benignum, aut placatum, Sacerdotis ministerio, ac intercessione vtuntur. Inde Dominus ad amicos Iob, cap. 42. Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad feruum meum Iob, & offerite holocaustum pro vobis. Rursus plebs sacrificium offert per sacerdotem. Vnde August. Epist. 122. In terra captiuitatis constitutæ, nec ferre oblationem ad altare Dei possunt, nec inuenire ibi sacerdotem per quem offerant Deo, Hoc sacrificium laudis. 8 Offerunt ergo Sacerdotes Ecclesiæ, ait flor. Magist. in exposit. Missæ, offert per ipsos, & in ipsis tota Ecclesia Deo, & sacrificium laudis, quod a cultoribus suis sibi offerri ipse præcepit, dicens; Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Hoc sacrificium laudis. Seuerianus oblationem Dominicæ passionis interpretatur: in qua nulla nostra merita agnoscimus, sed solam Dei gratiam collaudamus. Dicitur autem laudis sacrificium, auctore Alcuino, quia in laudem Dei offertur. Non enim nostra illi damus, sed sua reddimus. Pro se, suisque omnibus, Hoc est, ut ait Alcuo, ad se vel genere, 9 vel familiaritate, vel qualibet alia conditione sub eiusdem fidei professione pertinentibus, tam viuentibus, quàm defunctis. Pro nobis offerimus, quando sacrificio poscimus Deum habere tutorem contra pericula corporis, & animæ, & propitium ad obtinendos successus bonos in vtraque parte. Pro nobis omnibus, quando oramus pro amicis nostris, & rebus. Supplicamus enim pro pace amicorum, quando sunt in bello; pro tranquillo reditu, si sint in itinere: pro sanitate, si in infirmitate decumbunt: pro conuersione, si peruerse viuunt. Hæc Odo Cameracen. in exposit. Sacri canonis Missæ. Ceterum licet teneamur diligere etiam inimicos: seruare tamen debemus ordinem charitatis. Nam & Apostolus ait Galat. 6. Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. Hæc Innocentius 3. libro 2. mysterior. Missæ. capitulo 6. Addit Alex. de Ales, pergratum Deo fore, si sacerdos hæc verba proferens, ea mente & cogitatione inimicos complectatur. Pro redemptione animarum suarum. Hoc est, ait Alcuinus, non pro aliquo terreno appetitu, non pro temporali lucro, sed pro redemptione 2 animarum

animarum suarum, quia in ipso habemus redemptionem, per sanguinem eius, remissionem peccatorum. Sequuntur Innocentius 3. Alex. de Ales, Gabriel Biel, & ceteri. Porro an liceat temporalia bona orando postulare, tractant Sanctus Augustin. Episto. 121. ad Probam capit. 12. D. Thom. 2. 2. quæst. 83. artic. 6. & ad 4. sentent. distinct. 15. *Pro spe salutis*, id est, pro vita æterna, quæ est vera salus. Spe enim salui facti sumus. Alcuinus, Florus Magister, & plerique alij. Hoc sacrosanctum sacrificium, ait Odo Cameracens. in expositione sacri canonis, non solum liberat nos a malis: sed etiam accumulatur bonis. Non solum nos eripit a poenis: sed etiam auget gaudia salutis, & incolumitatis, salutis, inquam, æternæ animarum. *Et incolumitatis sue*, non solum ex sententia Alcuini & Flori, pro salute æterna, sed etiam pro temporali incolumitate, id est, corporali sanitate. **10** Incolumitas enim dicitur sanitatis integritas. Vtraque autem sanitas ab illa est, & animæ, scilicet, & corporis, de quo in Psalmo canitur: Domini est salus, addit Innocent. 3. lib. 2. cap. 7. Vtraque sanitas provenit ex redemptione animæ, id est, ex peccati remissione, sicut e contra de reatu peccati procedit infirmitas vtriusque. Ideo verò, ait Alexander de Ales, hunc locum enarrans, ab Ecclesia offertur sacrificium pro corporis infirmitate, quo Deus impatientiæ occasionem præcludat, & conseruata, vel reddita sanitate gratiarum actiones Domino referamus. **11** Olim in veteri testamento inter genera sacrificiorum erat sacrificium integritatum, quod pro integritate domus, & incolumitate offerebatur. Leuit. 3. vbi communiter nostri verterunt, sacrificium pacificorum. At quia verbum *שלח* schalam significat perfici, compleri, & integrari, Hieronym. ab Oleastro vertendum putat integritatum, seu perfectionum, quoniam pro domus incolumitate, & integritate, vt scilicet nihil deesset, nihil mali accideret, offerebatur. Septuaginta verterunt, sacrificium salutis, forte, quia pro salute domus, quasi gratiarum actio offerebatur. In Liturgijs S. Basilij, & Chrysoctomi legimus sacrificium offerri pro pace Reipublicæ, tranquillitate aeris, & temperie. S. Chrysoct. hom. 3. ad Philippenf. non frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc discesserunt. Et postea: Quæ nãque alia ratione pro mundi nos pace & incolumitate precari iussit? Quomobrem pro omnibus hominibus? *Et tibi reddunt vota sua*, reddunt **12** vota, ait Alcuinus, id est, sacrificia, vel vota fidei, & piæ deuotionis: Sequitur Florus in expositione Missæ. Hoc loco quærunt nonnulli, cum nostra donemus, & aliena reddamus, quomodo si vota nostra sunt, reddimus, & non potius donamus: vel si reddimus, quomodo nostra sunt, & non potius aliena? Huic dubitationi, ita occurrit Innocent. 3. Durantus in Ration. & Alexander de Ales, quòd votum, ac generaliter omne opus boni, **13** & hominis est, & Dei: Dei quidem propter necessitatem gratiæ: hominis vero, libertate arbitrij. Inde Apostol. 2. Corinth. 15. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. Et postea: Coadiutores Dei sumus: quod pluribus persequitur Gabriel Biel lect. 29.

DE TERTIA PARTE CANONIS, Communicantes.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

- 1 *Canonis pars tertia a quo addita sit.*
- 2 *Sacrificium nullum Deo offerendum, nec illi vllum acceptum esse potest, nisi in communionem sanctorum, & seruata vnitatem.*
- 3 *Sanctorum commemoratio in Missa vetustissima, idque proluxe ex Patrum testimonijs ostenditur.*
- 4 *Sacrificium non sanctis, sed sanctorum Deo offertur.*
- 5 *Oblatio Grecorum, quæ in eorum Canone dicitur fieri pro Martyribus, quo sensu intelligenda sit.*
- 6 *Confessorum cur non fiat mentio in canone Missæ perinde atque Martyrum.*
- 7 *Maria Virgo, & Mater Christi principem in sanctorum commemoratione locum obtinet, & quantis lau-*

tis laudibus digna sit.

- 8 *Maria Virgo quibus apud patres insignita sit nominibus.*
- 9 *Maria Virgo & Martyr.*



HANC Canonis particulam, Radulphus Tungren. De canonum obseruant. propos. 23. & Durantus in ration. lib. 4. capit. 38. acceptam ferunt Syricio Papæ, qui sedit temporibus Valentiniiani, & Valentis, anno Domini 389. In Missa Ambrosiana eadem canonis clausula legitur, additis quibusdam sanctorum nominibus. Ambrosius vero sub Syricio aliquando floruit. *Communicantes*. Alcuinus capit. de celebratione Missæ, **2** Florus mag. in exposit. Missæ: Hoc sacrificium, inquit, vt possit esse acceptum, & placitum, non alibi, hoc offerunt, & sacerdotes, & Ecclesia cum sacerdotibus, nisi in communionem & societate sanctorum, de quibus Apostolus dicit: Estis ciues sanctorum, & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. **1** Odo Cameracens. in expositione sacri canonis, enarrans hæc verba: *Communicantes*: Extra communionem, ait, non est locus offerendi Deo verum sacrificium, vel vota soluendi. Stephan. Eduens. de sacramento altaris capit. 13. *Communicantes*. Aliter enim, inquit, nec conuenienter offerrent Deo, nec vota redderent, nisi digne communicarent: quia extra communionem fidelium, & venerationem sanctorum, non est locus offerendi verum sacrificium. Innocent. 3. lib. 2. myster. Missæ, cap. 9. Et quoniam, ait, extra communionem Ecclesiæ, non est locus offerendi sacrificium vnitatis: ideo sanctorum memoriæ communicamus in sacrificio, quatenus in communionem sanctorum sacrificium offeramus. Nam sicut vnus panis, ex multis granis &c. Albertus Magnus, communicamus cum sanctis in sacramento altaris: quia quod illi percipiunt in rei veritate, nos frequentamus in sacramentali specie. Plane auctore Micrologo de Ecclesiast. obseruat. cap. **12** quædam canoni interponuntur in summis festiuitatibus, in illo loco, vbi dicitur, *Communicantes*, vel, *Hanc igitur oblationem*, huiusmodi vero interpositiones efficiunt vt illud, *Communicantes*, apertius per se, quasi in catholica communionem manentes intelligamus, quàm ad subsequendum sanctorum communionem ipsum referamus. His addendus est Berno de officio Missæ, capit. 13. *Et memoriam venerantes*, hoc loco non esset extraneum, de veneratione sanctorum agere, verum quia locus ille plenissime tractatus est ab ijs, qui de controuersijs scripserunt, de commemoratione sanctorum, in Missæ sacro dumtaxat, agam. Ea vero sanctorum commemoratio in Missæ sacrificio vetustissima est. Sanctus **3** Dionysius capit. 3. Ecclesiast. Hierarch. Sed & illud sacratius imbuere, quod impositis sancto altari venerabilibus signis, per quæ Christus signatur, & fumitur, adest proinus sanctorum descriptio. Sanctus Clemens libr. 8. Constitut. Apostolic. capit. 13. Memoremus Martyres sanctos, vt mereamur certaminis eorum participes fieri. Sanctus Cyprianus, libr. 3. epistol. 6. Denique & dies eorum, quibus excedunt, annotate, vt commemorantes eorum inter memorias Martyrum celebrare possimus. & libr. 4. epistol. 5. Sacrificia pro eis semper, vt meministis offerimus, quoties Martyrum passiones, & dies, anniuersaria commemoratione celebramus. Cyrill. Hierosolym. Catechesi 5. Postea, inquit, facimus mentionem etiam eorum, qui ante nos obdormierunt. Primum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, vt deus orationibus illorum, & deprecationibus suscipiat preces nostras. S. August. tract. 84. in Ioan. Ideo ad mensam Domini non sic Martyres commemoramus, quemadmodum alios, qui in pace requiescunt, vt etiam pro eis oremus, sed magis, vt ipsi orent pro nobis. Et serm. 17. de verbis Apostol. Habet Ecclesiastica disciplina, quod fideles nouerunt, cum Martyres eo loco recitentur ad altare Dei, vbi non pro ipsis oratur, pro ceteris autem commemoratis defunctis oretur. & libr. 8. de ciuit. Dei cap. 27. Quis autem audiuit aliquando fidelium stantem sacerdotem ad altare, etiam super sanctum **4** corpus Martyris ad Dei honorè, cultumq. constructum dicere in precibus: Offero tibi sacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos, & homines, & Martyres fecit, & sanctos suos angelis, cælesti honore sociavit: vt ea celebritate, & deo de illorū victorijs gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum, atque palmarum eodem inuocato in auxilium ex eorum memoriæ renouatione adhortemur. Et 22. de Ciuitate Dei capit. 10. Vni Deo, & Martyrum, & nostro sacrificium immolamus. Ad quod sacrificium, sicut homines dei, qui mundum in eius confessione

vicerunt, suo loco & ordine nominantur. Non tamen a sacerdote, qui sacrificat, intocantur: Deo quippe, non ipsis sacrificat, quamuis in memoriâ sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum. Ipsum vero sacrificium corpus est Christi. Quibus verbis obiter obseruandum est, non negare Augustinum, sanctos homines ad intercedendum inuocari, hoc enim superioribus locis & alijs compluribus confitetur: verum docet sacerdotem verba sacrificij non debere ad sanctos dirigere, quasi illis, tamquam dijs, aliquid offeratur. Eamq. fuisse mentem Augustini apparet ex superioribus locis contra Faustum, & Lib. 8. de Ciuit. Dei. Sanctus Chrysostomus homil. 21. in Acta Apostol. Quid tibi videtur, quod pro Martyribus offertur, quod inuocantur in illa hora, magnus honor nominari Domino præsentem, dum mors illa celebratur, & horrendum sacrificium, &c. Sanè apud Epiphani-
 5 nium hæref. 75. & Cyrillum cathechesi. 5. mystagogica, & in canon. Græcorum legitur offerri sacrificium Deo, pro Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Euangelistis, & Martyribus, præcipue autem pro sanctissima Deipara, quod idem significat, quod in nostro canone, Communicantes & memoriam venerantes. Dum enim Græci dicunt: Offerimus pro Martyribus, non intelligitur, quod eos Deo commendemus, verum in oblatione commemoramus Martyres, in eorum gloriam, & gratiarum actionem, gratias agentes pro gloria, qua donati sunt. Id enim est, quod Augustin. dicit in Enchiridio cap. 110. pro valde bonis gratiarum actiones sunt. In eandem sententiam Cabasila in exposit. Liturgiæ cap. 33. Sunt, inquit, Ecclesiæ agendarum Deo gratiarum causæ, pro ijs offert rationabilem hunc cultum, tamquam Deo gratiarum actionem. Et postea: Propterea nihil pro eis orat sacerdos, sed potius eos orat, vt ab eis in orationibus adiuuetur, quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, vt dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem, in eorum gloriam. Offerri itaque pro Martyribus interpretamur, pro eorum gloria. Hanc sanctorum commemorationem, cum ipsa proponuntur dona, & tum cum offertur sacrificium, Græci hodie retinent; testante Hieremia patriarcha in Censura Orientali. Quod vero in quibusdam sanctorum orationibus legitur, Sumpsimus Domine sancta mysteria, quæ sicut sanctis tuis profunt ad gloriam, ita nobis quæsumus proficiant ad medelam. Interpretatur Innocent. 3. in cap. Cum Marthæ, de celebrat. Missarum, vt ad hoc profunt, quo magis, ac magis a fidelibus glorificentur, in terris &c. Gloriam enim illi essentialem, vt theologi loquuntur, naçi sunt. Ceterum in quibusdam Ecclesijs adduntur hæc verba: Quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, idq. ex institutione Gregorij 3. Is enim, testantibus Vualafrido Strabone, de reb. Eccles. cap. 22. & Radulpho Tungen. de canon. obseruantia propos. 23. faciens oratorium in basilica Beati Petri, in honorem omnium sanctorum, & quotidiana ibidem officia, ac Missas in eorum venerationem constituens celebrari, pariter instituit in canone a sacerdote dicendum: Quorum solemnitas in conspectu tuæ maiestatis hodie, & postea: quod, quia specialiter pertinet ad illam celebritatem non est canoni, qui generaliter dicitur, annotatum. Hoc ipsum Sigiber. ad annum Dom. 731. confirmat his verbis: Gregorius præfidet 808. hic constituit post primam commemorationem sanctorum in canon. Missæ, a sacerdote ita dicendum, Et eorum quorum solemnitas hodie in conspectu. Idem Marianus Scotus, Martinus Polonus, & Platina in Gregorio 3. Hoc loco quæri solet, cur in canone nulla fiat confessorum
 6 commemoriatio, cum inter sanctos, eorum memoriam magnifice veneretur Ecclesia. Huic dubitationi occurrit Innocent. 3. lib. 3. myster. Missæ, cap. 10. quod canon fortassis prius fuit editus, quam memoriam sanctorum confessorum Ecclesia solemniter celebraret. Nam omnes fere sancti, qui commemorantur in canone, præcesserunt Siluestrum, præter Iannem & Paulum, Marcellinum, & Petrum, qui proxime successerunt. Ecclesia vero forte post tempus B. Siluestri cœpit sanctorum confessorum memoriam solemniter venerari. Sed causa huius rei cõmodissima illa videtur, quod in hoc Missæ sacrificio, per quod Domini passio repræsentatur, nullorum rectius fieri potuit memoria, quam martyrum, qui sanguinem pro Christo fundendo, facti sunt passionis Christi veri imitatores. Alias huiusce rei rationes meditati sunt Durantius in ration. Lib. 4. cap. 38 & Alex. de Alef. 4. par. quæstion. 37. de officio Missæ, articul. 2. §. 2. In primis gloriosa, semperq. Virginis Mariæ. In hac commemoratione sanctorum ex sententia Alcuini cap. de celebrat. Missæ, & Flori in exposit. Missæ, Beata Dei Genitrix primum ponitur, per quam, & illi, & nos meruimus authorem vitæ suscipere. In veneratione sanctorum hæc ratio obseruanda est,
 7 vt primum, & super omnes Beata Dei genitrix honoretur, secundo, Apostoli, tertio, sancti Mar-

ti Martyres, & alij sancti omnes, hæc Oddo Cameracen. in exposit. sacri Canonis Missæ. Item Stephanus Eduensis Episcopus de sacramento altaris cap. 13. In memoria & veneratione sanctorum, talis ordo est considerandus, vt primum memoretur Beata Virgo, & Domina, & Regina angelorum, & hominum, &c. Postea, ante consecrationem, fit memoria plurimorum Martyrum, qui stolas suas, in sanguine agni dealbauerunt, & cum eo coronati, non velata facie, sed manifesta visione Deum agnoscunt. Hos in memoria venerantes precamur, vt Beatæ Virginis, quæ præcellit omnibus sanctis, & eorum intercessio sit nobis salutifera propitiatio. Planè non sine diuino consilio, & perpetuo Ecclesiæ consensu factum est, vt in veterum Liturgijs, quæ extant tam Græcorum, quam Latinorum, honorifica mentio B. Mariæ Virginis habeatur, eiusq. commemoratio, quo eius meritis, & precibus iuuari possimus, sæpe interponatur. In Liturgia S. Iacobi, exarata leguntur hæc verba: Deinde exclamat sacerdos, præcipue sanctissimæ, immaculatæ, super omnes benedictæ, gloriosæ Dominae nostræ Deiparæ, semperq. Virginis Mariæ. Item in Liturgia S. Basilij: Pontifex voce excelsa, præcipue sanctæ & intemeratæ, benedictæ Dominatricis nostræ Dei Genitricis, & semper Virginis Mariæ. Iterum secrete: Sancti Ioannis Præcursoris, & Baptistæ, sancti N. illius cuius memoriam facimus, & omnium sanctorum tuorum, &c. Ad hæc in Liturgia. S. Chrysostomi: Præcipue autem sanctissimæ, intemeratæ, semper benedictæ Reginae nostræ Dei genitricis, semperq. Virginis Mariæ. Oportet, ait S. Germanus in Theoria rerum Ecclesiasticarum, enarrans verba illa, Præcipue sanctissimæ, immaculatæ, vt nos Dominam huius vniverfi laudemus, & illam Angeli salutationem enunciemus. Amplius Cabasila in expositione Liturgiæ: Pro ijs offert Ecclesia rationabilem hunc cultum, tamquam Deo gratiarum actionem, & præceteris omnibus, pro Beata Dei matre, vt quæ omnem sanctitatem excedat. Quæ verba, Pro beata Dei matre, obiter intelligenda sunt, vt supra numero 5. In Missa item Aethiopica, eaq. peruetusta, sacerdos hanc salutationem, simul & precationem ad Virginem interponit: Latere Domina, quia salutem sanctam deprecamur. O Virgo in omni tempore Mater Dei, & Christi, effer sursum & in altum orationem nostram. Et postea: Ora pro nobis apud eum, vt misereatur animæ nostræ. Plura de laudibus sacratissimæ Mariæ, & quantum vna Maria inter ceteros sanctos excellat, Canisius in libris de Maria Virgine. 8 Hoc tantum adijciam sanctissimam Virginem varijs nominibus a sanctis Patribus appellatam, aduocatam, vocat Irenæus lib. 5. Gregor. Nazianz. in fine Trag. Bernard. in sermone de Natiuitate Mariæ, & sermone de Aduentu, Regiam, & Dominam. Athanas. in Euangel. de Deipara. Nazianz. in fine Trag. S. Ephrem oratione de laudibus Mariæ. S. Hildephons. ferm. 7. de Assumptione Beatæ Mariæ, honoratorem Cherubim, & Seraphim. S. Iacob. & Chrysost. in Liturgijs, spem. Augustinus ferm. 18. de sanctis, Fenestram celi, & scalam celestem. Fulgentius ferm. de Laudibus Mariæ, Mediatricem. Bernard. ferm. 2. de Aduentu, & ferm. in verba, Signum magnum, Causam salutis. Irenæus lib. 3. cap. 33. Epiphanius hæref. 78. Martyrem. S. Hieronymus ferm. de Assumptione B. Mariæ, ibi: Recte igitur Beata Dei genitrix, & Virgo, & Martyr fuit: quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoque quod vere passa sit, testatur Simeon propheta, ad eam loquens: Et tuam, inquit, ipsius animam pertranfubit gladius. Ex quo constat, quod supra Martyrem fuerit. Et paulo post: Et atrocius passa est gladio passionis Christi, plusquam Martyr fuit, &c. Quæ totidem fere verbis repetit S. Hildephonsus, qui ante nongentos annos floruit, ferm. 2. de Assumptione. Beatæ Mariæ. Merito ergo Beatæ Mariæ Virginis, ne dum propter excellentem præstantiam, sed & quia Martyr est, immo plusquam Martyr, hac canonis parte fit commemoratio.

DE QVARTA PARTE CANONIS,
Hanc igitur oblationem.

CAPVT TRIGESIMVS SEXTVM.

1. Sacrificium offertur in Missa, totius Ecclesiæ nomine.
2. Λατρία, & δουλεία, differre ex patribus ostenditur contra insaniam Caluiniistarum.
3. Latría quid sit, & vnde dicta, & de variâ dulci acceptione.

Latría

4. Latria adoratio, an sit exhibenda humanitati Christi.
5. Missa Latria mystica.
6. Pacis & vitæ æternæ petitionem adiecit in canone Gregorius.
7. Nullus quantumvis perfectus est in hac vita securus.
8. Pax mundi pessima est. Ceterum in hac vita transitur a pace temporis, per pacem pectoris, ad pacem æternam.
9. Prædestinatorum numerus non ita definitus est, ut non debeat quisque petere obnixè ascribi in numerum electorum.

Seruitutis nostra, idest, cleri: Et cuncta familia tue, idest, totius assistentiæ collectæ. Odo Cameracen. in sacr. canon. exposit. vel auctore Stephano Eduensi, de sacramento altaris cap. 13. hæc oblatio non tantum est sacerdotis, sed cunctæ familiæ, idest, cleri, & populi, & non solum astantis familiæ, sed totius Ecclesiæ. Porro, ut ait Florus in exposit. Missæ, vnitas Ecclesiæ offerentis ostenditur, quando in illa sacra oblatione cōmunis seruitus exhibetur Deo, tam a sacerdotibus, quam a sancta familia domus Dei. Oratur itaque Deus, ut hanc oblationem, quam illi soli debita seruitute defert Ecclesia, placatus accipiat. Ceterum auctore Innocen. lib. 3. myster. Missæ cap. 11. duæ sunt species seruitutis, vna quæ debetur soli Deo creatori, & dicitur λατρεία. Altera quæ creaturis impenditur, quæ δουλεία appellatur. Hæretici huius sæculi rident distinctionem λατρείας, & δουλείας. At ea distinctio vetustissima est, quod ex varijs S. Augustini locis colligere licet. Primum ex sancti Augustini lib. 7. quæstion. in Exod. quæst. 114. vbi enarrans locum illum Exodi 23. Si seruieris dijs eorum, ait, Hic Græcus δουλεύση habet, non λατρεύση. Atque hinc fit, ut δουλεία tribuatur in quadam significatione Deo tamquam Domino: λατρεία vero Deo, ut Deo, ut mox dicitur. Item lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. Colimus ergo Martyres, eo cultu dilectionis, & societatis, quo & in hac vita coluntur sancti homines Dei. Et paulo post: Sed illos tanto deuotius, quanto securius, post incerta omnia superata, quanto etiam fidentiore laude prædicamus, iam in vita feliciore victores, quam in ista adhuc vsque pugnant. At illo cultu, qui Græce λατρεία dicitur, Latine vno verbo dici non potest, cum sit proprie diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi vnum Deum. Addo Sanctum August. de Ciuit. Dei lib. 8. cap. 27. lib. 10. cap. 1. & 3. De Trinit. lib. 1. cap. 6. Epist. 49. ad Deogratias, quæst. 3. & epist. 63. ad Maximum episcopum. Item ad psalm. 67. & Lib. quæst. in Genes. quæst. 61. Eandem distinctionem confirmat synodus 7. actio 2. 4. & 5. In qua qui aderant, Græci erant, & Græcorum nominum proprietatem perfecte callebant. Confirmant & Damascenus Græcus auctor lib. 1. & initio lib. 3. Apologet. & Ionas Aurelianen. lib. 1. de cultu imaginum. & Beda in cap. 4. Lucæ. Probat & vox ipsa Latriæ. λατρεύειν enim proprie nihil aliud est, quam μὴ πολλοῦ φόβου καὶ φόβου δουλεύειν idest, magno quodam cum timore, & reuerentia seruire, a particula λα & τρέω, iuue τρέω per Ionicam epenthesein, quod idem sonat atque tremo. Cum timore autem, & tremore creatori proprie, non creature seruiendum esse propheta docet. Psalm. 2. Seruite Domino cum timore, neque pugnat, quod S. Paul. ad Coloss. 1. & 6. & ad Galat. 4. tam λατρεύειν quam δουλεύειν, promiscue pro cultu solius Dei vsurpet. Si quidem obseruandum est δουλείας vocem, generalem esse, quæ cultum, atque seruitutem propter quamcumque dominationem, siue reuerentiam summam, mediocrem, vel exilem significat. Quare in scripturis rarius Deo, frequentius creaturis tribuitur. λατρεία vero e contra, frequentius in lege & prophetis, in nouo testamento fere semper, pro cultu & seruitute Deo propria. Plura in eandem sententiam Maldonatus in lectionibus, quæ nondum typis excussæ sunt, & de Xaintes in nona repetitione de adoratione Eucharistiæ. Non obstat etiam quod minus videatur λατρεύειν, hoc est colere, quam δουλεύειν, hoc est, Seruire, quare potius δουλεία Deo tribui debeat, quam creaturis, cum maius sit seruire, quam colere. Nam, ut iam dixi, dulciæ vox generalis est, latria vero cultum, siue seruitium, cum vehementia timoris significat. Ideoque Theologi hanc Deo, illam sanctis tribuunt: Mariæ vero υπερδουλείαν, hoc est, præstantiorem quendam cultum infra diuinum. Ea enim proximè ad Deum accedit, alijsq. omnibus post Deum præfertur. Verum an eadem adoratio Latriæ sit exhibenda humanita-

ti, ac

ti, ac diuinitati Christi quæri solet. Plene Ambrosius de Spiritu sancto libr. 3. capit. 12. Magister sententiarum lib. 3. distinct. 9. Vbi Bonauentura, & ceteri. Sanctus Thomas 3. part. quæstio. 25. De Turre Cremata, in canon. Nos autem, de consecration. distinct. 2. Plenissime Gabriel Biel super canonem Missæ, lection. 50. Hoc loco obseruandum est, Missam, Latriam mysticam appellari a Sancto Clemente Libr. 8. constitut. Apostol. 5. capit. 15. Vbi Turrian. Idem Turrianus Libr. 2. De sacrament. Eucharistiæ. capit. 13. Diesq. nostros in tua pace disponas. Hanc particulam, Sanctum Gregorium canoni adiecit. 6. varij auctores testantur. Ioannes Diaconus in vita Sancti Gregorij Magni Lib. 2. capit. 18. Item Beda libr. 2. historiæ Anglorum Ecclesiasticæ, capit. 1. in hæc verba: In ipsa Missarum celebratione, tria verba maximæ perfectionis plena superadicit, Diesq. nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione eripi, & in electorum tuorum grege iubeas numerari. Vualafrius Strabo. de rebus Ecclesiastic. capit. 22. Gregorius, inquit, in precatione canonis edidit, Diesq. nostros, vbi quidam volunt intelligi, eam ab eo loco canonis consequentiam, vsque in finem, per illum fuisse compositam. Cui sensui repugnare videtur, quod passio Domini, quam Alexand. eidem precationi inseruit, post hos versus habetur. Vnde nonnulli credunt, non amplius Gregorium, quam illas tres petitiones, id est, pro pacè temporum, & creptione ab æternis supplicijs, & confortio sanctorum obtinendo, addidisse. Hactenus Strabo. Amplius Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiastic. offic. capit. 23. Quod postea, inquit, additum est, a Sancto Gregorio, Diesque nostros, &c. ostendit nullum securum esse posse in præsentis sæculo de sua stabilitate, quamuis perfectus esse videatur: ac ideo necesse fore, ut semper deprecetur, in pace disponi dies suos in præsentis sæculo, & in futuro eripi ab æterna damnatione, & in electorum grege numerari. Ad hæc Sanctum Gregorium, hanc particulam, in precatione canonis addidisse, probant Beruo de officio Missæ capit. 13. Micrologus de Ecclesiastic. obseruation. capit. 24. Siebertus ad annum Domini 592. Martinus Polonus, Platina & complures alij. In tua pace. Apposite, ait Odo Cameracen. in expositi. sacr. canon. Missæ posuit, Tua. Est enim pax mundi, est & pax Dei: pax mundi inutilis, pax Dei salubris. Pacem constituit mundus, ut libere liceat vti voluptatibus: pacem dat sanctis Deus, ut mandatis intenti diuinis secrete studeant virtutibus. Triplicem pacem constituit Innocent. lib. 3. mysterior. Missæ, capit. 11. temporis, pectoris, & æternitatis. Propter hanc triplicem pacem, ait Innocent. ter oramus in Missa, dies nostros in tua pace disponas: Da propitius pacem in diebus nostris: dona nobis pacem, ut de pace temporis, per pacem pectoris transeamus ad pacem æternitatis. Innocentium sequuntur Alexand. de Ales in exposition. can. Et Durantus in Ration. libr. 4. cap. 39. Ob hoc etiam, addit Innocentius, sacerdos ter in Missa osculatur altare: in principio, in medio, in fine. De altaris osculo scripsi alibi. Et in electorum tuorum iubeas grege numerari. Hoc loco quæri potest, quo modo sacerdos petat, nos in electorum grege numerari, cum certus sit electorum numerus, qui neque augetur, neque minuitur, auctore Augustino de correptione, & gratia capit. 13. Nonnulli censuerunt, sacerdotem postulare, ut connumeremur cum electis, secundum præsentem iustitiam, Hoc est, ait Gabriel Biel, ut habeamus gratiam, quam habentes, electi dicimur, pro statu præsentis vitæ, quo modo illud a quibusdam Augustino ascribitur: Si non es prædestinatus, fac, ut prædestineris. Et Ambrosius: Si tu noueris mutare vitam, Deus nouit mutare sententiam. Alij interpretantur, ut minime sacerdos postulet nos de nouo, electorum cœtui ascribi, sed ut cum electis numeremur in æterna beatitudine, interueniente oratione illa, quam profert sacerdos, tamquam medio a Deo ordinato, ad æternæ vitæ consecutionem, Quod & Gabriel Biel lect. 33. in canonem adnotauit.

DE

DE QUINTA PARTE CANONIS.

Quam oblationem.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

- 1 *Canonis Missae antiquitas.*
- 2 *Oblatio Missae cur benedicta dicatur, ascripta, rata, & rationabilis.*
- 3 *Benedictio mystica quae sit, & quid praestet.*
- 4 *Christus in sacramento Eucharistiae est non circumscriptus.*
- 5 *Crucis signaculum super panem, & calicem in altaris sacrificio faciendum docent Patres.*
- 6 *Crucis signum quibus in rebus usitatum in Ecclesia.*

1 **B**enedictam, ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque. Haec verba vetustatem canonis manifestant. Nam & S. Ambrosius longe ante S. Gregorium lib. 4. de Sacram. cap. 5. huius formulæ meminit, his verbis: Accipe, quæ sunt verba. dicit sacerdos, Fac nobis, inquit, hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem. Has vero voces Patres varie interpretantur.

2 S. Augustinus aut quisquis fuerit auctor can. Vtrum de consecra. distinct. 2. Rogamus, inquit, hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur: ascriptam, per quam nos omnes in cælo ascribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur: rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur: acceptabilemque, facere dignetur, quatenus & nos, per hoc, per quod in nobis, displicuimus, acceptabiles in eius vnico filio simus. Haec ipsa verba legimus apud Paschasium lib. de corpore, & sanguine Domini cap. 12. Ea Augustino ascribit Thomas par. 3. quæst. 83. artic. 4. Aliter Alcuinus cap. de celebrat. Missæ: Oratur, inquit, Deus, vt oblationem suis altaribus impositam, & tantis precibus commendatam ipse per virtutem Spiritus sancti ita perfectam eucharistiam accipiat, vt in omnibus sit benedicta: ascripta, idest in numerum placitorum sibi recepta: sit & rata, idest, immobili firmitate perpetua: sit quoque rationabilis, vt quamuis de simplicibus terræ frugibus sumpta, benedictionis potentia efficiatur corpus, & sanguis filij Dei. Item Odo Cameracen in exposit. sacri canonis Missæ, Benedictam, inquit, gloria, vt gloriosa fiat: benedictam immortalitate, vt fiat immortalis: benedictam, in corruptione, vt incorrupta fiat: benedictam diuinitate, vt Deus fiat. Ascriptam scimus, quia in Trinitate, quæ Deus est, filius sit splendor paternæ gloriæ, & figura substantiæ eius. Et postea: Est ergo pater insculptus, atque inscriptus filio, cuius figura filius est, & imago, vt filius sit eius scriptum, quem sibi habet inscriptum. Et postea, Quid autem est ascriptum, nisi scripto appositum scriptum, idest verbo corpus adiunctum, & hypostatice vnitum? Quando igitur oramus, hostiam fieri ascriptam, quid aliud optamus, nisi, vt, quæ adhuc est panis corruptibilis, fiat substantia incorrupta, idest de voce fiat scriptum, scripto idest verbo adiunctum? Ratam. Ratum dicimus, quod certum, & fixum habemus: fiat ergo rata, idest non remaneat instabilis, mutabunda corruptione, sed permanens, & fixa fiat incorruptione. Rationabilem. Sanguis taurorum, aut vitulorum non sufficit nos expurgare a peccatis: minor est enim ad hominem. Pro homine ergo rationali, rationalis hostia sufficit: sola fiat ergo hostia nostra rationabilis, vt hominem verum, pro hominibus offeramus, & in hostia rationali, Deus propitiatur hominibus. fiat rationabilis, vt offeramus rationabiliter. Qui offert emundari non studens, offert irrationabiliter. Et postea, Vel fiat rationalis hostia, idest pro rationabili, & recta, vel honesta causa, &c. Acceptabilem. Non potest non esse acceptabilis, quæ superiores tres species recipit omnimodæ benedictionis. Et postea: Acceptabilis est Deo hostia, quæ Deus est. Quid ergo oramus fieri acceptabilem, quæ non potest displicere? Nam quæ acceptabilis est per se, displicet pro offerente. Et postea: Acceptatur pro sanctis, non acceptatur

ceptatur eadem ipsa pro impijs, &c. Eandem horum verborum interpretationem amplexus est Stephanus Eduensis de sacrament. altar. cap. 13. Alio modo Florus Magister, Oratur, inquit, omnipotens Deus, vt oblationem suis sacris altaribus impositam, & tantis precibus commendatam, ipse per virtutem spiritus descendens ita legitimam, & perfectam Eucharistiam efficiat, vt in omnibus sit ascripta, idest numero placitorum sibi numeretur recepta. Sit etiam rata, idest immobili firmitate perpetua. Et postea, Sit quoque virtute eiusdem spiritus sancti operante, rationabilis: & per hæc omnia singulariter Deo grata, & acceptabilis. Paulo aliter Amalarius lib. 3. de Ecclesiasticis offic. cap. 24. Quod, inquit, sit exponendum arbitror saluo magistrorum intellectu: Quam oblationem, quæ sic oblata est, vt ista, idest ea deuotione in omnibus hoc est tota cogitatione, tota vita, toto intellectu. Benedictam, sicut hæc benedicta est, sacerdote dicente, Vt accepta habeas, & benedicas. Ascriptam tibi, vt hæc de qua dictum est, Quæsumus Domine vt placatus accipias. Ratum idest fidelem, sicut hæc quæ tibi porrecta est, per Christum Dominum nostrum. Tu Deus, quæsumus, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, quatenus hæc nobis fiat corpus, & sanguis Domini nostri Iesu Christi. Hildebertus carm. de officio Missæ.

*Dum rogat vt Dominus, quæ condidit, hæc benedicat,
Vt nouet in melius, promoueatque, rogat.
Dum rogat ascribi, quod eam sibi præroget escam,
Atque dicit propriam, sanctificando rogat.
Dum rogat esse ratam. &c.*

Franciscus Turia, ad cap. 12. lib. 8. constit. Apostolicarum, hæc verba hoc pacto interpretatur, Ecce oblationem in principio factam, ex non consecratis muneribus rogat canon, vt faciat in omnibus benedictam scilicet benedictione illa mystica, qua ex pane fit corpus Christi. Hoc enim vere solum est benedictum, in omnibus, quod est omnis benedictionis causa. Quod magis adhuc declarat subiungens ascriptam, idest non finitam. Petit enim vt hanc oblationem, quæ ante consecrationem circumscripta est, & finita, faciat incircumscriptam & infinitam. In sacramento enim sacrae Eucharistiae Christus est incircumscriptus, vt Theologi tradunt, & Ecclesia Catholica credit. Addit Turia. Ne quis existimet hanc interpretationem a se excogitatum, pro eo quod est, ascriptam, in Missa Latina Ecclesiae Romanae, esse in Missa quam B. Petrus celebrabat Græce ἀπεφύρατον, quod verbum significat incircumscriptam. quæ pluribus verbis Turianus persequitur. Alias horum verborum interpretationes meditati sunt Innocentius 3. Albertus magnus, Alexander de Ales, Guillelmus Durant. & Gabriel Biel, quas breuitatis gratia prætereo. Dum vero sacerdos hæc verba profert, fit signorum crucis quina formatio. Tres siquidem cruces format Sacerdos coniunctim super oblatam, & calicem, dum dicit: Benedictam, ascriptam, ratam. Quartam separatim super oblatam solam, dum dicit: Fiat corpus. Quintam super calicem solum, dicens: Et sanguis. Signaculum vero crucis fieri super panem & calicem, in altaris sacrificio, varijs sanctorum Patrum testimonijs euincitur. S. Augustinus in lib. ex dictis Basilij de Spiritu sancto cap. 27. Quæ enim, vt inde exordiamur, scriptura salutiferæ crucis signaculo fideles docuit insigniri? vel quæ trifariam digesta super panem & calicem prolixæ orationis vel consecrationis verba commendauit. Nam non modo quod in Euangelio continetur, vel ab Apostolo, quod est infertum secretis dicimus, sed & alia plura adijcimus magnam quasi vim commendantia mysterijs. Idem Augustinus serm. 191. de tempore: Hoc signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri, & ceteri gradus, & serm. 3. de annunciatione, qui est 19. de sanctis. Huius crucis mysterio, rudes Catechizantur. Et postea: Et vniuersaliter omnia sacramenta Ecclesiastica in huius virtute perficiuntur. Et tractat. 118. in fine ad cap. 10. Ioan. Quod signum crucis nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquæ, qua regenerantur, siue oleo quo charismate vnguntur, siue sacrificio quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Item S. Chrysostomus hom. 55. in Euangel. Matt. Nam cum regeneramur crux Domini adest, cum sacratissimo alimur cibo, cum in ordine consecrandi statuimur. Varium fuisse Ecclesiae usum, in numero signorum crucis, indicat Anselmus lib. de diuersitate sacramen. in principio. Credit Amalarius fortunat. lib. 3. de Eccle-

de Ecclesiast. offic. cap. 24. satis esse signum crucis semel fieri super panem & vinum, quia Dominus semel crucifixus est. Non tamen esse ab re, si bis fiat: quoniam pro duobus populis Christus crucifixus est. Is tamen ritus quinque crucis signacula faciendi, hac in parte religiose in Ecclesia varijs sæculis seruatus est, compluribus rationibus, quas diligenter percensent Innocen. 3. Alber. magnus, Alexan. de Ales, Guillel. Durant. & Thom. 3. par. quæst. 83. artic. 5.

DE SEXTA PARTE CANONIS.

Qui pridie quàm pateretur.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

- 1 Canonis pars, Qui pridie, a quo addita.
- 2 Sacrificium Melchisedech typus fuit sacrificij Christi, & quid de Aaronico sacrificio.
- 3 Sacramenti Eucharistiæ materia est panis & vinum.
- 4 Panis quis aptus sit ad Eucharistiã conficiendam.
- 5 Eucharistia in azymo an conficienda vel fermentato.
- 6 Eucharistiæ materia in forma rotunda consecrare antiquum est & vsitatum in Ecclesia.
- 7 Panis Eucharistiæ designatus, sit mundus & iuxta Durandum sine sale.
- 8 Christi manus quo modo sanctæ & ad bonum paratæ.
- 9 Sacerdotes quorum manus sanguine & peccatis contaminatæ sunt, procul a tractando Eucharistiã sacramento arcendi sunt.
- 10 Canon Missæ quid contineat quod Euangelistæ non expresserunt, & quid ab Apostolorum traditione acceptum sit.
- 11 Traditione dogmata comprobata quantam vim habeant.
- 12 Christus oculos in cælum ad nostram eleuauit institutionem.
- 13 Gratiarum actio commendatur omnibus, & maxime cum sacrificium Missæ offertur.
- 14 Beneficiorum custos est memoria beneficiorum.
- 15 Christus prius consecrauit, quàm fregit, & benedicendo consecrauit & quæ sit causa mutati ordinis.
- 16 Indas an cum alijs Eucharistiã acceperit.
- 17 Mali an arceantur a communione.
- 18 Manducandi modus duplex, spiritualis & sacramentalis.
- 19 Particula, Ex hoc omnes, ab Apostolis addita.

Qui pridie quam pateretur. Alexander Papa primus, qui sedit temporibus Traiani, passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur. Hæc Damas. in lib. pontificali, & Vualafri. Strabo lib. de rebus Eccles. cap. 22. qui & addit: quod cum ita de Alex. in pontificalibus scriptum sit, dubium videtur, vtrum ille eam tantum partem actionis, qua passio Domini commemoratur, ordinauerit, vel totam a capite vsque ad ipsum locum. Verum, ait idem Strabo, huic secundæ opinioni videtur aduersari, quod in ea parte sancti nominantur, qui & ante illum, & qui post illius tempora longe fuerunt: nisi dicamus ab illo eos tantum, qui ante illum fuerunt commemoratos, ceterorum vero nomina suis quæque temporibus ab alijs adiecta. Vnde & ipsius nomen Alexandri in sequenti ordine reperitur. Item Microlog. de Ecclesiast. obserua. cap. 12. Multa, inquit, canonis a sanctis Patribus inserta legimus, sicut a sancto Alexandro Papa ipsius Dominicæ passionis commemoratio adijci iubetur. Id ipsum testantur Beruo. de officijs Missæ. Radulph. Tungren. de cano. obseruant. propof. vltima. Sigbertus ad annum 688. Extat de ea re eius constitutio epist. 1. ad omnes orthodoxos, his verbis: In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum sollempnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, vt eius cuius corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur. canon. In sacramentorum, de consecrat. dist. 2. Hanc vero Epistolam esse huius sancti Alexandri probat concil. Triburiens. capitulo 19. Amplius

Amplius credidit Alcuinus de diuinis officijs, cap. de celebratione Missæ, hæc verba, *Qui pridie quam pateretur*, vsque, *In mei memoriam facietis*, Apostolos in vsu habuisse, post Ascensionem Domini. *Accepit panem*. Hunc sacrificij ritum, ait Innocen. I I I. libro 3. cap. 3. Melchisedech primus legitur celebraffe, offerens panem & vinum. Erat enim sacerdos Altissimi, Genes. 14. Hoc Melchisedech sacrificium, figuram, & typum fuisse sacrificij Christi, non illius, quod in cruce a Christo oblatum est, cuius typus fuit Aaronis sacrificium, verum eius quod in vltima cena Christus instituit, probat aperte S. Paulus ad Hebræos 6. & 7. probant & veteres Patres, Clemens Alexand. libro 4. Stromatum, Cyprian. epist. 63. Basil. ad psalm. 19. Eusebius lib. 5. de demonstratione Euangelica, cap. 3. Ambros. lib. de Abraham patriarcha, cap. 3. & ad cap. 5. epistolæ ad Hebræos, & lib. 5. de sacramen. cap. 1. & lib. de ijs qui initiantur mysterijs, cap. 9. Hieronym. epist. 17. ad Marcelam, & ad cap. 26. Matthæi, & lib. quæst. in Genesim. Chrysofom. ad psalm. 109. August. libro 16. de ciuit. Dei, cap. 22. 17. cap. 17. & 20. libro 28. cap. 35. & 19. cap. 23. lib. 1. contra aduersarios legis & prophetarum, cap. 20. & lib. 4. de doctrina Christiana, cap. 21. & ad psalm. 33. & 106. Esichius lib. 6. in Leuiticum. Cassiodorus ad psalm. 109. Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei, cap. 14. Ex rabinis, Rabi Mozes Hadar in cap. 4. Genes. Plura Galat. libro 10. de arcanis catholicæ veritatis. Finus Adrianus lib. 8. in Iudæos, cap. 16. 3. Porro perspicuum est, materiam huius sacramenti panem & vinum, cui ante consecrationem modicum aqua admisceri debet. Plene S. Thomas 3. par. quæst. 73. artic. 1. & ad 4. senten. dist. 11. in 1. & 2. scripto, & ad primam ad Corinth. cap. 11. Hugo de S. Victore libro 2. de sacramentis, parte 8. cap. 8. Verum circa materiam panis, primum quari solet, an panis triticeus esse debeat, adeo vt non liceat consecrare in pane, ex farre, spelta, & siligine. Eugenius in concil. Florentino in decreto de Eucharistia, videtur exigere panem esse triticeum, his verbis: Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite. At tritici nomen generale est. nam et si Plinius Columella, & quidam alij a siligine, farre, & hordeo secernant, & in sacris scripturis, secerni videatur a spelta Exod. cap. 9. Triticum & zea non sunt percussa. In Hebræo enim legitur תרומת החריתו cussemet, nonnulli vertunt zeam, alij speltam. Frequenter tamen triticum vsurpatur, pro omni grano, quod arista tegitur, I. Triticum, vbi doctor. ff. de verborum obligat. & rubrica de tritico, vino, & oleo legato. In sacris item scripturis, triticum pro frumento Gen. 42. ibi: Audiui quod triticum venderetur in Aegypto, & paulo post vt emerent frumenta in Aegypto, & Gen. 30. Egressus est Ruben, tempore messis triticeæ in agrum, & Exod. 34. solemnitate hebdomadarum facies tibi, in primitijs frugum messis tuæ triticeæ: & solemnitate, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. Sunt & alia loca innumera. Ad hæc, panis iste azymus, & non fermentatus esse solet. Græci a Latinis dissidentes, ante vnionem, quæ celebrata fuit in concil. Florentino, in ea erant hæresi, Eucharistiæ sacramentum confici non posse, nisi in pane fermentato. Inde Latinos azymitas appellabant. Eorum rationes percensent, atque refellunt Algerus lib. 2. cap. 10. Innoc. III. lib. 3. myster. Missæ, cap. 4. Alex. de Ales 4. par. quæst. 32. arti. 2. Gabriel Biel ad canonem Missæ, lect. 34. Alphonsus de Castro, lib. 6. aduersus hæreses, hæresi 2. de Eucharistia. Tandem in concil. Florentino, sess. vltima, Latini cum Græcis consenserunt, editumque fuit sanctæ vnionis decretum, in hæc verba: Item in azymo, siue fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici, sacerdotesque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, vnumquemque scilicet iuxta suæ Ecclesiæ, siue occidentalis, siue orientalis consuetudinem. Plura in eandem sententiam Anselmus in libello de fermentato, & azymo. Rupertus de diuinis offic. lib. 2. cap. 22. de Turre cremata in apparatu super decret. vnionis Græcorum. Gennadius Scholarius, Patriarcha Constantinopolitanus, cap. 2. defensionis 5. Rursus panis consecrandus, in modum denarij formari consuevit, Durant. in ratio. lib. 4. cap. 41. Honorius in gemma animæ, cap. 67. ac vt idem Durantus addit in forma rotunda. Quod nouum non esse, sed perantiquum conijcio, ex S. Gregorio, libro 4. dialog. cap. 55. Ibi oblationum coronas, quas postea hostias interpretatur. Coronas vero eas appellat a forma rotunda, vt in tonsura expositor ordinis Romani. Hoc ipsum confirmat Chrysofomus, Gregorio antiquior homil. 83. in cap. 26. Matthæi: Qua igitur mundiorum esse non oportet eum, qui hoc sacrificio participaturus est? Quos radios solares non deberet excedere manus illa, quæ hanc coronam pertractat? Epiphani. quoque in Anchorato loquens de pane sacramentali ait: Videmus quod neque par, neque simile id sit, vel incarnata

- incarnatæ imagini, vel inuisibili deitati, vel etiam membrorum lineamentis: nam istud rotundæ formæ est. Denique panis iste mundissimus esse debet. Odo Cameracen. in exposito. sacri cano. dum de hostia pura agit: Ex hoc loco, ait Odo, admonemur, quod panis, altari appositus, debet esse mundissimus, in quo nulla inspici possit macula. Anicetus Papa, apud Burchard. lib. 5. cap. 29. & Iuonem parte 2. cap. 38. Panes, inquit, quos Deo in sacrificio offertis, aut a vobismetipsis, aut a vestris pueris, coram vobis nitide, ac studiose fiant: & diligenter obseruetur, vt panis, & vinum, & aqua, sine quibus Missæ nequeunt celebrari, mundissime atque studiose tractentur, & nihil in eis vile, nihil non probatum, &c. Amplius in pane consecrando non debet poni sal, auctore Duranto d. cap. 41. Vnde vero didicerit, mihi ignotum est. Plane Philo Iudæus lib. de vita contemplatiua, paulo ante finem meminit panum absque fermento, & sale, his verbis: In reuerentiam ἡ ἱεράς ἑστίας, quæ in ἀζύροις πρῶτος, id est anterior Ecclesiæ parte sita est. In ea enim azymi panes, id est absque fermento, & sale prorsus inconditi, eo quod decet simplicissima, & sincerissima quæque in præstantissimam sacrorum, siue sacerdotum partem, velut λειτουργίας præmium deputari. In sanctis & venerabilibus manibus suis. In Liturgia S. Iacobi, Accipiens panem in sanctas, immaculatas, inculpabiles, & immortales manus suas. S. Clemens libro 8. constituit. Apostol. cap. 12. In qua enim nocte tradebatur, cum accepisset panem sanctis, & ab omni labe puris manibus. Quæ verba esse S. Clementis testatur Nicolaus Metonensis ad eos, qui hæsitant, aiuntque consecratum panem, &c. Manus autem Christi vere sanctæ, de quibus Canticorum 5. Manus eius tornatiles, aureæ, plenæ hiacyinthis. Tornatiles, quia perfectæ, & ad omne opus bonum paratæ, ac mobiles: Aureæ propter Spiritum sanctum, & plenitudinem charismatum eius. Verum cum Euangelistæ de manibus sanctis, & venerabilibus nullam mentionem fecerint, cur Ecclesia hanc clausulam, In sanctas, &c. addidit? Antonius Puccius Cardinalis homil. 5. de corporis & sanguinis Christi sacrificio, docet Ecclesiam, sanctas idcirco spongi sui Iesu Christi manus dicere, & venerabiles, vt ex ipsarum sanctitatis, & venerationis mentione, attentiores filios efficiat, & arctius ad cogitandum inducat, vt non modo quales sint eorum manus ex vntione, sed quales etiam esse debeant, ex iustitia, & ex operatione, ac merito vitæ. Quare hoc loco sacerdotes admonentur, dum Christi venerabiles manus prædicant, hanc eis venerationem exhibere, vt prophanis, vel sanguine plenis manibus, panem hunc consecrare minime præsumant. *Et eleuatis oculis in cælum*, In Liturgia S. Iacobi, In cælum suspiciens. In Liturgia item S. Marci, Suspiciens in cælum, ad te patrem. S. Clemens d. cap. 12. Sustulissetque oculos suos ad Deum suum, ac patrem. Et in Liturgia eius: Et eleuatis oculis ad te Deum ac patrem suum, fregit. Paschasius item lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 15. Tria commemorantur in can. ait Innocen. 3. lib. 4. myster. Missæ, cap. 5. cap. Cum Marthæ de celebratione Missarum, quæ nullus Euangelistarum scripsit, videlicet, Eleuatis oculis in cælum, æterni testamenti mysterium fidei. Quæ tamen idem Innocen. Alex. de Ales 4. parte memb. 3. artic. 3. & Thom. 3. par. quæst. 83. Apostolos ab ipso Christo accepisse affirmant, ac deinde Ecclesiam Apostolorum traditione, eandem formam religiose coluisse. Dogmata, quæ in Ecclesia prædicantur, ait Basil. lib. de Spiritu sancto, cap. 27. quædam habemus e doctrina scripto prodita, quædam rursus ex Apostolorum traditione, in mysterio, id est in occulto tradita recepimus: quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, nec ijs quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint iura Ecclesiastica. Nā si consuetudines, quæ scripto proditæ non sunt, tamquam haud multum habentes momenti, conemur rejicere, imprudentes, & ea damnabimus, quæ in Euangelio, necessaria ad salutem habentur: immo potius ipsam fidei prædicationē, ad nudum nomen contrahemus. Accedat, quod ea verba: *Eleuatis oculis in cælum*, ex alijs locis Euangelij, comprobari possint. Ioan. 1. i. dum de resurrectione Lazari agitur, Iesus sursum eleuatis oculis. Et initio c. 17. Et subleuatis oculis in cælum, dixit: Pater clarifica filium tuum. Si enim ait Innoc. oculos leuauit in cælum ad patrem, cum animam Lazari reuocabat ad corpus, quanto magis credendum est, quod tunc oculos in cælum leuarit ad patrem, cum panem & vinum in corpus & sanguinē proprium conuertebat, vtrobique tamen hoc ad nostram instructionem agebat. Nam, vt ait Origen. in Euang. Ioānis tomo 28. Exemplo & imitatione Christi precaturus necessario attollere debet oculos animæ sursum, eosque abducere a rebus præsentibus, nempe a memoria, a considerationibus, atque cogitationibus, sicque Deo dicere, precationis verba magna, eaq. cælestia, de rebus magnis, deq. supercælestibus. Item Chrysoft. homil. 78. in Ioan. Præterea namque

namque Euangelista orasse dicit, sed subleuatis oculis in cælum. Et paulo post: Propterea erudimur attentionem in orationibus adhibendam, vt stantes suspiciamus, non oculis carnis tantum, sed mentis, & vt flectamus genua conterentes corda nostra. Itaque sacerdos, hæc dicens, oculos sursum eleuare debet, mentisq. oculis hoc sanctum ministerium, angelis tremendum, a Deo, cælorum Domino, accepisse. *Tibi gratias agens*. Huius gratiarum actionis commemoratione facta, sacerdos Christum imitari debet, & Deo, quantas infirmitas nostra capit, gratias agere. Gratias egit, ait Chrysoftomus homil. 83. ex cap. 25. Matth. vt nos instrueret, quo modo mysterium hoc facere debeamus: & simul vt ostenderet sponte se ad passionem proficisci, vt nos præterea doceret omnia quæ patimur cum gratiarum actione esse ferenda, ac bonam nobis spem inde immitteret atque foueret. & postea gratias egit, antequam discipulis dederat, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. gratias egit posteaquam dedit, & hymnum cecinit, vt nos quoque similiter faciamus. Chrysoftomus sequuntur Euthimius & Theophil. in cap. 14. Marci. Item Chrysoft. homil. 26. in Matth. Optima beneficiorum, inquit, custos est ipsa memoria beneficiorum, ac perpetua gratiarum actio. Propterea & reuerenda, ac salutaria illa myteria, quæ omni congregatione Ecclesiæ celebramus, Eucharistia, id est gratiarum actio, nuncupatur. Sunt enim beneficiorum plurimorum recordatio, caput ipsum diuinæ erga nos charitatis ostendunt, nosque faciunt semper Deo debitas gratias exoluere. S. Cypria. de cena Domini circa finē: Inter sacra myteria, ad gratiarum actiones conuertitur, & inclinato capite, munditia cordis accepta, se intelligens consummatum restitutus peccator, sanctificatam Deo animam, &c. Irenæus lib. 4. cap. 34. Et hanc oblationem Ecclesia sola puram offert fabricatori, offerens ei cum gratiarum actione, ex creatura eius. Ad hæc ratio nominis, Eucharistia, ducta est a gratiarum actione, qua digna sit ἡ ἱεράς ἑστία, inquit Dionys. hoc est natura sua, & qua profequenda est, quod tum ex S. Dionysio, cap. de communionem circa finem tum ex S. Clemente lib. 7. Apostol. constituit. cap. 25. perspicuum est: *Benedixit, fregit, deditque discipulis*. Hoc loco in dubium reuocatur, an Christus prius fregerit, quam consecrauerit, & an benedictio consecratio intelligatur. Scholastici varias ea in quæstione opiniones recensent. Communiore tamen opinio est, quæ & probabilior, Christum, in nouissima cena consecrasse, iisdem verbis quibus nos vtimur, *Hoc est corpus meum*, eaq. verba semel protulisse. Non tamen eo ordine quo in canone Missæ, vel apud Euangelistas. Ordo autem talis fuit, Accipit panem, & benedixit, dicens: *Hoc est corpus meum*, ac deinde fregit, & dedit discipulis, dicens: Accipite, & manducate. Hanc sententiam probarunt Alexan. de Ales 4. par. quæst. 33. memb. 2. S. Thom. par. 3. quæst. 78. art. 1. ad primum. Gabriel Biel super cano. Missæ, lectio. 36. & nouissime Bessario Cardin. lib. de Eucharistia sacramen. in hæc verba: Cum ita loqui debuisset, dicens discipulis suis, Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, fregit, & dedit eis. Hoc enim ipse ordo rerum poscebat, primo consecrare, deinde frangere, postea distribuere: quod nos in præsentia facimus. Ille tamen, ait, fregit, & dedit, dicens: Hoc est corpus meum, figurata locutione quam hyeteorologiam vocant, vsus, iuxta illud, Simul nutriti, natiq. fuerunt: & alibi, Sonuit cadens. Primo enim nascitur aliquis, deinde nutritur: & cadit quis, antequam sonum faciat. Quod ibidem Bessario ex S. Chrysoftomo, & alijs Patribus amplius confirmat. Sane interseruntur inter verba, *Benedixit, & Hoc est corpus meum*, hæc verba, *Fregit, deditque discipulis suis*, potius pro commoditate Euangelistæ referentis, quam secundum ordinem Christi gerentis. In hac enim narratione, omnia verba, Accipit, benedixit, fregit, dedit, vnum accusatiuum breuiter regunt, panem videlicet. Qui quidem accusatiuus ait Iansenius, quattuor istis verbis iunctus, idem est nomine, & appellatione, sed alius re. Cum enim verbo dedit iungitur, secundum rem corpus est Christi, secundum speciem exteriorem panis est. Quare si hæc verba Euangelistæ suo ordine disposuisset, post benedixit, addidisset, Hoc est corpus meum: & postea profecutus fuisset, Fregit: addendumque fuisset, pro clariori sensu, panem. Quod igitur Matthæum mouit, in genealogia Domini, Dauidem præponere Abraham, hoc idem eum, & alios Euangelistas mouisse videtur hoc loco ordinem rei gestæ inuerrere. Amplius quod ordinem rei gestæ non seruauerint in narratione, Marcus ipse testis esse potest, qui pro narrationis, quam sectabatur, grauissima breuitate, postquam de calice narrauit Dominum dixisse, Bibite ex hoc omnes: addit, Et biberunt ex eo omnes. & tunc subdit, Hic est sanguis meus. In quo proculdubio nemo dixerit Marcum ordinem Dominicæ cenæ seruasse. Alioquin sequeretur, Christum calicem jam ebibitum.


bitum consecrassè. Itaque prudenter Ecclesià, quæ Christum imitatur, prius consecrat, 16 quàm frangat. de qua fractione, infra plenius. *Dedit discipulis suis.* Dubitari solet, vtrum Iudas cum alijs acceperit Eucharistiam. Innoc. lib. 4. myster. Missæ, cap. 13. hæret. At S. Thom. quem communis Theologorum schola sequitur 3. par. quæst. 81. art. 3. & ad 4. sent. dist. 11. ex S. Dionysio, de Ecclesiast. hierar. Chrysoft. hom. 46. in Ioan. August. tract. 62. in Euangelium Ioannis, constanter affirmat, Dominum, corpus & sanguinem suum Iudæ tradidisse. Tametsi enim Iudas propter malitiam suam sacramento priuari merebatur, ipsi tamen corpus & sanguinem suum dedit, ne occultum peccatorem sine accusatore, & euidenti probatione, ab aliorum communione separaret. Thomæ sententiam confirmant Cypria. de cena Dom. Chrysoft. hom. 81. in Matth. & ad caput vndecimum, 1. ad Corinth. S. Hieron. l. 2. aduersus Iouinia. cap. 14. Aug. epist. 162. & lib. 1. contra Cresconium, cap. 25. lib. 5. de baptismo, cap. 8. can. Sicut Iudas, de consecrat. dist. 2. & lib. 5. contra Donatistas, cap. 8. Theodoret. in cap. 2. 1. ad Corinth. plene, & luculenter Alexand. de Ales 4. par. quæst. 44. membro 4. & Gabriel Biel super cano. Missæ lectio. 37. Hoc loco cauendum est ab his, qui crediderunt, Iudam sub buccella corpus Christi accepisse. hos damnat S. Aug. tract. 62. in Ioan. Iulius quoque pontif. Rom. 36. epist. ad episcopos Aegypti, damnat eos, qui pro perficienda communione intinctam tradunt Eucharistiam plebi. Burchard. lib. 5. cap. 1. Iuo parte 2. cap. 2. Gratian. de consecratio. distin. 2. cano. Cum omne. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. 17 cap. 19. Ex his consequitur, indignos omnes re vera suscipere corpus Christi, licet inde non efficiantur vnum corpus cum Christo. Quod pluribus probat de Xainctes repet. 5. de veritate Eucharistiæ, cap. 2. Consequitur item, occultos peccatores, a sacerdotibus arcendos non esse a communione. Nam, etsi Christo nota erat Iudæ iniquitas, sicut Deo; non tamen ei cognita erat eo modo, quo hominibus innotescit. Quare Christus Iudam non repulit a communione, quo admoneret, tales peccatores non esse a sacerdotibus pellendos. Innocen. libro 4. myster. Missæ, cap. 13. plene S. Thomas ad 4. senten. distin. 9. & 3. parte quæst. 81. artic. 2. Non prohibeat, inquit August. in Glossa ordinaria ad psalm. 48. versic. Manducauerunt, & adorauerunt, dispensatos manducare pingues terræ, in mensa Domini, sed exactorem moneat timere. de Turre crem. in dicto cap. sicut Iudas. Eodem pertinet Eugenij constitutio in cap. si sacerdos, de officio ordinarij. *Accipite, & manducate.* Cum duplex sit cælestis huius sacrificij manducandi modus, alter spiritalis, alter sacramentalis; & præcipi, atque doceri vtrumque oporteret: cumq. accipere, pertineat ad manducandi modum spiritaliter; manducare vero cum sub sacramento sacramentaliter manducamus: non solum, accipite, sed & manducare, dici sapientissimo Dei consilio debuit. Nam, etsi Lucas, & Marcus, quia Matthæus retulit, prætermiserunt, alter dicens, *Dedit*, alter, *Sumite*: vterque tamen idem quod Matthæus docet, aperte declarauit. Quis enim ab altero audiens, *Dedit*, ab altero, *Sumite*, non clare intelligit, ea ratione dici nobis, & offerri corpus Christi, vt qui accipit spiritaliter, idem cum possit, & debeat, sumat & manducet sacramentaliter? Ac rursus, qui sumit sacramentaliter, eundem sub ipso sacramento sumere, & accipere debere simul etiam spiritaliter? Quod Ecclesià docere cupiens instituit, vt in canone diceretur pariter, sicut Matthæus refert, *Accipite, & manducate.* Carnem Christi non edamus in sacramento tantum, ait August. tracta. 27. in Ioannem, quod & multi mali faciunt: sed vsque ad spiritus participationem, vt in Domini corpore tamquam membra maneamus, & eius spiritu vegetemur. Plura de spiritali manducatione de Xainctes lib. de rebus Eucharistiæ repet. 6. cap. 4. Itaque sacramentalis manducatio annexam debet habere spiritalem; tumq. non solos spirituales effectus parit, sed etiam corporales, vt corporalis est. Inde Greg. Nazian. de Iuliano orat. 1. in Iulianum, Mox incruenti sacrificij oblatione manus commaculat, per quod nos Christo vnimur, necnon passionis eius ac diuinitatis participes reddimur. Prætereo Caluinistarum, ac ceterorum hæreticorū errores de sola, & nuda per fidē spiritali manducatione corporis Christi. hos enim erudite refellunt de Xainctes 6. repet. & Turrian. in lib. de sacramen. Eucharistiæ contra Volanum. *Ex hoc omnes.* Hæc verba ab Euangelistis omiſsa, credimus Apostolos, qui consecrationi interfuerāt, addidisse. Horum expressim meminit S. Ambr. lib. 4. de sacram. c. 5. in hæc verba, Vis scire, quia verbis cælestibus consecratur? accipe quæ sint verba. Dicit Sacerdos: Qui pridie, quàm pateretur, in sanctis manibus suis accepit panem, respexit ad cælum ad te sancte pater omnipotens, æterne Deus, gratias agens, benedixit, fregit, fractumq. Apostolis suis, & discipulis suis tradidit, dicens: *Accipite, & edite ex hoc omnes, &c.* Can. Panis est in altari, de consecr. dist. 2. His

His verbis, ait Florus Magister in exposit. Missæ, commendat vnitatem, ac pacem, vt per hoc mysterium Christo participantes, vnum omnes simus in illo.

DE FORMA CONSECRATIONIS.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

- 1 Eucharistiæ consecranda forma, est & semper fuit ea, qua vtitur nunc Ecclesià Romana, idq. prolixè ex Patrum testimonijs comprobatur.
- 2 Sacerdote verba consecrationis pronunciante populus respondebat, Amen.
- 3 Eucharistiæ consecranda forma ratione probatur.
- 4 Eucharistiæ forma quanta tum attentione, tum veneratione proferenda.
- 5 Eucharistiæ formæ verba aliqua præcedunt, & sequuntur, & quàm sint ea ad consecrationem necessaria.
- 6 Hæreticorum amentia circa Eucharistiàm notatur.
- 7 Consecrta Eucharistià non remanet substantia panis; & quid demum de accidentibus.
- 8 Eucharistiæ veritas concilijs comprobatur.
- 9 Berengarij hæresis de Eucharistià quando cæpit, & a quibus damnata.
- 10 Berengarij vita & mors.
- 11 Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebre.
- 12 Eucharistiæ veritas miraculis comprobatur præclaris, & lectu dignissimis.
- 13 Hæreticorum obiectionibus contra Eucharistiàm respondetur.
- 14 Tertulliano familiare est, vt representare, sit rem presentem reddere.
- 15 Tertullianus quo sensu dicat panem corporis figuram.
- 16 Cypriani locus de spiritali quadam manducatione, explicatur.
- 17 Carolus Magnus liberatur ab hæreticorum calumnijs.
- 18 Antitypon apud Clementem quid significet.



HOC est enim corpus meum. His verbis Christi, consecrationem fieri, & formam huius sacramenti, qua perpetuo Ecclesià vsa est, contineri, probatur primum, quod in veterum patrum Liturgijs Iacobi, Marci, Basilij, & Chrysoftomi hæc verba ponantur tamquam forma, quare simul ac prolata sunt a sacerdote, respondebat populus, Amen. Bessarion Cardinal. de Eucharistiæ sacramento. Superest igitur, inquit, vt verba illa sint, quæ consecrent: *Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus.* Et postea: Præterea hoc idem ostendunt populi ad ea verba responsiones. Sacerdote enim verba illa alta voce, vt vos Græci soletis, pronunciant, assistens populus in vtraque parte respondet, Amen. Quasi dicat, vere ita est, vt tu dicis. Huius rei vestigia extant apud Tertullianum lib. de spectaculis, cap. 26. Illas manus, quas ad Dominum extuleris, laudando histrionem fatigare? ex ore, quo Amen in sanctum protuleris, id est in Eucharistiàm, gladiatori testimonium reddere? Eodem pertinet, quod sanctus Paulus scribit 1. ad Corinth. 14. Quo modo dicet Amen, super tuam benedictionem *ἐν τῇ σὴ εὐχαριστία* super tuam Eucharistiàm vbi etiam Apostolus verbo *εὐχαριστῶν* vtitur *ὁ μὲν ἰδὲ καλῶς εὐχαριστῶν*, &c. S. Ambr. lib. 4. de sacramen. cap. 6. Non otiose tu dicis Amen, iam spiritu confitens quod accipias corpus Christi: & tamen dicis Amen, hoc est verum. S. Hieron. ad Theophilum Alexandrinum: Qua conscientia ad Eucharistiàm Christi accedam, & respondebo Amen, cum de charitate dubitem porrigentis. Item Iustinus Martyr Apolog. 2. docet corpus Christi in Eucharistià per verbum Dei fieri, sicut Christus factus est homo per verbum Dei. Non est autem verbum Dei in Eucharistià, præter, *Hoc est corpus meum.* Hoc ipsum Irenæus indicat initio libri 5. Quando ergo & mixtus calix, & fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistià sanguinis & corporis Christi. Tertullia. lib. 4. contra Marcionem acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, *Hoc est corpus meum*, dicendo. S. Cyprian. de Cena Domini: Sed ex quo a Domino dictum est, *Hoc facite in meam commemorationem*, Hæc est caro mea, & Hic est sanguis meus: quotiescumque his verbis, & hac fide actum est, panis iste supersubstantialis, & calix: solemnī benedictione sacratus. Et postea: Panis iste, quem

quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro. Greg. Nissenus sermone Cathachestico, de diuin. sacram. cap. 37. Cuius meminerunt Euthimius in panoplia, & Bessarion de Eucharistiæ sacramento: Quamobrem, inquit, recte nunc etiam Dei verbo sanctificatum panem, in Dei verbi corpus credimus immutari. Et postea: Vt enim illic verbi Dei gratia sanctū efficit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodammodo panis erat: sic etiam hic panis, vt ait Apostolus, per verbum Dei, & orationem sanctificatur, non quia comeditur eo progrediens, vt verbi corpus euadat, sed statim per verbum in corpus mutatur, vt dictū est a verbo: *Hoc est corpus meum*. S. Ambr. lib. 4. de sacram. capit. 4. Quo modo potest qui panis est, corpus esse Christi? Consecratione. Consecratio igitur quibus, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nā per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur. Et paulo post: Vbi venit, vt conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos, sed vtitur sermonibus Christi. Ergo, ait ille, sermo Christi hoc conficit sacramentum. S. Chrysost. de Iuda prodit. Sacerdotis ore, verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur, & gratia. *Hoc est*, ait, *corpus meum*. hoc verbo proposita consecrantur. Et hom. 2. in 2. epist. ad Timot. circa finem. Sacra illa oblatio, siue illam Petrus, siue illam Paulus, siue cuiusvis meriti sacerdos offerat eadem est, quam dedit Christus ipse discipulis quamq. sacerdotes, modo quoque conficiunt. Nihil habet ista, quàm illa minus. Cur id? quia non hanc sanctificant homines, sed Christus, qui illam ante sacrauerat. Quemadmodum enim verba illa quæ loquutus est Christus, eadem sunt quæ sacerdotes nunc quoque pronunciant. Euseb. Emisēn. Dominica in ramis palmarum: Qui dixit tunc per se, modo dicit per suos ministros: *Hoc est corpus meum*. & tanta est eius verbi virtus, & efficacia, vt statim fiat, quod dicitur. S. Aug. serm. 28. de verbis Domini: Memini sermonis mei, cum de sacramentis tractarē. Dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Idem Aug. tract. 80. in Ioan. Accedit verbum ad elementum & fit sacramentum. Sunt & alia innumera sanctorum Patrum testimonia. Ratione etiam probatur hanc esse formam consecrationis: forma siquidem illa est, qua illud significatur; quod in hoc sacramento efficitur. Cum autem hæc verba, id quod fit, significant & declarent, hoc est panis conuersionem in verum Domini nostri corpus: sequitur formam in illis ipsis verbis constituendam esse. Hæc S. Thom. 3. parte quæst. 78. art. 2. Plane hæc sacra verba: *Hoc est enim corpus meum*, quæ ad formam pertinent consecrationis nullatenus immutanda sunt, nec confuse, vel nimium festinanter pronuntianda; sed distincte & distribute cum summa attentione, & veneratione. Sacerdos enim illa ore Christi, vt ita dixerim, eloquitur, & illa pronuncians Christi fungitur officio. Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 15. Tho. 3. p. q. 78. artic. 1. 2. 3. & 4. & ad 4. sent. dist. 8. q. 2. Bessarion de sacram. Eucharistiæ, & quibus verbis corpus Christi conficiatur. Ioan. Alanus lib. 1. de Eucharistiæ sacram. Manifestum igitur est, quod verbis illis Domini præpotentibus, *Hoc est corpus meum*, vna cū alijs diuinis verbis, quæ supra calicem proferuntur, plenam, & perfectam consecrationem fieri, modo verba illa non simpliciter, nec historice referantur, sed cū intentione sacerdotis tāquam potentis regis edictum, & mandatū ex persona ipsius regis, a præcone eius sacerdote proferantur: vel vt breuius loquar, modo adfit consecrantis sacerdotis institutū, ac propositum. Primum, vt iam probaui, sermo Christi hoc conficit sacramentum. Deinde ijs verbis fit consecratio, quibus a Christo primum facta est: Christus vero quando consecrauit, non recitauit verba, quæ antecedunt, vel quæ sequuntur; sunt enim verba Euangelistarum, non Christi. Ille suis tantū verbis vsus est. Præterea ideo contendunt nonnulli sola verba Christi non sufficere, quia non videntur dici ex persona Christi. Ceterum etsi præcedentia pronunciantur, non continuo sequitur, ea dici ex persona Christi, & referri ad materiam subiectam, hoc enim facit propositum, seu intentio ministri. Ergo verba illa sufficient, modo adfit ministri intentio, ea pronuntiare ex persona Christi: Alexand. de Ales 4. parte quæst. 33. memb. 1. & Thomas 3. par. quæst. 78. artic. 1. eamq. sententiam synod. Florentina, in qua Græci aderant, aperte probauit his verbis: Decernimus, vt Armeni se cum vniuerso orbe christiano conforment, eorumq. sacerdotes paululum aquæ admisceant vino, vtentes forma huius sacramenti, quæ sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Quæ vero afferuntur ex Marco Ephesino, & Cabasilla refellunt

refellunt Gentianus Heruetus in admonitione ad librum Cabasillæ, de diuino altaris sacrificio, & Bessarion de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis corpus Christi conficiatur, & D. Xainctes repetit. 7. de transubstantialitate cap. 6. Porro etsi alia canonis verba, præter ista, Hoc est corpus meum, & præter illa, quæ proferuntur in consecratione Calicis, non sint de necessitate Sacramenti: sunt tamen de necessitate ministri, vt legitime consecrationem perficiat. Sacerdos enim celebrans ritum Ecclesiæ seruire debet, & ordinationi Sanctorum Patrum parere: alioqui grauiter puniendus esset. Alex. de Ales 4. par. q. 37. membro 9. Thom. in d. artic. 1. quæst. 78. Gabriel Biel super cano. Missæ lectio. 38. Sane etsi hæc verba consecrationis apertissima sint, hæretici tamen cæci atque amentes furore, adeo ea torqueant, vt in eorum libris, octoginta horum verborum interpretationes ferantur, quas exarauit indicatis auctorum locis, D. Xainctes lib. 1. de rebus Eucharistiæ ad finem. At in Ecclesia catholica patres omnes, tum Græci, tum Latini vno ore consentiunt his verbis Christum docuisse, verum eius corpus non *ἵ ἐστιν, ἢ ὅτι δυνάμει, ἢ συμβολικῶς*, 7 non *ὑπερβολικῶς*: sed illud ipsum, quod natum ex Virgine, sedet ad dexteram Patris, hoc Sacramentum contineri, ac panis (de vino postea agemus) substantiam in ipsum Domini corpus ita mutari, vt panis substantia omnino esse desinat. Accidentia vero, quæ oculis cernuntur, aut sensibus percipiuntur nulli substantiæ inhærere, sed per se ipsa constare. Hæc patrum omnium, qui ab initio Ecclesiæ, atque omni deinceps ætate floruerunt concors sententia: quorum singula testimonia hoc loco prætereo. Ea enim grauissimi, & eruditissimi huius sæculi auctores diligenter & obseruarunt, & collegerunt, maxime Groperus de præstantissimo Altaris Sacramento: Rossensis aduersus Oecolampadium: Ioannes Echius de Sacramentis: D. Pausa, de Eucharistiæ eiusq. adoratione: Canisius in Catechismo: D. Xainctes, de rebus Eucharistiæ: Guillel. Alanus de Sacramento Eucharistiæ: Garetius de veritate corporis Christi in Eucharistiæ Sacramento: Franciscus Turrianus de Sanctissima Eucharistiæ contra Volanum, & alij innumeri. Huius dogmatis veritatem complura Sanctorum Patrum concilia confirmarunt. In Concilio Nicæno constitutio extat in hæc verba: Iterum etiam hic in diuina mensa, ne humiliter intenti simus ad propositum panem & poculum, sed attollentes mentem, fide intelligamus situm in sacra illa mensa agnum illum Dei, tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum: & pretiosum ipsius corpus, & sanguinem nos vere sumentes credere hæc esse nostræ resurrectionis symbola. Propter hoc enim neque multum accipimus, sed parum, vt sciamus quod non fatietari, sed sanctimoniam sumimus. Ea vero constitutio extat apud Alphonsum Pisanum lib. 3. de Nicæni Concilij decretis, vbi Diatiposēs quædam illius Concilij exarata leguntur, & apud Cuthbertum Tonstallum lib. 1. de veritate corporis & sanguinis Domini. hoc ipsum in Concilio Ephesino, cui vice Cælestini Papæ Beatus Cyrillus Alexandriæ Episcopus præfedit, vberius explicatur. In Epistola siquidem Concilij ad Nestorium Sancti Patres hæc verba adiungunt: Annunciantes, inquit, sicut secundum carnem mortem vnigeniti Filij Dei, idest, Iesu Christi, & resurrectionem eius; & in cælis ascensionem pariter confitentem, incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij seruitutem: sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus, & sanctificamur participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum redemptoris effecti: non vt communem carnem percipientes, quod absit, nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitationem, sed vere viuificatricem, & ipsius verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus, existens, quia propriæ carni vnitus est; viuificatricem eam esse professus est. Et ideo quamuis dicat ad nos, Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non tamen eas vt hominis vnus ex nobis existimare debemus, (Quomodo enim iuxta naturam suam viuificatrix esse potuit caro hominis?) sed vt vere propriam eius factam, qui propter nos filius hominis est factus & vocatus. Item in vndecimo anathematismo, quod post dictam Epistolam subiicitur, Si quis non confitetur carnem Domini viuificatricem esse, & propriam ipsius verbi Dei Patris, sed velut alterius præter ipsum coniuncti eidem per dignitatem, aut quasi diuinam habentis habitationem, ac non potius viuificatricem esse, quia facta est propria verbi cuncta viuificare valentis, anathema sit. Prætereo Concil. Hipponen. can. 25. necnon Carthaginense 4. can. 38. Illerdense cap. 1. Turonicum 2. cap. 3. Tolet. 3. cap. 1. Hispalense 2. can. 7. Toletanum 4. can. 5. 6. quibus & Eucharistiæ corporis Christi, & perceptionis Domini corporis aut sanguinis apertissima mentio

mentio fit. Adhæc in Synodo 6. in Trullo can. 101. Sacrosancti corporis, & sanguinis Domini veritas his verbis ostenditur: Corpus Christi, & tēplum, hominem ad Dei imaginē creatum diuinus magna voce appellat Apostolus. Omnem ergo sensibilem creaturam superās is, qui saluari passione cælestem dignitatem est affectus Christum bibens, vel comedens æternæ vitæ adaptatur, animam & corpus diuinæ gratiæ participatione sanctificans. Quare si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio manus in formam crucis figurans, sic accedat & gratiæ communionem accipiat &c. Planius, & apertius in Synodo 2. Nicæna act. 6. his verbis: Et cum accepisset panem, & gratias egisset, fregit, & dedit discipulis suis, & dixit: Accipite, edite, hoc est corpus meum. Et paulo post, Non autem dixit: Sumite, edite imaginem corporis mei. Iterum paulo post: Legas quousque voles, nūquam inuenies neque Dominum, neque Apostolos, neque Patres incruentum illud sacrificium, quod a Sacerdote offertur, imaginem dixisse, verum ipsum corpus & sanguinem. Et postea: Imaginem asserere corpus & cruorem Domini, dementia est. Rursus cum veritatem corporis Christi in Sancto Eucharistiæ Sacramento Berengarius negare ausus esset, ibiq. signum tantummodo esse assereret, in Vercelleni Concil. ac postea Turonen. & duobus Romanis, quorum alterum
 9
 10
 Nicolaus II. alterum Greg. VII. conuocarunt, damnatus est. Verum, quia Berengarij historia varie enarrari solet, quæ de eo certiora sunt paucis proferam, & patefaciam. Guitmundus Episcopus Auerfanus lib. 1. de veritate Eucharistiæ de eo scriptum reliquit, quod cum esset arrium ignarus, & a Lanfranco in dialectica de re satis parua turpiter confusus dolens se desertum a discipulis ad eructanda impudenter diuinarum scripturarum Sacramenta sese conuertit. Sed & ibi insipiens, quippe in animam maleuolam non introibit sapientia, maluit esse sub aliqua admiratione hominum hæreticus, quam sub oculis Dei priuatim viuere Catholicus. Is vero anno Domini 1051. regnante Henrico Galliarum Rege, vulgare hæresim suam cœpit, auctore Theodino Leodiensium Episcopo epistola ad Henricum Regem Francorum, qui eadem, quæ Guitmundus de Berengario prodidit. Porro Leo IX. Papa, conuocata Vercellis Synodo, vt ex Lanfranco, & Guitmundo colligere licet, Berengarij errorem, & Ioannis Scoti librum damnauit. Deinde Victor II. Leonis successor, Synodum apud Turones collegit, vbi Berengarius coram Legatis Pontificis communem Ecclesiæ fidem de Eucharistia professus est, vt Lanfrancus scribit. Tandem Berengario ad vomitum reuerso, Nicolaus II. Synodum centum tredecim Episcoporum Romæ collegit, vbi Berengarius confessionem fidei de corpore & sanguine Domini edidit, quæ exarata legitur in canone, Ego Berengarius, de consecrat. dist. 2. D. Algerus lib. 1. de Sacramento Altaris cap. 19. libroq. peruersi dogmatis, testante Lanfranco lib. de Eucharistiæ Sacramento, in medio Concilij in ignem coniecit: Rursus Berengarius in alium errorem prolapsus, docebat, in Eucharistia, adesse quidem verum corpus Christi, verumq. sanguinem, at panis & vini substantiam remanere. Quare iterum Romæ Synodo a Gregorio VII. congregata suum errorem agnoscens noua abiuratione, præscripta a Synodo verbis, eam publice detestatus est. Huius vero postremæ abiurationis meminerunt Blondus decad. secundæ lib. 3. & Sabellicus lib. 3. & 9. Ennead. Huius vero Synodi acta extant tom. 1. Bibliothecæ sacræ. Ab hac postrema abiuratione, deinceps catholicam fidem constanter & perpetuo coluit. Moriens vero ipso Epiphaniæ die, his verbis vsus est: Hodie apparebit mihi Dominus meus Iesus Christus, vel ad gloriam, sicut spero, propter poenitentiam, vel ad damnationem, sicut formido, propter aliorum corruptionem, qui ad salutem non redierunt. Hæc Ioannes Gerson ferm. 1. de cena Domini. Surius ad Synod. Rom. tom. 3. Concil. Groperus de præstantissimo altaris Sacramento artic. 1. circa finem. De eo Guillelmus Monachus Bibliothecarius Malenesberiensis lib. 3. de gestis Anglorū, memorię mandauit: quod cum complures Fulbertum Episcopum Carnotensem animam agentem inuiserent, Fulbertus conspiciens Berengarium, eum eijci iussit, testatus prope ipsum immanem dæmonem consistere. Amplius hanc sententiam probat Concil. Lateranense generale sub Innocentio III. cap. 3. Vna est, ait Synodus, fidelium vniuersalis Ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur, in qua idem ipse Sacerdos, & sacrificium Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in Sacramento Altaris sub speciebus panis, & vini veraciter continetur, transubstantiatis pane in corpus, & vino in sanguinem potestate diuina, vt ad percipiendum mysterium vnitatis accipiamus ipsi de suo, quod ipse accepit de nostro. Huic Concilio interfuerunt Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus Patriarcha, Metropolitani

litani 70. Episcopi 400. Abbates 12. Priores conuentuales 300. Græci & Romani Imperij Legati, Regum vero Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ, & Cypri oratores. Concilium item Constantiense sess. 13. Firmissime credendum, & nullatenus dubitandum, integrum Christi corpus & sanguinem tam sub specie panis, quam sub specie vini veraciter contineri. Deinde Concilium Florentinum, cui tam ipse Constantinopolitanus Imperator, quàm Patriarcha, & præcipui Græciæ, & Asiæ Episcopi interfuerunt. Huius vero concilij decretum super vnione Iacobitarum, & Armenorum ita præscriptum est: Forma huius Sacramenti sunt verba Saluatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum. Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum. Nam ipsorum verborum virtute, substantia panis in corpus Christi, & substantia vini in sanguinem conuertuntur. Ita tamen, quòd totus Christus continetur sub specie panis, & totus sub specie vini, sub qualibet quoque parte hostiæ consecratae, & vini consecrati separatione facta totus est Christus. Postremo Concilium Tridentinum sess. 13. can. 1. Si quis negauerit in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter, & substantialiter corpus & sanguinem vna cum anima & diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum, sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit. Et can. 2. Si quis dixerit in sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis & vini, vna cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritq. mirabilem illam conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis & vini, quam quidem conuersionem Ecclesia Catholica aptissime transubstantiationem vocat, anathema sit. His addo Hieremiam Patriarcham Constantinopolitanum: is epistola ad Germanos Lutheranos, quæ extat in libro, qui censura Orientalis inscribitur, Lutheranorum & Caluinistarum errorem arguit, his verbis: Non igitur amplius aut figura est ille panis Dominici corporis, qui a Sacerdote consecratur sancteq. tractatur: sed illud ipsum verum corpus Christi sub speciebus &c. Ad hæc Ecclesiæ Catholice fides de veritate corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento, & panis transubstantiatione, miraculis innumeris illustratur. In primis 1. Corin. 11. S. Paulus affirmat, inter Christianos tum fuisse multos imbecilles & infirmos, multosq. dormire, quòd ederant & biberant indigne, corpus & sanguinem Christi, non dijudicantes corpus Domini. Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini, hunc locum enarrās, addit: Dormiunt ergo inde multi, non somno pacis, sed somno mortis, quia ministerio eorum, qui ad hoc positi sunt, angelorum perimuntur. Imbecilles vero siebant, quia varijs languoribus ideo cruciabantur quidam, vt corrigenterentur: quidam vero, vt, cum inciperent torqueri, metu eorum ceteri sanarentur. Alioquin plagæ & infirmitates numquam in populo Christi tantum crebrescerent. Præsertim cum de his, qui ex Ægypto in figura Sanctæ Dei Ecclesiæ egrediebantur, lectum sit nullum fuisse infirmum. Crediderim ego permultos Sacerdotes ab hæreticis & schismaticis propterea trucidatos fuisse, quia corpus Domini indigne tractauerant. Dionys. Alex. epist. ad Fabianum, Episcopum Antiochenum, quæ extat apud Euseb. lib. 6. histor. eccles. cap. 36. testatur Serapionem lapsum, sed poenitentem, non potuisse mori sine Eucharistia, quam cum percepisset, illico extremum spiritum edidisse. Historia illa præclara est, & eucharistiæ asseruationem, infirmorum ergo confirmat. Eius nos meminimus in capite de pixide seu arcula, in qua corpus Christi asseruatur. Apud Cyprian. ferm. 5. de lapsis: Sacratu sanguis de ore infantis & visceribus gentilium sacrificio pollutus mirabiliter erupit, nec in corpore vel ore violato permanere potuit. Tanta est potestas Domini, ait Cyprian. tanta maiestas. secreta tenebrarum sub eius luce detecta sunt, Sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt. Eodem sermone, maiorem natu puellam, quæ presbytero sacrificante latenter obreperat, & sacrosanctum cibum sumpserat, ad furorem & mortem adactam commemorat. Impunitum diu. non fuit, nec occultum dissimulata conscientiæ crimen, ait Cyprianus: quæ fefellerat hominem, Deum sensit ultorem. Rursus eodem sermone, mulierem, quæ arcam, in qua sanctum Domini erat, manibus indignis aperire tentauerat, igne inde surgente deterritam fuisse, ne auderet attingere, testatur. Nec non eodem sermone, alteri indigne accedenti sacram hostiam conuersam in cinerem. Optatus Mileuit. lib. 2. contra Donatistas scriptum reliquit, quòd, cum quidam ex Donatistis Eucharistiam canibus obiecissent, iidem canes rabie accensi, dominos suos quasi latrones sancti corporis reos dente vindice, tamquam ignotos atque inimicos laniant. Diuinum mysterium Basilio agente, Iudæus quidam, tamquam Christianus, populo se commiscuit

scuit, officij & muneris mysterium explorare volens, vidit per manus Basilij infantem pariri. Tandem omnibus sacram communionem accipientibus, venit & ipse Iudæus, dataque est ei hostia vera caro facta. Cuius seruans reliquias, domum reuersus ostendit vxori suæ, & narrauit, quæ suis oculis viderat. Credens ergo vera & admirabilia esse Christianorum mysteria, in crastinum venit ad Basilium, a quo, cum omni domo sua baptizatus fuit. Hæc Amphilocheus in vita S. Basilij, & Syrus Prodromius in epigramatibus, Guitmundus lib. 3. de veritate Eucharistiæ, Albertus Magnus sermone 11. de Eucharistiæ Sacramento. Gorgoniam sanctissimam feminam lacrymarum pharmaco corpus inungentem, & si quid vspiam pretiosi corporis aut sanguinis manus ipsius recondiderat, lacrymis admiscentem, incolumitatem & salutem miro modo consecutam scribit Gregor. Nazianzenus, oratione fidebri in laudem Gorgoniæ. Eucharistia Satyri collo appensa, illum in naufragio incolumem seruauit, testante S. Ambrosio orat. de obitu Satyri fratris. S. Chrysostomi lib. 6. de sacerdotio commemorat, se quemdam audisse, cui senex quidam homo admirabilis, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus detecta fuerant, se tali olim visione dignum habitum a Deo esse ac tempore sacrificij Missæ, de repente Angelorum multitudinem conspexisse, quatenus aspectus humanus ferre poterat, fulgentibus vestibus indutorum, Altare ipsum circumdantium, de nique sic capite inclinatum, vt si quis milites præsentem rege stantes videat. Idem Chrysostomus eodem lib. 6. de sacerdotio meminit alterius, qui sibi narrauerat, se vidisse, & audisse, quod qui de hac vita emigraturi sunt, si Eucharistiæ cum pura & munda conscientia fuerint participes, spiritum efflati, ab Angelis illorum animas satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cælum abducuntur. Ecce vberimus Eucharistiæ fructus. Mulier Macedonica pro Eucharistia, quam occuluerat, panem communem domo allatum ori admouens, dum eum dentibus atterere conatur, sensit in lapidis naturam induratum esse. Quare timore percita, ne quid grauius per Dei vindictam pateretur, propter miraculum quod acciderat statim ad S. Gregor. accurrit, lapidem ostendit, qui manifesta vestigia morsus referebat. Lapis vero ille ad fidem miraculi longo tempore, inter Ecclesiæ Constantinopolitanæ donaria, asseruatus est. Hæc Sozomenus lib. 8. historiæ ecclesiast. capit. 5. & Nicephor. lib. 13. capit. 7. Sacrificio Missæ, a presbytero in domo priuata Hisperij oblato, dæmones fugatos Augustini tempore, testatur ipse Augustinus de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. Non multo post Prosper Aquitan. lib. de promissione & prædictione Dei dimidij temporis cap. 6. suo tempore puellam quandam, percepto sanguine sacro, spiritu immundo liberatam memoria mandati. Hinc ait lætitia, hinc voces, hinc gloriam Dei, quod post 80. & duos dies, diabolo expulso, puella de potestate fuerit eruta inimici. Egregia sane historia lectuq. dignissima. Puer Iudæus, qui reliquias Eucharistiæ perceperat, mirifice in igneo, & candenti furno incolumis, atque illæsus ab ignis incendio inuentus est. Quare ad Iustinianum perlato, puerum cum matre, diuino regenerationis lauacro tingendos decernit. Euagrius lib. 4. cap. 35. Nicephor. lib. 17. c. 25. Greg. Turon. lib. 1. de gloria martyr. cap. 9. Apud Gregorium Magnum lib. 3. dialog. cap. 3. Dominicum corpus ori muti immissum, vsu loquelæ restituit. Eodem Gregor. sacram. Eucharistiam porrigente incredulæ feminæ, Eucharistia in carnem cruentam versa est, ac deinde Gregorio orante in pristinam formam conuersa, ab eadem femina religiose percepta est. Ioan. Diacon. in vita Gregorij Papæ lib. 2. cap. 41. Guitmundus lib. 3. de veritate Eucharistiæ. Durant. in ratio. lib. 4. cap. 41. Duo alia insignia miracula extant apud Sophroniū in Prato spiritali cap. 29. & 30. Sacrificio Missæ pro captiuo, oblato, accidit, vt nullus eum vincere posset, quin continuo solueretur. Beda lib. 4. histor. gentis Anglorum cap. 22. Quidam Presbyter, nomine Plegilz, cum non ex infidelitate, sed ex mentis pietate Christum videre sæpius a Deo postulasset, vidit tandem in Altari Christum, quem Simeon infantem portare suis vlnis promeruerat. Tum Sacerdos cælesti munere fretus, quod dictu mirum est, vlnis trementibus puerum accepit. Deinde prostratus, Deum deprecatus, vt dignaretur ipse iterum verti in pristinam speciem. Qua oratione perfecta surgens, inuenit corpus Christi in formam remeasse priorem. Hæc Paschasius lib. de corpore & sanguine Domini cap. 20. & Albertus Magnus serm. 11. de Sacramento Eucharistiæ. Sanctorum Patrum gesta testantur, ait D. Algerus lib. 1. de Sacramento corporis & sanguinis Domini cap. 13, Sacramentum corporis & sanguinis Christi, oblata panis & vini specie, carnem & sanguinē naturali sua specie, sicut esse solet, exhibuisse. Sacramentarij pertinacis vindicta diuina percussa, ac deinde mirabiliter ad fidem conuersi, meminit S. Bernardus in vita S. Malachię. S. Ber-

S. Bernard, per Eucharistiæ virtutem, mulierem dæmoniacam liberat. Arnoldus Boneualensis abbas in vita S. Bernardi. Sacramentarius quidam, iussus a Thoma Arondelio Cantuariensi antistite sacrosanctæ hostiæ cultum, & honorem exhibere: respondit impudenter, Vere, inquit, aranea dignior est reuerentia. At protinus, de alto culmine tecti descendens; ingens, & horrida visu aranea ad os blasphemæ, directo filo, peruenit, & vt intraret per polluta labia, enixe laborabat, nec mora, qui pretiosissimo corpori Christi prætulera araneam, peccatricem carnem suam flammis deuorandam tradidit, vt esset fauilla peior aranea. Hanc historiam refert Thomas Vualdēsis tom. 2. doctrinalis cap. 63. Huius rei oculatus testis S. Antonius de Padua, insigni miraculo, hæreticum, qui sacrosanctam Eucharistiam irridebat, in partibus Tolosanis ad fidem Catholicam conuertit. Antoninus 3. parte histor. tit. 24. cap. 3. §. 2. Notum atque testatum est omnibus miraculum illud, quod Vrbanus III. Pontificis tempestate accidit: quo motus Vrbanus sacratissimi corporis solemnitatem, 5. feria post octauam Pentecostes, cum solemnī supplicatione instituit. Cum enim sacerdos in castro Vulsini, sacra Missarum solemnia celebraret, de panis, & vini transubstantiatione hæsitare cœpit: vnde mox ex hostia, quam fregerat, sanguis viuus emanare cœpit, & adeo corporale cruore tinxit, vt nulla ratione deleri potuerit. Cuius rei Vrbanus certior factus, corporale deferri iussit, & solemnitate instituta, in ecclesia Vrbeuetana recondidit, vt ex eius bulla apparet. Huius miraculi meminerunt Finus Adrianus lib. 8. aduersus Iudæos cap. 33. Onuphrius in Vrbanō III. Energumenos complures mirabiliter liberatos Eucharistiæ beneficio, apud Sueffiones testantur Fayus in libro qui Energumenicus, & Geruasius Tornaten. in lib. cui nomen est, Diuina quattuor energumenorum liberatio. Verum huius 13 sæculi hæretici corporis Christi in Eucharistiæ sacramento veritatem, panisq. transubstantiationem denegantes, sanctorum Patrum nonnulla testimonia obijcere solent, quibus paucis est occurrendum. Primum nobis obijciunt Tertull. lib. aduersus Marcionem cap. 14. ibi: Nec panem, quo ipsum corpus suum repræsentat, quasi panis non sit vere corpus; sed dumtaxat repræsentet. Verum eo loco repræsentare, significat rem præsentem exhibere, & 14 reddere, vt passim apud eundem Tertull. de resurrectione carnis cap. 14. & cap. 63. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 9. & cap. 23. & de patientia cap. 3. Filius, patris repræsentator dicitur apud eundem Tertull. aduersus Praxeam. Eodemq. modo interpretandum verbum, repræsentare, apud Hieron. in cap. 26. Matthæi, ibi: Vt quomodo in præfiguratione eius, Melchisedech summi Dei Sacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipse quoque veritatem sui corporis, & sanguinis repræsentaret. Deinde opponunt hæretici eundem Tertull. lib. 3. aduersus eundem Marcionem: Venite mittamus lignum in panem eius, vtique in corpus. Sic enim Deus in Euangelio quoque vestro reuelauit, panem corpus suum appellans, vt & c. Hinc iam, eum intelligas corporis sui figuram panem dedisse. At eo loco Tertull. non dicit 15 figuram corporis Christi, ipsam Eucharistiam: verum ait, panem, figuram corporis ab Hieremia prædictam. Exhibito enim corpore suo impleuerat prophetiam, & figuram Hieremiæ: Venite mittamus lignum in panem. Itaque Tertull. non dixit, in Eucharistia panem, esse corporis figuram: sed prius fuisse corporis sui figuram, ac impleuisse figuram corporis sui, quia merito panis vocatus fuerat. Quod plenius persequitur de Sainctes repetit. 3. de veritate Eucharistiæ cap. 4. Similiq. modo interpretandus est Tertull. lib. 4. aduersus Marcionem cap. 40. ibi, Acceptum panem & distributum discipulis suis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum, dicendo, hoc est, figura corporis mei. Quo loco figura non sumitur pro ipsa Eucharistia, sed pro veteri figura, quam explicauit, simul & impleuit, cum corpus panem fecit, exhibens illud discipulis, sub specie panis. Quam interpretationem confirmant verba, quæ sequuntur: figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Expendo verbum, fuisset. Et paulo post: Non intelligens veterem fuisse istam figuram corporis Christi. Iterum paulo post, dum de sanguine loquitur: Vt autem & sanguis veterem figuram in vino. Deinde etsi Tertull. appellaret Eucharistiam figuram, non sequitur, quin verum Christi corpus contineat. Nam idem Tertull. lib. 5. aduersus Marcionem, respondens Marcionistis, qui, vt probarent Christum non habuisse veram carnem, laudabant Pauli testimonium ad Philipp. 2. quod in effigie Dei constitutus, non rapinam existimabat pariari Deo, sed exinaniuit semetipsum, accepta effigie serui, & vt similitudine hominis, & figura inuentus homo; Quasi, ait Tertull. non & figura, & similitudo, & effigies substantiæ quoque accedant. Bene autem, quod & alibi Christum imaginem Dei inuisibilis appellat, & quæ sequuntur. Vbi Pamelius hoc ipsum confirmat. S. Ambros. epist. 47. Apollinaristarum argumen-

argumentum ex figura ad obscurandam humanitatis veritatem refellens, ait: Ne sibi blandiatur virus Apollinare, quia ibi legitur: Et specie inuentus ut homo. Non enim negatus est homo Iesus, cum alibi ipse Paulus de eo dicat, Mediator. Et paulo post: Id enim usus & moris est scripturæ, ita significare &c. Alia etiam ratione Eucharistia, & veritas est, & figura, ut pluribus docet Paschasius lib. de corpore, & sanguine Domini in sacramento Eucharistia. Rursus obijciunt, S. Cyprianum de cena Domini: Dixerat, inquit Cyprianus, sane huius traditionis magister, quod nisi manducaremus, & biberemus eius sanguinem, non haberemus vitam in nobis, spiritali nos instruens documento, & aperiens ad rem adeo abditam intellectum, ut sciremus quod mansio nostra in ipso sit, paulo antea dixisse, panem istum, quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatum, omnipotentia verbi factum esse carnem. Postea ut doceat, non satis esse, vera carne Christi vesci, nisi in Christo maneamus, ait, Mansionem nostram in ipso manducationem esse, non quod manducet homo, etsi in Christo maneat. Amplius in medium afferunt varia Augustini testimonia, epist. 23. ad Bonifacium, nec non contra Adimantium Manichæum cap. 12. & in præfat. ad Psal. 3. Quibus erudite respondet Hieron. Torrensis in confessione Augustini lib. 3. cap. 6. artic. 5. Præterea laudant Carolum Magnum, quasi huius erroris fauorem, eiq. imponunt, Bertramum eius mandato libellum in eam sententiam edidisse. Verum, ut hunc errorem eripiamus, obseruandum est, Carolum Magnum iussisse, vel ipso Bertramo teste, librum illum edere, ut sibi perspicuum esset, quid Bertramus sentiret de corporis & sanguinis mysterio: quod ipsius Bertrami verba in præfatione aperte indicant: Iubes, gloriose Princeps, ut, quid de corporis & sanguinis Christi mysterio sentiam, vestrae magnificentiae significem. Addo, quod illius libri dedicatio male ad Carolum Magnum referatur. Bertramum enim librum illum dicasse non Carolo Magno, sed Carolo Caluo Regi, Lotharij Imperatoris fratri, auctor est Tritemius. Et probabile est Bertramum libellum numquam scripsisse, cum illius ætatis auctores, eius non meminerint, nec aliquis extet, qui aduersus Bertramum scripserit. Nam quod de Paschasio quidam comminiscuntur, Paschasius Bertrami nullam mentionem facit. Denique obijciunt, quod apud Clementem lib. 7. capit. 26. Et Gregorium Nazianz. oratio. 1. Apologet. & passim in libris, & Liturgijs Basilij, & aliorum Græcorum sacrosancta Eucharistia dicitur antitypon corporis, & sanguinis Christi. Damascenus lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 14. scribit, Basilium, alioq. veteres patres panem, ac vinum antitypon appellasse ante consecrationem, non vero post consecrationem. Verum hanc Damasceni interpretationem refellunt Bessario Cardinalis, & Turrianus ad cap. 14. lib. 5. constit. Apostolicarum. Quare, auctore Turriano ad Clementem, vox antitypon, siue vsum eius apud veteres Patres, siue rationem spectemus, non typum siue figuram significat: quin potius rem, & veritatem ipsam, licet velatam, & tectam, & non in propria specie. Sic ait Turrianus. Cyrill. Hierosolymitanus 2. Catechesi mystagogica baptismum vocat antitypon passionum Christi, quia passio, & mors Christi non typice, ut erat in victimis, sed vere est in baptismo: & qui baptizatur, licet non vere, sed similitudine commoriatur Christo, Christo tamen vere mortuo, & resuscitato commoritur, & conresuscitatur. Sic igitur Eucharistia dicitur non typus corporis & sanguinis, sed antitypon corporis & sanguinis Christi, quia ibi est vere corpus & sanguis Christi, & si tecte & velate. His addo etiam Cretensem ad Gregor. Nazianz. Apologeticum. Per antitypum, inquit, Isotypum intelliges. Si quidem de magnis illis mysterijs, hoc est de sanctissimo Christi corpore, ac pretioso sanguine istud accipias. Sic enim magnus quoque Basilus hoc appellauit. Præpositio enim hæc ἀντί nonnumquam etiam æqualitatem significat. Idem Elias ad orationem eiusdem Nazianzeni in laudem fororis Gorgoniæ. Ceterum sciendum est, inquit, quod per Antitypa hoc loco Isotypa intelligat. Id quod frequens tum apud externos, tum apud diuinos nostros magistros. Vbi erudite Basilus. Plura de Antitypo De Sainctes de rebus Eucharistia repetit. 3. & Turrianus ad Clementem. Non desunt qui in eandem sententiam laudant S. Petrum 1. Pet. 3. quasi Petrus Baptismum appellet antitypon, his verbis, ἡμεῖς ἀντίτυπον τοῦ σώζει βάνισμα: Cuius figuræ nunc respondens baptismus: at ibi antitypon figuram significat.

DE ELEVATIONE, ET OSTENSIONE
Eucharistia.

CAPVT QUADRAGESIMUM.

- 1 Psalmi 71. locus, iuxta Hebraicam editionem explicatur.
- 2 Eucharistia eleuatio quam fuerit semper in Ecclesia usitata.
- 3 Eucharistia eleuanda causa, & ratio inquiritur.
- 4 Eucharistiam esse adorandam.
- 5 Eucharistia adoranda etiam a non communicantibus.
- 6 Eucharistia adoratur ab Angelis.
- 7 Eucharistia eleuatio quibus olim fiebat ritibus.
- 8 Eucharistiam inspiciendo peccator non peccat: & cur non sit par causa inspicientis, & sumensis.

Elaturam eleuationem Eucharistia, qualem modo fieri videmus, Dauid prædixerat Psal. 71. Et erit firmamentum (epithetum est frumenti) in terra in summis montium. Hebraica editio habet כר פסת קר. Erit pugillus, vel particula frumenti in terra in capite montium: vel, ut alij verterunt, memorabile triticum, respicientes magis sensum quam vocis significationem. Hoc est, ait Rabi Ionathas, (qui vixit ante Christum) in libro collectionum, placenta panis fiet sacrificium in capitibus Sacerdotum, qui sunt in Ecclesia. Plura in hanc sententiam Richardus Coenomanus in collatio. ad d. Psal. 72. Galatin. lib. 10. cap. 4. De Sainctes in lib. de rebus Eucharistia repetit. 9. cap. 7. & Genebrard. in hunc locum. Plane ab ipsis Ecclesie incunabulis, post consecrationem, Eucharistiam in altum tollere, & populo ostendere consuetum, probat aperte S. Dionysius lib. de Ecclesiast. hierarch. cap. 3. Pontifex, inquit, cum diuina munera laude prosequutus fuerit, sacratissima, & augustissima mysteria conficit, & quæ ante laudauerat, venerandis operata signis, atque abdita, in conspectum agit, diuinaq. munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum communionem, & ipse conuertitur, &c. S. Basilus lib. de Spiritu sancto capit. 27. Inuocationis verba, cum ostenditur panis Eucharistia, & poculum benedictionis, quis sanctorum nobis scripto reliquit? Hoc vero caput S. Basilij, nequis hæreat, agnoscunt Damascenus de imaginibus, & Balsamon, qui in illud caput scholia edidit. Elatio in altum sacrosancti corporis Christi repræsentat, auctore S. Germano in Theoria rerum Ecclesiasticarum, crucis elationem, & mortem in ea, & ipsam resurrectionem. Inter errores Begardorum, & Beguinorum, octauus error numeratur, quod in eleuatione corporis Iesu Christi non debent fideles assurgere, nec ei reuerentiam exhibere. Qui error damnatus fuit in Concilio generali Vienneensi Clement. Ad nostrum, de hæret. Eleuationis vero & ostensionis panis & calicis, variæ rationes afferri solent a Duranto, in Rational. Iuone epist. 2. c. 33. & quibusdam alijs. Potissime vero, Eucharistiam in altum edi, populoq. ostendi adorationis ergo, probabile est. Sane Eucharistiam adorandam esse, compluribus sanctorum Patrum testimonijs confirmari potest. S. Dionys. d. cap. 3. Eccles. hierarch. his verbis, Sed o diuinum penitus, sanctumq. mysterium nobis palam, atque aperte luceſce, nostrosq. spiritales oculos singulari, & aperto tuæ lucis fulgore imple. S. Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinthios, hoc corpus in præsepi reueriti sunt Magi, & Barbari longo itinere confecto, cum timore, & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur saltem nos Barbaros, qui cælorum ciues sumus. Tu non in præsepi, sed in altari: non mulierem, quæ in vlnis teneat, sed Sacerdotem præsentem, &c. Sanctus Ambrosius lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. enarrans illud Dauid Psal. 98. Adorate scabellum pedum eius, ait: Itaque per scabellum terra intelligitur. Per terram autem caro Christi, quam hodie in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorauerunt. Idem Ambrosius de incarnation. Dominicæ Sacramento. Numquid cum & diuinitatem eius adoramus, & carnem, Christum diuidimus? Sanctus item Augustinus in eundem Psal. 98. Et quia in ipsa carne hic ambulauit, & ipsam carnem

carnem nobis manducandam ad salutem dedit. Nemo autem carnem illam manducat, nisi prius adorauerit: inuentum est quemadmodum adoretur tale scabellum pedum Domini; & non solum peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Item Augustinus epist. 120. capit. 27. & Psal. 48. enarrans illud: Manducauerunt, & adorauerunt omnes diuites terrae, Et ipsi qui adducti sunt ad mensam Christi, & accipiunt de corpore, & sanguine eius: sed adorant tantum, non etiam saturantur, quoniam non imitantur. Et paulo post: Et gloria nominis eius in Ecclesia diffusa est: permoti & ipsi ueniunt ad mensam, manducant, & adorant. S. Chrysostomus homil. 61. ad populum Antiochenum: Considera quæso, mensa regalis est apposta, angeli mensam ministrantes, ipse Rex adest; & tu, astas oscitans, fordescent tibi uerimenta, & nihil est tibi cura. At pura sunt, igitur adora, & communica. Idem epist. 3. ad Ephesios. Amplius, adoratum fuisse Eucharistiam extra uisum, & a non communicantibus, probat sanctus Chrysostomus homil. 3. de incomprehensibili Dei natura. Ibi enim loquens de Energumenis ait, Agitatos quoque, ob eam rem, Diaconus tempore illo ducit, & iubet caput inclinare. Et homil. 4. eiusdem tractationis: Cur homines demone agitados, & furore accitos teterrimo, adduci tempore illo, & capita inclinate iubet Diaconus? Quin idem Chrysostomus homil. 9. capit. 2. in Mattheos, qui non adorant Eucharistiam, Herodianos appellat. Sanctus Hieronymus æger graui morbo lecto decumbens, Sacerdote Eucharistiam deferente, in hæc uerba prorupit: O Ferculum excellentissimum, uenerandum, colendum, & adorandum, glorificandum, amplectendum, & omnibus laudibus extollendum. Hæc super eius morte Eusebius. Plura de adoratione Eucharistiae Algerus lib. 1. capit. 3. 7. 10. & 12. & lib. 2. capit. 1. & Gabriel Biel super cano. Missæ lectione 50. Porro nedum homines, sed & angelos adorare Eucharistiam, docet Chrysostomus compluribus locis, maxime lib. 3. de incomprehensibili Dei natura circa finem: Tempore illo, mi frater charissime, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam Angeli Domino genuflectunt, & Archangeli rogant. habent sibi id tempus idoneum, habent sacram illam oblationem, &c. Quin & in hominibus mortuis Angeli adorant Eucharistiam. S. Chrysost. lib. 6. de Sacerdotio. S. Gregorius lib. 4. dialogorum capit. 15. & homil. 40. super euangelia. Ad hæc cum ostendebatur Eucharistia, ueteres, manus attollere, consueuerant? Quod ex Tertulliano lib. de spectaculis capit. 25. colligere licet ibi, Illas manus, quas ad Dominum extuleris, postmodum laudando histrionem fatigare? Eodem spectare uerba Hieronymi ad Theophilum Alexandrinum quidam crediderunt: Quisquam ne tibi, ait, inuitus communicat? Quisquam ne extensa manu uertit faciem, & inter sacras epulas iure osculum porrigit? At probabilius est, locum istum ad manuum extensionem in communionem pertinere. Sane fideles, cum manus attollunt, & extendunt, meminisse debent, Christum misericordiam motum manus suas in cruce extendisse. Meminisse etiam impiorum Iudæorum, qui manibus suis Christum colaphizabant, flagellabant, & crucifigebant. Consuetum quoque erat, dum ostendebatur hostia, certa uerba acclamari a populo, quod tum ex Basilij d. capit. 27. de Spiritu sancto, tum etiam ex Damasceno epist. de Trifagio, conijcere licet. Horum uerborum loco Ludouicus XII. Galliarum Rex, cum in florentissimum Galliae regnum coniuurati hostes undique insurgerent, ad reprimendos eorum conatus iussit sub eleuationem corporis, & sanguinis Domini, hymnum, O salutaris hostia, decantari. Clitovæus lib. 1. hymnorum Eccles. De Pausa lib. 1. de Eucharistiae adoratione, capit. 10. De Sanctis de rebus Eucharistiae repetit. 9. capit. 7. Plane in Concilio Treueren. prouinciali decretum legimus, in eleuatione corporis, & sanguinis Domini nullam antiphonam cantari, neque pro pace, neque aduersus pestem, sed silenter flexis genibus passionis Christi commemorationem facere, ac Redemptori gratias agere. In Concilio uero Augustano statuitur, sub eleuatione Eucharistiae illas tantum antiphonas decantari, quæ ad hoc sacrificium pertinent. Quamquam, ait Synodus, melius, & ueteri Ecclesiae conuenientius esset, præsentiam Dominici corporis in altissimo silentio contemplari. Solebant etiam ueteres, dum ostendebatur Eucharistia, caput inclinare nudo uertice in uenerationem capitis Christi, quod spinarum aculeis, vulneribusque innumeris cruentatum est, quod item moriens benignissime inclinauit. Inclinato enim capite tradidit spiritum. Solebant & genua flectere in expiationem blasphemiae Iudæorum, qui ad Christi ludibrium genua flectentes dicebant: Aue Rex Iudæorum. Sane Angeli, auctore Chrysostomo, sacrificij tempore genuflectere dicuntur. Sacerdotes frequenter

populum

populum docere debent, ut, cum in celebratione Missarum eleuatur hostia salutaris, se reuerenter inclinet; idem faciens, cum eam defert presbyter ad infirmum. Hæc Honorius in capitulo Sane, de celebratio. Missarum. At hodie, pro Dei atque hominum fidem, non defunt, qui dum sacrosancta Eucharistia ostenditur, stantes, & aperto capite eam intueantur, & si Paulus primæ ad Corinth. 11. doceat, viros orantes uelato capite deturpare caput suum. Plura in hanc sententiam Gabriel Biel super cano. Missæ lectione 50. Solet etiam pulsari campana, quod recens non est. Iuo Carnoten. epist. 167. quia reginæ Anglorum gratias agit pro campanis, quas Ecclesie Carnotensi dono dederat, indicat campanas monere, quando illa singularis hostia pro nobis redimendis in ara crucis oblata per noui sacerdotij ministros in Domini mensa quotidie consecratur. Nauclerus generatione 42. anno Domini 1240. Scribit, Gregorium IX. Pontificem statuisse, ad corporis & sanguinis Christi consecrationem campanas pulsari. In Concilio Mediolanensi, quod Cardinalis Borromæus habuit 1569. tit. 2. decretum extat in hæc uerba, Cum corpus Iesu Christi Domini sustollendum est in Missa conuentali, & in ea item Missa, quæ in uaqueque parochiali Ecclesia a Parocho celebratur, tum signum sono campanæ detur: cuius soni significatione fideles, qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non interfunt, admoniti, ad tanti, tamque magni mysterij, ac beneficij recordationem animum excitantes, mente supplicis religiosas preces pie adhibeant. Hoc loco Theologi quærunt: Num peccator conspiciendo sacrosanctam Eucharistiam, peccet, sicut peccat sumendo indigne ante peccatorum expiationem. Alexan. de Ales 4. par. quæstio. 52. membro 6. quem Gabriel Biel d. lectione 50. & ceteri sequuntur, nulli esse uetitum, sacram Eucharistiam intueri adorationis ergo. Nedum enim iusti, sed & iniusti intuendo corpus Christi commodum maximum consequuntur, memoria repetendo charitatem Saluatoris, & beneficium redemptionis. Nec est par ratio inspicientis & sumentis: tum quia uidens non pertingit ad substantiam corporis Christi, sed tantum ad sacramentales species: tum quia sumens abutitur sacramento, & transgreditur præceptum Apostoli 1. ad Corinth. 11. Probet autem se ipsum homo. quod pluribus enarrant Alex. de Ales ubi sup. Bonauen. ad 4. senten. dist. 9. quæstio. 6. & Gabriel Biel d. lectione 50.

D E S E P T I M A P A R T E

Canonis.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

- 1 Eucharistiam Christus dedit post cenam: ea tamen nunc non nisi a ieiuniis percipienda est. Et quid ac casu necessitatis.
- 2 Forma consecrandi calicis quibus constet uerbis.
- 3 Sacramentorum formæ diuersitatem aliquam fortassis in uerbis aliquando habuerunt, at sensus semper idem fuit, nec alius est Eucharistia formæ sensus apud Euangelistas, & Paulum, quam in Ecclesia.
- 4 Eucharistia cur sub duplici specie consecratur, cum totus Christus sit sub utraque specie.
- 5 Innocentij locus de Eucharistia sub utraque specie explicatur.
- 6 Communio sub utraque specie quibus sit permittenda, & quam necessaria, ex Ecclesie decretis, & consuetudine.
- 7 Aqua admixta uino ante consecrationem, an conuertatur in sanguinem, dum fit consecratio.
- 8 Vinum, quod ad Eucharistiam conficiendam apponitur quale esse debeat. Et quid de musto, aceto, agresta, & similibus.
- 9 Mysterium unde dictum, & quid apud Græcos, & Latinos significet. Mysterium fidei quid in Missa canone designet.
- 10 Calicis consecrandi formæ cur apponantur uerba aliqua extra scripturam.
- 11 Sanguis Christi sufficiens est redemptionis nostræ pretium. Peccatoribus tamen obicem ponentibus non fit efficax.

- 12 *Facere, passim est sacrificare, ad illa verba. Hoc facite in meam commemorationem.*
 13 *Sacrificium Missæ cur iteretur cum passus semel tantum sit Christus.*
 14 *Sacrificium Missæ merito esse, & semper in Ecclesia fuisse quotidianum, ac iuge.*
 15 *Sacerdos, cui cura animarum non incumbit, an quotidie Missæ sacrum facere teneatur.*
 16 *Eucharistia offeratur, & editur in memoriam Christi.*

- 1 **D**ostquam cenatum est. Sacramenta altaris, ut alibi docui, non nisi a ieiunis hominibus celebranda sunt. Concil. Carthag. 3. cano. 29. & Concil. Apherica. can. 8. cano. Sacramenta altaris, de consecrat. distin. 3. Rursus eodem Concil. Carthaginen. can. 48. Verum & de sacrificijs inhihendis post prandium, ut a ieiunis, sicut dictum est, offerantur, & tunc, & nunc confirmatum est. Neque obstat, quod post cenam Christus Sacramentum exhibuit. Nam, ut August. notat epist. 118. ad Ianuarium cap. 6. & 7. non propterea calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod a ieiunis semper accipitur. Et hoc enim placuit Spiritui sancto, ut in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quam ceteri cibi. Neque enim etsi post cibos dedit Dominus, propterea pransi, aut cenati fratres ad illud sacramentum accipiendum conuenire debent; aut, sicut faciebant, quos Apostolus arguit, & emendat, mensis suis ista miscere. Namque Saluator quo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit insigere cordibus, & memoriæ discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Et ideo non præcepit, quo deinceps ordine fumeretur, ut Apostolis, per quos Ecclesiæ dispositurus erat, seruaret hunc locum. Accedat Concilij Constantiensis sess. 13. decretum in hæc verba: Hinc est, quod hoc præfens concilium sacrum generale in Spiritu sancto legitime congregatum salutis fidelium prouidere satagens, matura plurium doctorum tam diuini, quam humani iuris deliberatione præhabita declarat, decernit, & definit, quod, licet Christus post cenam instituerit, & suis discipulis administrauerit sub vtraque specie panis & vini, hoc venerabile sacramentum: tamen, hoc non obstante, sacrorum canonum auctoritas laudabilis, & approbata consuetudo Ecclesiæ seruauit, & seruat, quod huiusmodi Sacramentum non debet confici post cenam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis, aut alterius necessitatis a iure, vel Ecclesia concessio, vel admissio. *Hic est enim Calix sanguinis mei.* Concedunt Scholastici, num hæc dumtaxat verba sint de forma, & substantia, seu essentia consecrationis sanguinis. S. Thom. 3. par. quæstio. 78. artic. 3. & ad 4. sentent. distinct. 8. artic. 2. credidit non solum prædicta verba, sed & quæ sequuntur, noui & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, esse de substantia formæ. Thomam sequuntur Antoninus 3. par. tit. 13. capit. 6. §. 2. & Sotus ad 4. sentent. Verum Alexan. de Ales 4. parte quæstio. 33. Magister sentent. lib. 4. distinctio. 8. vbi Bonauentura, Durandus, & complures alij affirmant, ea solum verba: *Hic est calix sanguinis mei*, esse de substantia formæ: quod & verius est. Nam & Synodus Florentina diferte docet formam huius sacramenti esse verba Saluatoris, quibus hoc sacramentum conficitur, ipsorumque verborum virtute, substantiam panis in corpus Christi, & substantiam vini in sanguinem conuerti. Deinde si illa omnia essent de substantia, seu essentia, Patres Græci Iacobus, Basilus, Chrysostomus, & ceteri qui his omnibus verbis in suis liturgijs vsi non sunt, non consecrassent quasi non affecuti veram & integram formam. De his plene Guillelmus Alanus lib. 1. de Eucharistiæ Sacramento. Ceterum & si verba quibus Ecclesia in consecratione vini vitur diuersa esse videantur a verbis Christi, quæ extant apud Euangelistas & Paulum: quoad sensum tamen plene perfecteque conueniunt. Quod plene & luculenter enarrant Alexan. de Ales d. quæst. 33. & Alanus d. cap. 19.
- 2 Hoc loco quaeritur cur Eucharistia sub duplici specie panis & vini consecretur. Plane certum est totum, ac integrum Christum, secundum carnem, animam, sanguinem, & diuinitatem sub qualibet siue panis, siue vini specie exhiberi atque sumi. Totus Christus, ait Synodus Florentina, continetur sub specie panis, & totus sub specie vini. Quod & antea in Concil. Constantiense sess. 13. definitum fuerat, & in Concilio Tridentino sessio. 13. capit. 3. & sessio. 21. de communione capit. 3. repetitum. Plura in hanc sententiam S. Bernardus epist. 69. ad Guidonem Abbatem de tribus fontibus, & serm. de cena Domini ad Petrum

ad Petrum. Gifalbertus in lib. de altercatio. cuius meminit Hofius in confessione posteriori. S. Thom. 3. par. quæstio. 76. artic. 2. Alexan. de Ales lib. 4. quæstio. 53. membro 1. testatur religiosos quosdam postulasse sibi præberi sub vtraque specie, hæsitantes an sub panis specie sanguis existeret. Itaque Sacerdote Missam celebrante cum hostiam frangeret patenæ concuum repletum subito fuisse sanguine: quod cum religiosi stupentes vidissent, & credidissent, partes hostiæ rediisse in integrum. Quare diligenter expendenda sunt Innocentij verba lib. 4. myster. Missæ capit. 21. Et quamuis, inquit, sub specie panis sanguis sumatur cum corpore, & sub specie vini corpus sumatur cum sanguine: tamen nec sanguis sub specie panis, nec corpus sub specie vini bibitur, aut comeditur: quia sicut nec sanguis comeditur, nec corpus bibitur, ita neutrum sub specie panis bibitur, aut sub specie vini comeditur. Quæ verba intelligenda sunt per comparisonem, quo ad signa extrinseca, sub quibus corpus Christi, & sanguis eius continentur, & nobis sumenda proponuntur: quantum tamen ad effectum & corpus bibitur, & sanguis comeditur sub vtraque specie. Quod pluribus confirmat Gabriel Biel super cano. Missæ, lectio 53. Licet igitur Christus integer sub vtraque specie panis vel vini existat: vtraque tamen species consecratur, & neutra superfluit, auctore Innocent. lib. 4. myster. Missæ capit. 21. Panis enim refertur ad corpus, & vinum ad sanguinem & animam: quia vinum sanguinem operatur in quo sedes est animæ. Vnde ait glossa 1. ad Corint. 11. vtramque speciem dedit Christus, ut ostenderet totam humanam naturam, idest, corpus & animam assumpsisse, ut vtrumque redimeret. Complures alias rationes easque præclaras prodiderunt Alexan. de Ales, Albertus Magnus, & quidam alij: quas percurrit Gabriel Biel super cano. Missæ lectio 52. Cum igitur totus Christus cum corpore & sanguine sub vtraque specie existat, antiquissima & laudabili Ecclesiæ consuetudine, ad euitandum quædam pericula & scandala, receptum est sacerdotes conficientes sub vtraque specie communicare, laicos vero necnon clericos non conficientes sub specie panis Sacramentum sumere. Hunc vero morem antiquum esse, & a priscis Patribus ad nos continua temporum successione deuenisse, Ecclesia catholica in Concilio Constantinopol. sess. 13. & Tridentino sess. 21. cano. 1. & capit. 1. Plane & aperte decernit, eosque hæreseos crimine damnat, qui hanc necessitatem communicandi sub vtraque specie contra Ecclesiæ Romanæ vsum propugnant. Hanc Ecclesiæ catholicæ sententiam pluribus probant Alexan. de Ales par. 4. quæstio. 53. S. Thom. par. 3. quæstio. 80. artic. 12. De Turre cremata in cano. Comperimus. de consecrat. distin. 2. Gerfon in tractatu, quem scripsit in Concilio Constantiensi. Gabriel Biel super cano. Missæ lectio 84. Groperus de præstantissimo altaris Sacramento artic. 4. primario de communione sub vna specie. De Sanctis de rebus Eucharistiæ repetit. 10. de communione sub altera specie. Amplius circa vini speciem obseruandum est, ad hoc sacrificium non adhiberi vinum, nisi ex vite factum: nihil vero interesse cuius coloris sit siue rubrum, siue album fuerit. Quin in Concilio primo Mediolanensi, quod a pijsissimo Cardinali Borromæo, Mediolanensi Archiepiscopo celebratum fuit cap. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ: iubentur Sacerdotes, modo adfit facultas, vti tantum vino albo, quo ornamenta & altarium instrumenta præcipue corporalia munda & nitida sint. Hac in parte quaerunt scholastici, num aqua, quæ misceri debet cum vino, in sanguinem conuertatur. Innocent. 3. lib. 4. myster. Missæ, capit. 29. & plenius in capit. cum Marthæ. §. Quæsiuisti, de celebratione Missarum, Scholasticorum varias opiniones recenset. Tandem concludit aquam cum vino in sanguinem transmutari. Innocentium sequitur Durant. in Rational. lib. 4. capit. 42. Quærunct etiam, num mustum ex vuis maturis, vel in dolia, vel in ipsum calicem recenter expressum consecrari valeat, & receptum est consecrari posse, si vrgeat necessitas. Alioqui non decere propter impuritatem. Iulius Papa I. qui sedit anno 339. ad Episcopos per Ægyptum cano. cum omne. de consecrat. distin. 2. Concil. Bracar. 3. cano. 1. Concil. Vuormatien. cano. 1. de Turre cremata in d. cano. Cum omne. Alexan. de Ales 4. par. quæst. 32. membro 9. Durant. in Rational. lib. 4. cap. 42. S. Thom. 3. par. quæstio. 74. Quærunct item, num acetum consecrari possit. Sane, ait Innocent. 3. lib. 4. myster. Missæ capit. 30. ad finem: licet diligenti studio vinum optimum sit quaerendum: vitium tamen vini non maculat munditiam Sacramenti. Quare, ait ille, siue vinum nouum, quod dicitur mustum, siue vinum acidum, quod appellatur acetum, in sacrificium offeratur, sacrificium conficitur & diuinitus consecratur.

Verum ab Innocentio omnes fere Theologi dissident. Nam etsi in vino acescente consecratio fieri possit: quamdiu enim vere vinum est, licet ad corruptionem vergat acetosumque fiat, est tamen utcumque materia huius sacramenti, de eoq. probabile est Innocentium intellexisse. At si plane & perfecte acetum sit, habet aliam speciem a vino distinctam, nec materia huius sacramenti esse potest. Idemq. dicendum est de quavis admixtione solvente speciem vini. Alex. de Ales par. 4. quæst. 32. membro 8. S. Thom. par. 3. quæst. 74. artic. 5. Idem Thom. Albertus Magnus, Richardus, & complures alij ad 4. sent. dist. 10. De Turre crem. in cano. In sacramento de consecrat. dist. 2. De Agresta, omnes consentiunt nullo modo consecrari posse. Ceterum diligenter cauendum est, ne aliquid calicis in terram cadat. Tertull. de corona militis. Calicis, inquit, aut etiam panis nostri aliquid decuti in terram anxie patimur. Quod si aliquid in terram vel super lignum, aut super pallam ceciderit: vide decretum Pij Papæ (is sedit nonus a Petro) apud Gratia. in cano. Si per negligentiam, de consecrat. dist. 2. & apud Burchard. lib. 5. cap. 47. Iuonem lib. 1. Panor. tit. 4. cap. 33. & par. 2. cap. 56. Anselm. lib. 7. cap. 2. can. 10. S. Thom. 3. par. quæst. 84. art. 6. versic. ad 7. Quæri item solet quid agendum, si musca, vel aranea in calicem incidit. De qua quæstione pluribus agunt S. Thom. d. quæst. & artic. Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 6. §. 3. *Mysterium fidei*, Mysterium apud Græcos dictum est, ut quidam sentiunt ἀπό τοῦ μύστου, quod est os occludere, cum nefas haberetur, quæ in religione secretiora erant vulgari, ediq. populo. At Phornutus de nat. Deorum cap. de Cerere, & Vestâ, ait, philosophantes Cereri mysteria adducere tentasse simul atque ea, quæ ad victum conferunt, inuenisset. Nam, ait ille, μυστήριον satiariæ significat. Vnde, ait, consentaneum esse inde mysteria deduci, quæ in huius deæ celebratibus inducebantur. Clemens Alex. oratio. adhortatoria ad Græcos mysteria ἀπό τοῦ μύστου, hoc est ab execratione, & abominatione, quæ accidit circa Dionysium. Quod si etiâ, addit Clemens, a Mente quodam Attico, quæ dicit Apollodorus interiisse in venatione, nulla est invidia vestra mysteria sepulchri honore esse affecta. Clementem iisdem fere verbis sequitur Euseb. lib. 2. de prepar. euang. cap. 5. Nonnulli mysteria a latibulis murium dicta existimarunt. Athenæus lib. 3. capit. 10. Sane omnes hæc origines, seu etymologia probant mysteria Græce esse arcana quædam sacra. Inde Greg. Nazian. carmine 15. Iambico, Mysterium quid? cultus arcanus Dei. Latine mysteria auctore Festo seclusa appellatur, quasi separata, ac seorsum clausa a nobis esse debeant propter aliquam sanctitatem. Appellabantur & opertanea & sacra, quod scilicet in operto & seorsum ab hominum conspectu fierent. Horum meminit Plinius lib. 10. cap. 61. Dicuntur & sacramenta: quæ enim mysteria Græci, sacramenta passim Latini appellarunt. Quod ex varijs Tertulliani, Augustini, & aliorum Patrum locis colligere licet. hæcenus de nomine. Hoc loco *Mysterium fidei* interpretatur Odo Cameracen. in expositio. sacri canonis, quia quod creditur, sensibilibus quibusdam obtegitur. Nam verus sanguis creditur, quod vinum visu sentitur, & gustu. Est *mysterium fidei*, ait Odo, quia quod fides credit intus est occultum, & sub figura, & sapore vini creditur verus sanguis. Et postea: *Mysterium fidei*, id est, occultum quod sola cernitur fide. Item Stephanus Eduens. de Sacramento altaris cap. 16. *Mysterium fidei*, id est, secretum, quia quod sensibus nostris est occultum fidei est reuelatum. Ad hæc Florus Mag. in exposit. Missæ post Alcu. de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Totum ergo, quod in hac oblatione Domini corporis & sanguinis agitur *mysterium* est, aliud videtur, aliud intelligitur: quod videtur, speciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet spiritalem. Rursus Remigijs Episcopus Antiochod. in cano. Missæ. Si in veritate corpus Christi est, quare appellatur *mysterium*? Propterea utique, quia post consecrationem aliud est, & aliud videtur. Videtur si quidem panis & vinum: sed in veritate corpus Christi est & sanguis. Hinc pendet ratio, cur in consecratione cum horum verborum, *Mysterium fidei*, neque Christus, neque Euangelistæ meminerint, Ecclesia hæc verba interiecerit. Nam ut præclare Iuo Carnoten. epist. 264. admonuit, cum multi hærent quo modo sub specie elementorum sumatur corpus, & sanguis Christi, cum sensus humani nihil aliud percipiant, nisi colorem & saporem panis & vini, Ecclesia ut scrupulum illum euellat, adiecit in canone, *Mysterium fidei*, quasi dicat, ait Iuo Carnoten. Sacramenta, quæ vides in altari æstimanda sunt, non specie sed fide. Aliud enim renunciant oculi exteriores hominis, aliud tibi affirmant mentis oculi, &c. *Qui pro vobis & pro multis effundetur*, verba sunt Matthæi & Luca. Quæ verba aperte indicant, quod & si sanguinis Christi

Christi effusio sufficiens ex se fuerit, ad redimendum omnes homines. (Effusio, inquit Leo magnus epist. 83. ad Palæstinos monachos, pro iniustis sanguinis iusti tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, ut si vniuersitas captiuorum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent) non tamen fuit efficax pro omnibus, qui ponunt obiectionem gratiæ Dei, quam nobis meruit passio Christi. Vnde Prosper Aquitan. in responsio. ad primam obiectionem Vincentij, Quod ad magnitudinem & potetiam pretij, & quod ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est totius mundi. Sed qui hoc sæculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt. Poculum quippe immortalitatis, quod confectum est de infirmitate nostra, & virtute diuina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur. inde S. Paulus ad Hebræos, cap. 9. Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Vulgo Theologi dicunt, quod effusus est sanguis Christi pro omnibus quantum ad sufficientiam, non quantum ad efficaciam. *Hæc quotiescumque feceritis*. Hæc clausula auctore Duranto in Ratio. lib. 4. spectat nedum consecrationem sanguinis, sed & corporis. Hæc quotiescumque, scilicet corpus & sanguinem sacrificaueritis: facere siquidem passim ¹² sacrificare significat, nedum apud prophanos auctores, Varro lib. 5. de lingua Latina. Plaut. in Asinaria, Cic. pro Muræna, Virg. ecloga 4. Macrobi. lib. 3. Saturnal. cap. 11. & alios complures: sed & in sacris litteris. Exod. 29. Iuuenium pro peccato facies. Et postea: Hoc est quod facies super altare. Leuit. 23. Facietis in die, qua eleuabitur manipulum Nu. 6. Iudic. 6. & prioris ad Corinth. 11. Hoc facite in meam commemorationem. Ceterum etsi Christus ¹³ semel credentes sua morte redemerit, Ecclesia catholica sacrificium istud iterat, & repetit. Cum vero iteratur, commemoratio est passionis, non iteratio, cano. Cum iteratur. de consec. dist. 2. S. Andreas Apost. epist. ad Ecclesiam Achaïæ, cuius meminerunt Cyprian. vel quisquis est auctor, lib. de duplici martyrio, & S. Bernard. scribit se Deo omnipotenti vero & viuo omni die sacrificare non thuris fumum, nec hircorum sanguinem, sed agnum immaculatum in altari crucis, cuius carnes, postea quam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus, qui sacrificatus est integer perseuerat, & viuus. Et cum vere sacrificatus sit, & vere carnes eius manducatae sint a populo, & vere sanguis eius sit bibitus, tamen vt dixi integer permanet, & immaculatus, & viuus. Simeon Metaphra- ¹⁴ stes de martyrio S. Ignatij prodidit, S. Ignatium quotidie Missas celebrasse. Ob id Missa sacrificium quotidianum dicitur in conc. Toletano 1. can. 5. Quotidianam oblationem appellat S. Chrysost. ad Ephes. cap. 1. ferm. 3. Frustra, inquit, habetur quotidiana oblatio frustra stamus ad altare. In concil. Arausicano, apud Burchardum lib. 1. cap. 105. statutum est, ut non tantum Dominicis diebus, & præcipuis festiuitatibus Episcopi Missas celebrent: sed cum possibile fuerit quotidiana sacrificia frequentent, nec fastidiant. Arguuntur in concil. illo generali Lateranen. cap. Dolentes, de celebra. Missarum, qui Missas raro celebrant. Sacerdotes Missas, seu sacrificia quotidie celebrare consueuisse aperte indicat S. Cypria. lib. 1. epist. 2. ad Cornelium, & lib. 4. epist. 9. ad Florentium Papia. Idipsum docent Syricius papa epist. 1. ad Hymnerium Tarraconensem, cap. 7. S. Athanas. in fine libelli de passione imaginis Christi ibi, Ex carne & sanguine Christi non posse aliquid quotidie inueniri, nisi illud, quod in ara altaris per manus sacerdotum spiritualiter efficitur. Sacerdotibus orandi & sacrificandi iuge officium incumbere, scribit Innocen. 1. epist. 2. ad Victricam, cap. 7. & epist. ad Exuperium episc. Tolos. cap. 1. hanc quoque Missarum frequentem & quotidianam celebrationem confirmant innumera sanctorum Patrum testimonia, S. Ambros. lib. de benedictione Patriar. cap. 9. Hunc panem dedit Apostolis, ut diuiderent populo credentium, hodieq. dat nobis eum, quem ipse quotidie sacerdos consecrat suis verbis. Et ad cap. 3. 1. ad Timoth. omni hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis: incolis tamen vel bis in hebdomada. Item epist. 33. ad Marcellinam sororem: Vos ipsos mihi bonos filios gestiebat eripere Imperator Valentinianus, pro quibus ego quotidie instauro sacrificium. S. Hiero. lib. 1. aduersus Iouin. Si laicus & quilibet fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali, Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Idem Hiero. q. 2. ad Hedibiam: Illius bibimus sanguinem, & sine illo potare non possumus, & quotidie in sacrificijs eius de genimine vitis veræ & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, &c. Et ad c. 1. epist. ad Titum: Si laicis imperatur, ut propter orationem abstineant se ab vxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui pro suis, populiq. peccatis, illibatas Deo oblaturus est victimas? S. Aug. de fide ad Petrum Diaconum, c. 19. Cui nunc, id est tempore Noui testamenti

testamenti, cum patre & spiritu sancto, cum quibus illi est vna diuinitas, sacrificium panis & vini in fide & charitate sancta Ecclesia catholica per vniuersum terrae orbem, per sacerdotum ministerium offerre non cessat. Et de ciuitate Dei, lib. 10. cap. 20. Per hoc & sacerdos est, ipse offerens, ipse & oblatio, cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit Ecclesiae sacrificium. Item epist. 86. Sacrificium laudis ab Ecclesia toto orbe diffusa diebus omnibus immolatur. Et epist. 118. ad Ianuarium, cap. 2. Alij quotidie communicant corpori & sanguini Domini, alij certis diebus accipiunt: alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur, alibi sabbato tantum & Dominico. S. Chrysostr. ad cap. 9. epist. ad Hebraeos: Nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed ad recordationem facientes mortis eius. Primas. eodem cap. 9. Numquid & sacerdotes nostri quotidie idem non agunt, dum offerunt assidue sacrificium? Offerunt quidem, sed ad recordationem mortis eius. Hildeber. Cenomanus:

Idem quotidie sine vulnere sacrificatur

Panis in altari

Legimus apud S. Gregorium lib. 4. dialog. cap. 61. & hom. 37. in Euangelia, Cassium, Narniensem episcopum quotidianum sacrificium offerre consueuisse. Praeterea breuitatis ergo complura alia Theophylacti, Theodoriti, Bedae, Paschasij, Algeri, Rabani, Amalarij Fortunati, & aliorum Patrum testimonia. Porro cur Ecclesia catholica hoc sacramentum quotidie instauret, variae rationes afferri solent. Nonnullas Durantus in ratio. lib. 4. cap. 32. post Honorium in gemma animae, cap. 30. alias ex Innoc. III. profert de Turre crem. in can. literatur, de consecr. distin. 2. Addo ex sancto Thoma par. 3. quaest. 83. artic. 2. quod cum fructu Dominicæ passionis, quotidie indigeamus propter quotidiana admissa, quotidie in Ecclesia hoc sacramentum regulariter offertur. An vero sacerdotes, quibus animarum cura non incumbit, quotidie Missæ sacrum facere teneantur, vel eis liberum sit a Missæ celebratione omnino abstinere, plene S. Thom. par. 3. quaest. 82. artic. 9. *In mei memoriam*. S. Dionys. cap. 3. Eccles. hierar. Quocirca reuerenter simul, & ex Pontificali officio, post sacras diuinorum operum laudes, quod hostiam salutarem, quæ supra ipsum est, litet, se excusat ad ipsum primo decenter exclamans, Tu dixisti, *Hoc facite in meam commemorationem*. S. Martialis epist. ad Burdigalen. cap. 3. Hoc enim iussit ipse Dominus noster nos agere in sui commemorationem. S. Cypria. lib. 2. epist. 3. ad Cæciliam: Et quia passionis eius mentionem in omnibus sacrificijs facimus, nihil aliud, quam quod ipse fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit, Quotiescumque enim ederitis panem istum, &c. S. Basil. lib. 1. de baptismo, cap. 3. postquam Euangelistarum, & Apostoli verba, *Hoc facite in mei commemorationem*, addit: Quid itaque utilitatis habent hæc verba? Ut edentes & bibentes, ut perpetuo simus memores eius, qui pro nobis mortuus est ac resurrexit. Et postea: Qui namque edit ac bibit, videlicet in memoriam indelibilem eius, qui pro nobis est mortuus, & resurrexit, &c. S. Ambr. lib. 5. de sacramen. cap. 4. Ergo tu audis, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significetur. Theod. ad cap. 8. epist. ad Hebraeos: Cur noui testamenti sacerdotes mysticam Liturgiam, seu sacrificium peragunt? Sed clarum est ijs, qui in rebus diuinis eruditi sunt, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius vnus & salutaris memoriam peragere. Ansel. ad cap. 11. 1. ad Corint. Hoc, inquit, facite vos sacerdotes, id est ex pane corpus meum per mystica verba consecrate in memoriam passionis meæ, ut recogitetis eam, dum sacrificium istud obtuleritis. Et paulo post, *Hoc facite in mei commemorationem*, ut in hoc facto sitis memores mei, & eorum, quæ pro vobis passus sum, &c. O digna, & nunquam intermittenda memoria, ait Clemens in concil. Viennen. Clementina de reliquijs & veneratione sanctorum, in qua mortem nostram recolimus mortuam, ac lignum viuificum ligno crucis affixum, fructum nobis obtulisse salutis. Hoc loco non esset extraneum agere de eleuatione calicis, & de consignationibus, quæ fiunt super calicem, de quo plura Iuo Carnotensis epist. 233.

DE OCTAVA PARTE CANONIS.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

1 *Christi mysteria in Missa sacrificio qua potissimum recolantur.*

2 *Manuum extensio inter sacrificandum quid designet.*

3 *Dona*

3 *Dona ac data varie explicantur.*

4 *Sacerdotes, qui diuinum Missa sacrificium offerunt, quanto studio, & qua mentis puritate intendere debeant.*

5 *Eucharistia sacramentum iam confectum an recte benedicatur a sacerdote, cum ibi sit omnis benedictionis origo.*

6 *Hæreticorum calumnia contra canonem Missa refellitur.*

7 *Corpus Christi mysticum & verum.*

8 *Christum Deonon commendat in canone sacerdos, sed Ecclesiam & suum ministerium petendo, ut propitio vultu Deus sacrificium oblatum respiciat.*

9 *Leo primus apposuit canoni, Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.*

10 *Perferri per manus Angelorum sacrificium, quo sensu intelligendum sit.*

11 *Angeli quo modo offerant Deo sacrificia nostra & orationes.*

12 *Angeli nomine in canone an intelligendus sit magni consilij Angelus Christus.*

13 *Angelos in Missa sacrificio adesse ex Patrum testimonijs ostenditur.*

14 *Angelorum manus in canone quid nobis denotent.*



*V*nde & memores. S. Clemens in Liturgia sua, & lib. 8. constitut. Apostol. 1 cap. 12. Memores passionis, mortis, & resurrectionis. Et in Liturgia Basilij: Memores ergo Domine, & nos salutarium eius passionum, viuificæ crucis, triduanæ sepulturæ, ex mortuis resurrectionis, in cælum ascensionis, &c. Alexander primus epist. 1. ad Orthodoxos: In sacramentorum quoque oblationibus, quæ inter Missarum solemniam Domino offeruntur, Passio Domini miscenda est, ut eius, cuius corpus, & sanguis conficitur, passio celebretur. Orig. homil. 13. in Leuitic. Si respicias illam commemorationem, de qua dixit Dominus, Hoc facite in meam commemorationem: inuenies quod ista commemoratio sola sit, quæ propitium faciat hominibus Deum. S. Ambros. lib. 5. de sacramentis, cap. 4. Ergo tu audis, ait, quod quotiescumque offertur sacrificium, mors Domini, resurrectio Domini, eleuatio Domini significatur. Planius idem S. Ambros. lib. 4. de sacramentis, cap. 6. Ergo memores gloriosissimæ eius passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cælum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam. En ipsa canonis verba: quibus error eorum aperte arguitur, qui canonem Missæ a quodam scholastico, paulo ante Gregorij tempora compositum commenti sunt. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 13. citat sanctum Augustinum, quasi isdem verbis vsus sit, quibus S. Ambros. serm. 28. de verbis Domini. Verum sermo ille non est S. August. immo rapsodia quædam ad verbum descripta ex lib. 4. Ambrosij, cap. vltimo. Cyril. Alexan. lib. 12. commentar. cap. 58. enarrans illud Ioannis: Et post dies octo iterum erant discipuli eius, Participatio mysterij, ait, vera quædam confessio, & commemoratio est, quod propter nos, & pro nobis Dominus & mortuus sit, & reuixerit. Ad hæc Alcuin. lib. de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ, Quid dignius, & salubrius fieri potest, quam ut hæc mysteria frequentando, memor sit Ecclesia beatæ passionis, quæ totius mundi peccata deleuit, & quia non solum mortuus est pro nobis propter delicta nostra; sed etiam resurrexit propter resurrectionem nostram, ac sic mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparauit? Memores sumus resurrectionis quoque eius, per quam spoliatus infernum, & quando assumptus est in cælum, & viam nobis ascendendi patefecit, sumus memores & gloriosæ ascensionis. Ecquid deest officio ipsius Missæ? Nam & iustas, & pias, ait Mussius, quasi exequias celebrat Christo crucifixo, & mortuo: ipse autem a morte resurgens solemnes agit triumphos: denique super cælos ascendens infert verbis, & signis memoriam sempiternam. Dum vero hæc dicit sacerdos iungere, & stringere solet digitos, scilicet pollices, & indices, Durant. in ratio. lib. 4. cap. 43. at Micrologus hanc consuetudinem improbat, cap. 16. his verbis: Vnde & ipse sacerdos per totum canonem in expansione manuum, non tam mentis deuotionem, quam Christi extensionem in cruce designat iuxta illud: Expandi manus meas tota die. Non ergo digiti sunt contrahendi semper, ut quidam præ nimia cautela, nec aliter, quam ut in Romano ordine præscribitur, faciunt. Male enim cauti sumus, si Christum imitari non summopere studemus. Congruum est ergo, ut manus expandamus infra canonem, hoc tamen obseruato, ne quid digitis tangamus, præter Domini corpus *De tuis donis, ac datis*. Donum est ad dandum, etiam si non detur, paratum, donum est quod dari potest; datum vero quod in alterius possessionem est iam iam

3 iam translatum. Corpus ergo & sanguis Christi, sunt dona a Deo nobis parata, dona sunt quæ utiliter dari possunt, dona sunt vera, sed in cælo collocata: data vero quando nobis fiunt de creatura panis, & vini, data quando sumimus in altari, quando reficimur inde sensualiter: dona in cælo, data in terra: dona apud Deum in Christo, data super altare in sacramento: dona in cælo nuda, & aperta: data in altari, testa sensibilibus, & occulta. Tamen hic & ibi eadem vera. hæc Odo Cameracen. in exposit. sacri canonis. Aliter Florus magist. in exposit. Missæ. De tuis donis offerunt tam sacerdotes, quàm plebs fidelis non de suo, sed de tuis donis, ac datis. Quæ de manu tua accepimus, inquit Dauid 1. Paralipom. cap. 29. dedimus tibi, mysterio scilicet Dominici corporis, & sanguinis. Hildebertus de officio Missæ.

De donis, proprijsq. datis tibi munera pura

Munera sancta, sed & immaculata damus.

Dona quidem nobis, Domino data: nam quod in escam

Donat, nos ipsi sacrificando damus.

Amalar. Fortunat. lib. 3. cap. 25. De donis, ac datis ita possumus dicere, Dona sunt in re æterna, data in opere temporali. Addo quod donum græce δῶρον dicitur, δῶμα est datum, & latius patet, nam auctore Augustino locutionum lib. 4. Et quæ redduntur, & quæ donantur data dici possunt. Et ideo omne donum, etiam datum est, non omne datum, etiam donum est, quia non omne quod datur, continuo etiam donatur. *Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam.* Hæc trina repetitio, ait Florus Magister in exposit. Missæ, tanti mysterij est laudatio. has voces varie exponunt Odo Cameracen. in exposit. sacri canonis. Innocen. III. Alexan. de Ales, Guillel. Durant. & Gabriel Biel super cano. Missæ, lectio. 5. 4. ad quos lectorem relego. Hac in parte sacerdotes admonitos velim quàm pure, & caste, quàm diligenti præparatione, & sincera deuotione accedere debeant ad hanc hostiam puram, sanctam, & immaculatam, panem vitæ, & calicem salutis perpetuæ oblaruri, ne si peccatis obnoxij offerant, eorum oblatio sit quasi qui victimat filium in conspectu patris, Eccles. 34. Non possum non grauissime commoueri, non dolere, & non gemere videns Missæ sacrum, ipsis quoque virtutibus cælorum adorandum, hoc infelicissimo sæculo a quibusdam ministris indigne summaq. incuria fieri. Porro dum sacerdos hæc verba profert: *Hostiam puram, &c.* Oritur quæstio, auctore Innocentio III. lib. 5. myster. Missæ, cap. 2. non prætereunda silentio. Cum enim plene, & perfecte sit consecratio celebrata, iam enim materia panis & vini transiit in substantiam carnis, & sanguinis, quare super Eucharistiam benedictam, & plenissime consecratam, adhuc benedictionis signum imprimatur? Inno. quem Alexan. de Ales sequitur 4. par. quæst. 37. de offic. Missæ, membro 3. artic. 2. respondet, quòd in canone aliud verba significant, aliud signa denotant. Verba namque principaliter spectant ad Eucharistiam consecrandam: signa vero ad historiam recolendam. Itaque signa hæc non pertinent ad consecrationem iam perfectam per verba, ad hoc a Christo instituta: verum ad passionem Christi recolendam, quæ post consecrationem Eucharistiæ a Christo in cena est consummata. vel breuius, & planius ex Stephano Eduensi de sacramento altaris cap. 17. & Floro Magistro in exposit. Missæ: Quinarium crucis sit super oblatam & calicem, non ut eum, a quo omnis sanctificatio est, sanctificemus, sed ut vulnera pendentis in cruce, duo manuum, duo pedum, quantum lateris flebiliter, & deuote recolamus. *Supra quæ propitio, ac sereno vultu.* Calumniantur hæretici canonem hac in parte, quasi impium sit actione nostra corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi patri conciliare, & accepta reddere, cum corpus istud sit vnicum illud, quod per se acceptum est: item sacerdote se profiteri mediatorem inter Deum, & filium eius, ac postulare, vt Deus sit filio suo propitius. Hanc calumniam Durant. in rationali lib. 4. cap. 43. præsentens, vnico verbo euertit. Propitio, ait, supple, nobis: vel vt ait Alexan. de Ales, Accepta habeas in quantum referuntur ad offerentem. Verum hæc ampliorem interpretationem exigunt. Primum hæc verba, *Supra quæ &c.* non recenter ab Ecclesia addita sunt in cano. quin ab ipsis Christianæ Ecclesiæ primordijs, in Liturgijs veterum patrum exarata, legimus. In Liturgia S. Clementis, quam vere Clementis esse Nicolaus Methonensis Episcopus, confirmat, ea ipsa verba extant. Et te rogamus vt propitio serenoq. vultu respicias supra hæc proposita dona coram te. Tu qui nullius indiges Deus. Idem Clemens, lib. 8. constit. Apostol. cap. 12. in Liturgia precari solitum in hæc verba testatur, Ac te precamur, vt in hæc munera, coram te proposita, beneuole aspicias, tu Deus nullius indigens. S. quoque Basil. in canone post munerum oblationem,

tionem, cuius verba exarauit Bessarion de Eucharistiæ sacramento. Respice, inquit, super nos Deus, & super hanc nostram patriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuisti munera Abel, &c. Bessarion ille magnus, de Eucharistiæ sacramento. Hæc verba varie interpretatur. Primum, ait ille, corpus Domini duplex est, verum, & mysticum: illud quidem ipsius Domini verbis, cuius corpus est confici; hoc vero, quod ipsi sumus, cum digne homines sacram Eucharistiam capiunt, & eiusdem cum Christo corporis efficiuntur. Itaque sacerdos dum precatur, vt super hunc sanctum panem & calicem propitio & sereno vultu respiciat, hæc postulat, quatenus panis ille sanctus, & calix Saluatoris, nos simul Christo coniungat. Vnus enim panis, ait Apostolus, & vnum corpus multi sumus, qui de vno pane participamus, hoc est quatenus consecrata illa hostia, in speciebus illis Ecclesiam Christi, tamquam corpus eius, simul significat, & representat. vel non intelligitur sacerdotis oratio pro Christo fieri, quatenus offertur in semetipso, sed pro eo, quatenus ipse in suo offertur corpore, quod est Ecclesia. Hoc enim corpus Christi mixtum peccatores etiam continet, & ideo propitius petitur Dei vultus, quo expientur. Et quia peccatores in tenebris sunt, ideo serenum Dei vultum, quo illuminentur, exposcimus. Itaque non precatur Ecclesia, vt in Christum beneuole aspiciat Deus, vel propitius sit illi pani consecrato, vt hæretici fingunt, neque postulat sacerdos, vt sit Deo acceptum sacrificium in se, quia sic displicere non potest, scriptum enim est de Christo, Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: verum hæc precatio ad offerentes pertinet, qui peccatis suis territi, & de propria virtute diffidentes, hostiam gratissimam offerunt, per quam se acceptos fieri postulant. vel vt vnico verbo, ait Alex. de Ales, verba hæc referuntur ad offerentem, & actionem oblationis nostræ, vt nimirum digne & cum Ecclesiæ utilitate offeratur sacrificium. Addi item possunt, quæ in hanc sententiam scribit Odo Cameracen. in exposit. can. Missæ. *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.* Hanc particulam, Leonem Primum, qui sedit Martino imperante, & præfuit concilio Calcedonenfi, canoni Missæ addidisse, auctores sunt, Damas. in pontific. cap. 45. Beda in Martyrologio, Berono Angien. de Missa, cap. 33. Sigebert. ad annum Domini 442. Rupert. lib. 2. de diu. offic. cap. 21. Micrologus de Ecclesiast. obseruat. cap. 12. Plinius Vualafrius. Strabo de rebus Ecclesiast. cap. 22. in hæc verba, Leo quoque 47. apud Romanos pontificatum agens, constituit, vt infra actionem sacrificij, diceretur sanctum sacrificium, & reliqua. De hoc etiam quæri potest, ait Strabo, vtrum, ab eo loco, quæ sequuntur addiderit, vel ipsa tantum verba, id est Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam, eo loco tantum intermiscuerit. Quod quia manifeste non legimus, nolimus definire. *Iube hæc perferri.* Hanc canonis particulam vetustissimam esse probat canon Græcus Missæ beati Petri. Hanc ipsam particulam cum superiori, connectit S. Ambr. lib. 4. de sacramen. cap. 10 vltimo, Ergo memores gloriosissimæ. Et paulo post. Et petimus & precamur, vt hæc oblationem suscipias in sublimi altari tuo, per manus angelorum tuorum, sicut suscipere dignatus es munera, &c. Huius etiam particulæ meminit S. August. in cano. Vtrum de consecrat. distin. 2. quibus vetustas huius particulæ confirmatur. De ea plenius Paschasius, qui floruit Carolo Crasso imperante, lib. de corpore, & sanguine Domini, cap. 8. Quo autem sensu petat Ecclesia, vt propitio ac sereno vultu respiciat hanc hostiam Deus, mox patefacit subiiciens, Supplices te rogamus, omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus sancti Angeli, &c. Tunc enim propitio ac sereno vultu respicit Deus, super hoc sacrificium, quod pro nobis Deo, ministerio sacerdotis, offertur, cum nos non sumus ira Dei digni, hoc est, ait Turrianus, petimus a Deo in cano. vt sit ei acceptum hoc sacrificium, non quidem quod fit a Christo, qui murando panem & vinum in corpus & sanguinem suum, offert semetipsum patri, sed quod fit per ministerium sacerdotis, quæ est alia actio. At commendari hoc quidem ministerium sacerdotis Deo, canon Græcus Missæ B. Petri, proprio verbo declarat. Quod enim canon Latinus dicit, Iube hæc perferri, &c. Græce legitur: Iube hæc διακονηθῆναι in sublimi altare, &c. id est iube ministrari. Hoc itaque est perferri per manus angeli, ministrari per angelos ante Deum: sicuti oramus, vt Angeli orationes nostras ad Deum perferant, vt eorum ministerio commendentur, & acceptæ sint ac gratæ Deo. Quod pluribus persequitur Turrianus, ad cap. 12. lib. 8. constitut. Apostol. vel vt apertius loquar, non his verbis petimus, vt angeli perferant in cælos ad patrem, corpus & sanguinem Domini, vt calumniantur hæretici, sed fidem, memoriam passionis Christi, gratiarum actionem, vota offerentis, & fidelium. Sicut enim cum angeli preces nostras Deo offerunt, non

non orantium verba, sed eorum desideria, ac merita exhibent, ita cum & sacrificia nostra Deo perferunt, piam offerentis religionem & inuocationem ei exhibent. Non quasi Deo hæc sint ignota, qui & antequam essent utique nouerat, Daniel 13. & Matth. 6. verum auctore Augustino, epist. 121. cap. 9. dum enarrat verba Pauli, ad Colossens. cap. 4. Postulationes vestrae innotescant apud Deum: vt innotescant apud Deum, per tolerantiam; non apud homines, per iactantiam. Aut forte, ait Augustinus, innotescant angelis, qui sunt apud Deum, vt quodammodo ea offerant Deo, & de his consulant, & quod eo iubente, implendum esse cognouerint, sicut oportere ibi cognouerint, hoc nobis vel euidenter, vel latenter apporrent. Dixit enim Angelus Tobie 12. Et nunc, quando orabas tu, & Sara, ego obruli orationem vestram, in conspectu claritatis Dei. Hi precum nostrarum similitudines in mentes suas transformant, ac illustrant, & vt mox dicitur, precum nostrarum imbecillitatem, sua comprecatione adiuuant. Addo, quod angeli, tempore sacrificij, pro genere humano Deum deprecantur. S. Chrysof. homil. in encenijs: Hic angeli corpus Domini, ipsum portantes, rogant pro genere humano, quasi dicant, Pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, vt pro eorum salute mortem obires, animam in cruce efflares. pro his supplicamus, pro quibus ipse tuum largitus es sanguinem. pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti. Non me latet S. Algerum lib. 1. de sacramentis corporis & sanguinis Domini, cap. 14. hanc particulam interpretari, de Christo qui est angelus magni consilij, quasi sacerdos orando Deum, dicat: Iube hæc oblata tibi per manus & virtutem filij tui angeli tui, qui est angelus magni consilij, deferri, non in hoc humile & visibile altare, vbi modo est, sed in sublime altare tuum, id est filium tuum, quem vsque ad dexteram tuam, in conspectu maiestatis tuæ, sublimasti, ostendens ipsum filium iussione patris in cælis esse, offerentem & hostiam, & id super quod offertur, quia omnino fidei & gratiæ eius, in Christo innititur &c. Hanc interpretationem probare videntur Stephan. Eduens. de sacramen. altar. cap. 17. & auctor libri qui antididagma inscribitur, dignus sane liber, vt ab omnibus legatur studiosè & diligenter. Verum ab ea interpretatione discedo, quod non cohæreat superioribus, tum etiam, quod S. Ambros. hanc canonis particulam referens, angelorum, in plurali expressim meminerit. Prætereo Innoc. III. Alberti & quorundam aliorum interpretationes, quas Gabriel Biel, lect. 5. diligenter perceruet. *Per manus sancti Angeli tui.* Tantæ sunt profunditatis hæc verba, ait Inno. III. lib. 5. myster. Missæ, cap. 6. vt nulla acies humani ingenij tanta sit, vt ea penetrare possit. Quis enim fidelium, ait Gregor. lib. 4. dialog. cap. 58. habere dubium possit in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Iesu Christi mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terrena cælestibus iungi, vnum quoque ex visibilibus, atque inuisibilibus fieri? cano.

12 Quid sit sanguis, de consecrat. dist. 2. Plane angelos in Missæ sacrificio, varijs sanctorum Patrum testimonijs euincitur. S. Ambros. in cap. 1. Lucæ, Vtinam nobis quoque adolentibus altaria sacrificij deferentibus adsistat angelus, immo præbeat se videndum. Non enim dubites assistere angelum, quando Christus assistit, Christus immolatur. S. Chrysof. homil. 3. in epist. ad Ephes. Contemplare obsecro, adstat mensa regia, adsunt angeli mensæ huius ministri, adest rex ipse, & tu oscitans astas? Quibus fere verbis vtitur idem Chrysof. homil. 22. in Acta Apostolorum, & hom. 3. contra Amonæos, Tempore illo, scilicet sacrificij, mi frater, non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam angeli Domino genuflectunt, & archangeli rogant, habeat sibi tempus idoneum, habeat sacram illam oblationem in fauore. Et homil. 36. in epist. 1. ad Corinthios: Et tu igitur ante illud horrendum tempus animo tremisce, animo commoueare, priusquam vela reducta & chororum angelorum progressum vides in ipsum vltro cælum ascende. S. Chrysof. libro 6. de sacerdotio, Per id tempus & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur angelorum choris plenus est, id quod credere abunde licet, vel ex tanto sacrificio, quod tunc peragitur. Idem Chrysof. homil. 24. in Acta Apostolorum: Alios video stare & migrari dum preces fiunt, neque solum dum preces fiunt, sed & dum sacerdos benedicit: Nescis quod cum angelis stas, cum illis cantas, cum illis hymnos dicis. & homil. in laudem eorum, qui comparauerunt in Ecclesia: Non cogitas quod angeli huic stupendæ assistunt mensæ, & cum reuerentia hanc circumuallant? & hom. 40. ad populum Antiochenum: Video alios loquentes rectos, dum oratio celebratur, nec solum, sed & dum sacerdos benedicit. O rem horrendam! cum angelis constitisti, Cyrillus eremita in vita.

S. Euthi-

S. Euthimij scriptum reliquit S. Euthimium vidisse frequenter terribilem angelorum visionem, vna secum Deo ministrantem & sacra cõtractantem. Manus autem angelorum sunt, & angelicæ intelligentiæ viuacitas, quæ precum nostrarum similitudines in mentes suas transformant, & illustrant, & angelicæ societatis charitas, qua precum nostrarum imbecillitatem sua comprecatione adiuuant.

DE NONA PARTE CANONIS,
Memento etiam Domine famulorum, &c.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

- 1 Defunctorum memoriam piam prodesse, & pro illis recte offerri Deo sacrificium ac preces comprobatur ex Patrum sententijs diligenter allatis.
- 2 Defunctorum animas Deo commendare, quam fuerit in Ecclesia apud pios semper in more positum. Insuper ex conciliorum decretis probatur.
- 3 Defunctorum commemoratio in Missæ sacro non solum generatim, sed & nominatim fieri consueuerat.
- 4 Missæ peculiare pro defunctis.
- 5 Die tertio, item septimo, nono, trigesimo, quadragesimo, & anniuersario fiebat defunctorum commemoratio.
- 6 Anniuersaria quæ dicantur.
- 7 Obitu institutio unde sumperis principium.
- 8 Diptychis in defunctorum commemoratione vtitur Ecclesia.
- 9 Diptycha Episcoporum tabelle.
- 10 Defunctis omnibus an prosit Missæ sacrificium.
- 11 Sacrificium Missæ an offerendum pro beatis, damnatis, aut in limbo existentibus.
- 12 Traiani historia an sit vera, & quantam habeant fidem similia, quæ de alijs narrantur.
- 13 Missæ defunctorum in quibusdam discrepant ab alijs.



N sacrificio Missæ orationes fieri pro defunctis ab ipsis Ecclesie incunabulis Liturgiæ Iacobi, Marci, Basilij, & Chrysof. aperte probant, idq. ab Apostolis sancitum, & traditum testantur S. Chrysof. homil. 3. in epist. ad Philipp. & hom. 69. ad populum Antioch. Et Damasc. ser. quod qui in fide migrarunt sacris operationibus &c. Quod vt planius faciã, percurrã veterum Patrum testimonia. S. Clem. lib. 6. constit. Apost. c. 29. ibi: Pro fratribus vestris, qui in Domino mortui sunt, & Eucharistiam Deo acceptam antitypon id sacramentum regalis corporis Christi, offerte in Ecclesijs vestris, in cæmeterijs, &c. & lib. 8. cap. 47. De ijs autem, qui quieuerunt in Christo, postquã diaconus absoluit orationem, ne idem repetamus, hæc addet: Pro quiescentibus in Christo, fratres nostri, rogemus, vt benignus Deus, qui ipsius animã suscepit &c. S. Dion. lib. eccl. hier. c. 7. De prece super defunctis faciendã ex diuinis ducibus, hoc est Apostolis traditio peruenit ad nos, &c. Tertul. de coro. milit. Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. & de Monogamia: Et pro anima eius oret & refrigerium interim adpostulet ei, & in prima resurrectione confortiũ, & offerat annuis diebus dormitionis eius. S. Cypr. lib. 1. epist. 9. Nequis frater excedens ad tutelã, vel curam clericum nominaret, ac si quis hoc fecisset non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros suos leuitas auocare voluit. S. Athanas. lib. de varijs questionibus in respon. ad q. 34. ita, inquit, Intelligimus peccatorum animas participare aliqua beneficia ab exangui immolatione, & gratificatione pro ipsis facta. Idem Athanas. in ferm. de dormien. Oleum enim & cera holocaustum est: in cruentã autẽ hostiæ oblatio, propitiatio est. S. Ambr. orat. funeb. de morte Satyri, Tibi nũc omnipotens Deus innoxia commendo animam, tibi hostiam offero. Cape propitius & ferenus fraternum munus, sacrificiũ sacerdotis. Et orat. funeb. de obitu Valentina. Omnibus vos oblationibus frequentabo. quis prohibebit innoxios nominare? Epiph. lib. 3. h. ref. 75. de Aerio agens: Erat autem ipsi Aerio sermo furiosus magis, quã humanæ conditionis, & dicebat: Qua ratione post mortẽ nominatis nomina mortuorum? Orat, inquit, viuens, &c. Et paulo post: De eo verbo quod proferantur nomina vita defunctorum, quid hoc magis fuerit vile. Chryf. hom. 21. in Acta Apostol.

Non frustra oblationes pro defunctis fiunt, non frustra preces, non frustra elemosynæ: hæc omnia spiritus disposuit volens, ut nos mutuo iuueamus ne dubita, quia erit aliquis fructus suavis. Non temere Diaconus clamat pro his, qui defuncti sunt in Christo. Et hom. 26. in Matthæum: Idcirco enim altari assistens sacerdos pro vniuerso orbe terrarum, pro absentibus, & presentibus, pro his, qui ante nos fuerunt, sacrificio illo Deo nos gratias iubet offerre. Et hom. 41. in priorem epist. ad Corinthios: Non est temere hoc excogitatum nec frustra. Memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis agnum illum iacentem, & peccata mundi tollentē deprecantes: sed ut his consolatio hinc aliqua fiat. Nec temere, qui altari assistit, inter horrenda mysteria clamat pro omnibus in Christo dormientibus. Rursus hom. 3. in epist. ad Philippen. Non frustra ab Apostolis sanctum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum, qui hinc decesserunt. Nouerunt illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis. hæc totidem verbis homil. 69. ad populum Antioch. S. August. in Enchirid. cap. 110. Neque, inquit, negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuentium releuari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur. & lib. de ciuit. Dei 20. cap. 9. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. & lib. 9. confession. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari. & de verbis Apostoli ferm. 32. Hoc enim a Patribus traditum vniuersa obseruat Ecclesia, ut pro eis, qui corporis & sanguinis Christi communionem defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium suo loco commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Cyrillus Hierosolym. catech. mytagog. 5. Deinde vero postquam confectum est illud spirituale sacrificium, & ille cultus incruentus super ipsa propitiationis hostia, obsecramus Deum pro communi Ecclesiarum pace. Et paulo post, Denique pro omnibus oramus, qui inter nos vitam sancti illius, & tremendi, quod in altari positum est, sacrificij. Primasius Episcopus Iustinopolitanus in Apocalyp. is vixit 441. Neque enim, inquit, piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi. Damascen. orat. Quod qui in fide hinc migrarunt, &c. ex versione quadam: Diui autem Apostoli discipuli Saluatoris, qui totum mundi circulum vnum cepere prædicando verbum, quod suis oculis viderant, in tremendis impollutis vitalibusq. sacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormiuerunt, habendam edixerunt. quod adhuc firmiter atque adeo sine contradictione obseruat Apostolica Ecclesia Christi, & Dei, a finibus, vsque ad fines terræ, ab eoque tempore, vsque in præsens, & in finem mundi vsque. Isid. lib. 1. de Ecclesiast. offi. cap. 18. Sacrificium pro fidelium defunctorum requie offerre, vel pro eis orare, quia per totum orbem custoditur, credimus quod ab ipsis Apostolis traditum sit. Prætereo S. Gregorium, Bedam, Bernardum, Alcuinum, Rabanum, & innumeros illis posteriores. Eandem sententiã probant complura sanctorum conciliorum decreta. In concil. Arelat. 2. can. 12. De his, qui in poenitentia positi vitam excefferunt, placuit nullum communionem vacuum debere dimitti, sed pro eo quod honorauit poenitentiam, oblatio illius recipiatur: oblatio illius, hoc est, pro illo. In concil. Carthagin. 4. cap. 79. Poenitentes si casu in itinere vel mari, mortui fuerint, memoria eorum orationibus, & oblationibus commendetur. Idem constitutum in concil. Vasens. 1. cap. 2. Item in concil. Vasens. 2. cap. 4. In omnibus Missis, siue matutinis, siue quadragesimalibus, siue in illis, quæ pro defunctorum commemorationibus fiunt, semper Sanctus, Sanctus, Sanctus, eo ordine dicatur, quoad Missas publicas dici debeat. In concil. Cabilonenf. 2. c. 39. apud Burchard. lib. 3. cap. 64. Iuonem par. 3. cap. 66. & Gratia. in cano. Visum, de consecrat. distin. 1. Visum præterea nobis est, ut in omnibus Missarum solemnitatibus, pro defunctorum spiritibus loco competenti Dominus deprecetur. Et postea, Antiquus igitur hunc morem sancta tenet Ecclesia, ut & in Missarum solemnibus & in alijs precibus Domino spiritus quiescentium commendet. Denique in concil. Florent. Item si vere poenitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis poenitentia fructibus de commissis satisfecerint, & omiffis, eorum animas poenis purgatorij purgari, & ut a poenis huiusmodi releuentur, prodesse his viuorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & elemosynas & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro alijs fidelibus fieri consueuerunt secundum Ecclesie instituta.

Qui

Qui nos præcesserunt. N. N. Non solum autem in Missæ sacro fiebat defunctorum generatim commemoratio, sed & nominatim eorum, quorum a poenis purgatorij liberationem, & requiem postulant. S. Cyprian. lib. 1. epist. 9. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in sacerdotum prece, qui ab altari sacerdotes & ministros auocare voluit. S. Ambros. oratio. funebri de morte Satyri. Tibi nunc omnipotens Deus innoxiam commendo animam, tibi hostiam meam offero, cape propitius, & serenus fraternum munus sacrificium sacerdotis. Et orat. funebri, de obitu Valentinia. Date sacramenta cælestia, animam piã nostris oblationibus prosequamur. Et paulo post: Omnibus vos oblationibus frequetabo. Quis prohibebit innoxios nominare? Epiphanius lib. 3. contra hæres. 75. hæresi: Postea vero de eo, quod proferantur nomina vita defunctorum, quid hoc magis fuerit vtile? quid hoc commodius, aut magis admiratione dignum? Et postea: In his, qui vita defuncti sunt, ex nomine memorias faciunt, orationes ad Deum proficietes, ac cultus diuinos & mysteriorum dispensationes. S. Aug. lib. 9. Confession. de matre Monica agens, Quotquot hæc legerint, meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cum Patritio quondam eius coniuge. Et de verbis Apostoli. ferm. 32. ibi: Ad ipsum sacrificium suo loco commemorentur. Adhæc, præter eam commemorationem defunctorum, quæ ex traditione Apostolorum in omnibus & singulis Missis fieri debet, celebrantur frequenter peculiare Missæ pro defunctis, quarum veteres Patres meminerunt. S. Aug. lib. 9. confession. ibi: Cum offerretur pro ea Monica, videlicet sacrificium pretij nostri. Possid. in vita Augustini pro eius, August. scilicet, commendanda corporis depositione sacrificium Deo oblatum est. S. Greg. lib. 2. Dial. c. 23. Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite. & ulterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & a Diacono iuxta morem clamatum est, ut non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ulterius visæ non sunt. Et lib. 4. cap. 55. Idem vero presbyter hebdomada continua se pro eo in lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum, eum iam minime inuenit. qua ex re quantum proficit animabus immolatione sacræ oblationis, ostenditur. præcipue vero Missæ sacrum fiebat pro defunctis, antequam corpora defunctorum tumulo mandarentur. quod pluribus probaui l. 1. cap. de Cemeterijs. Die item tertio. S. Clem. lib. 6. constit. Apost. cap. 48. Peragatur dies tertius mortuorum in psalmis & lectionibus, & orationibus propter eum, qui tertia die resurrexit. Septimo etiam, S. Ambr. orat. de fide resurrectionis: Nunc quoniam die septimo ad sepulchrum redimus, qui dies symbolum futuræ quietis est. S. Aug. lib. 1. quæst. super Genesim ad finem, Septimus dies in scripturis auctoritatē habet. vnde alio loco scriptum est, Eccles. 22. Luctus mortui septem dierum. Et postea, Septenarius numerus propter sabbati sacramentum præcipue quietis indicium est. Nono item die. Damasc. ferm. de fidelibus defunctis: Neque enim alioquin ansam hanc nobis porrexisset, ut eorum, qui e vita migrassent, in incruento sacrificio meminissēmus, neque ut tertio & nono, & quadragesimo die, ac denique anno vertete, in eorum memoriam sacra obiremus (quæ quidem citra ullam controuersiam, catholica, & Apostolica Ecclesia diuinitusq. collectus illius populus constanter, ac sine vlla ambiguitate retinet) nisi hoc in oculis ipsius rectum esset. Verum Aug. in quæst. ad Genesim ad finem, consuetudinē nonum diem celebrandi improbat, his verbis: Nescio, vtrum inueniatur alicui sanctorum in scripturis celebratum esse luctum nouem dies, quod apud Latinos nouem-diale appellatur. Vnde mihi videntur ab hac consuetudine prohibendi, si qui Christianorum istum in mortuis suis numerum seruant, qui magis est in gentiliū consuetudine. Augustinum sequitur Alcuin. de diu. offi. c. de exequijs mortuorum. Trigesimo quoque die S. Ephrem in testamento suo, Et assidue pro mea paruitate offerre dignemini, & cum trigesimum diem compleuero, mei memoriam faciatis. mortui enim beneficio afficiuntur in oblationibus, &c. S. Hildebertus Coenomanens. Episcopus tractatu de ordine eremitarum: Continuis, inquit, pro eo triginta diebus Missarum solemnia specialiter celebrantur. Rursus die quadragesimo. S. Clemens d. cap. 48. Etiam quadragesimus secundum veterem formam; Moysem enim hoc modo populus luxit. S. Ambros. oratio. de obitu Theodosij: Eius ergo principis, & proxime conclamauimus obitum, & nunc quadragesimum celebramus assistente sacris altaribus Honorio principe: qui sicut sanctus Ioseph, patri suo Iacob quadragesima diebus humationis officia detulit, ita & hic Theodosio patri iusta perfoluit. Et quia alij tertium diem, & trigesimum, alij septimum, & quadragesimum obseruare consueuerunt, quid doceat lectio consideremus. vtraque ergo obseruatio habet auctoritatem, qua necessarium pietatis impletur officium, &c. Damasc. ser. quod qui in fide hinc migrarunt, sacris operationibus,

X 2

rationibus,

rationibus, & viuorum beneficijs multum iuuentur. Hoc etiam est quod vult, ac consulit misericors Deus, vt vicissim nos tam in vita, quàm post mortem beneficijs prosequamur. Nisi enim hoc in oculis suis rectum foret, numquam occasione deditet habendæ memoriæ defunctorum in sacrificio illo inuento. Sed neque tricesimorum, quadagesimorum, & anniuersariorum, quæ nunc inconcussa & certiora, quàm de quibus iudicandum sit, Apostolica, catholicaq. Ecclesia ac populus a Domino collectus, pietatiq. deditus absque omni contradictione custodit. Denique de anniuersario extant pleraque patrum testimonia. Anniuersaria vero dicuntur quæ emortuali die, vt Plautus loquitur, id est ipso die, quo quis mortuus est, post annum recurrente fiunt. cap. Cum inter vos, de verborum significatione. De his S. Clemens dicto cap. 48. Necnon anniuersarius pro memoria illius. Deturq. de illius facultatibus pauperibus in commemorationem ipsius. Tertullian. libro de Monogamia, ibi: Et offerat annuis diebus dormitionis eius. Et de corona militis: Oblationes pro defunctis, pro natalitijs annua die facimus. Gregorius Nazianzenus orat. 10. in laudem Cæsarij. Atque alia quidem persoluimus, alia vero dabimus anniuersarios honores, & commemorationes offerentes. Quæ verba Damasc. dicto sermone, Quod qui cum fide ex hac vita migrarunt, vel de fidelibus defunctis, refert, semel, ac iterum: atque sæpius diei anniuersarij meminit, necnon memoriæ defunctorum, quæ fieri solet anno vertente in tremendis Missæ mysterijs. Alcuinus de diuinis officijs, cap. de exequijs mortuorum. Plura de tertio, septimo, & tricesimo die ac anniuersario Amalar. Fortunat. libro 3. Ecclesiast. offic. cap. 44. vbi addit, anniuersariam diem ideo repeti pro defunctis, quoniam ignoramus qualiter eorum causa habeatur in alia vita. Sicut, inquit, sanctorum anniuersaria dies in eorum honore ad memoriam nobis reducitur super vtilitate nostra; ita defunctorum, ad vtilitatem illorum, & nostram deuotionem implendam, credendo eos aliquando venturos ad consortium sanctorum. Alioquin omni tempore bonum est, orare pro defunctis. Hæc Amalar. Beatus Remigius testamento suo, quod varijs libris exaratum legimus, nepoti Agatimero vineam, & quædam alia legat, vt a patribus suis omnibus diebus festis, ac Dominicis pro commemoratione sua sacris altaribus offeratur oblatio, & Laudunensibus presbyteris, atque diaconibus annua conuiuia præbeantur. Hinc fluxisse quidam arbitrantur originem obituum: de quibus plenius in nostris decisionibus differuimus. *Qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis.* Post hæc verba, ait Alcuinus libro de diuinis officijs, cap. de celebrat. Missæ, quibus dicitur, *In somno pacis;* vsus fuit antiquorum, sicut etiam vsque hodie Romana agit Ecclesia, vt statim recitarentur ex diptychis, & tabulis nomina defunctorum: atque ita post lectionem nominum subiungerentur verba sequentia, Ipsis videlicet, quorum nomina memorantur, & ceteris omnibus in Christo quiescentibus indulgeas locum refrigerij, &c. Diptychorum meminit Florus Magister in expositione Missæ, totidem verbis, quibus & Alcuinus vbi corrupte legitur dipterijs, id est tabulis. Legendum enim est diptychis. In Liturgia S. Marci *ὁ δὲ διπύχον τὰ ἀπὸ τῶν νεκρῶν μόνων.* Diptychon item meminere, & Innocent. papa epist. ad Archadium Imperatorem, quæ extat apud Georgium Alexandria Archiepiscopum in vita Chrysostomi: Cuius ne nomen quidem inscribi sacris diptychis, siue Episcoporum tabellis cenfeo. Is siquidem hoc honore se præstitit indignum. Eudoxia itē Imperatrix epist. ad Inno. apud eundem Georgium in vita Chrysostomi: Iubete autem, Ioannis scilicet Chrysostomi nomen sacris inscribi *διπύχους*, hoc est Episcoporum tabellis. Iustum enim hoc, vt ne Ecclesia videtur nomine, qui memoria omni dignus vixit. Item Proclus Archiepiscopus Constantinopolitanus epist. ad Domnum episcopum Antiochenum, quæ extat in concil. Chalced. actio. 14. Et episcopi nomen de sacris diptychis auferentes. In prima quoque actione quintæ synodi can. Sane 24. quæst. 1. Sicut eos, qui iniuste condemnati sunt, reuocauerunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt: quod factum est & in Ioanne, & in Flauiano religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis. Vigilijs quoque papa in damnatione Theodori, cuius fragmentum extat, tomō 2. concil. Pontificem, inquit, etiā Alexandrinæ Ecclesiæ sacerdotem fratrem nostrum Zoilum, cuius nomen vsque ad memoratum diem communicatum vobis fuerat diptychis eximētes Apolinarem quendam puerforem, atque Ecclesiæ ipsius adulterium vobis sociastis. Diptychi vero proprie sunt complicati pugillares, seu tabulæ duplicatæ in vsu scribentium comparatæ. Turnebus lib. 9. aduersar. cap. 23. Inde *πεντάπτυχα* quincuplices tabulæ, & *τρίπτυχα* triplices tabulæ. Tabulæ vero illæ, in quibus viuorum & defunctorum nomina continebantur, Diptycæ dice-

cæ dicebantur: quia duplices vna viuorum, altera defunctorum nomina, quæ in Missa recitabantur, continebat. translato vocabulo, vt eruditi viri ad d. can. Sane, annotarunt ab ostreorum diptycho, cuius meminit S. Ambros. libro 5. Hexameron, cap. 8. Verum quaritur an omnibus fidelibus defunctis Missæ sacrum proficiat Innoc. I I. in cap. cum Marthæ. de celebrat. Missarum, docet quosdam esse valde bonos, qui non egent suffragijs: 10 quosdam valde malos, qui non possunt iuari: quosdam mediocriter bonos, quibus suffragia profunt ad expiationem: quosdam mediocriter malos, quibus profunt ad propitiationem. Hanc Innocentij distinctionem quidam improbant, tum ex August. qui tres tantum numerat, valde bonos, non valde malos, & valde malos in Enchirid. cap. 110. His verbis: Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcumque elemosynarum pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur: pro valde bonis gratiarum actiones sunt: pro non valde malis propitiationes sunt: pro valde malis, etsi nulla sint adiumenta mortuorum; qualescumque viuorum cōsolationes sunt. Tum quod vltimum membrum Innocentij de mediocriter malis, pertinere non possit, nisi ad pueros, qui non baptizati in limbo sunt, quibus non profunt suffragia viuorum, S. Thomas ad 4. senten. distin. 45. At Innocentij sententiam magnopere confirmat S. August. eodem cap. 110. Enchirid. in hæc verba: Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viuientium releuari, cum pro illis sacrificium Mediatoris offertur, vel elemosynæ in ecclesia fiunt: sed eis hæc profunt, qui cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent, meruerunt. Est enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat ista post mortem: nec tam malus, vt ei non profint ista post mortem. Est vero talis in bono, vt ista non requirat. Et rursus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita transferit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Hi enim non decesserunt cum signo fidei. S. August. lib. 3. de anima, & eius origine, cap. 12. & antea lib. 1. cap. 9. Ex quibus verbis Innoc. III. suam quadrimembrem diuisionem sumpsisse conijcio. Nec enim interest inter mediocriter bonos, ac nec tam malos, quibus verbis August. vtitur, neutros vero ad eos, qui in limbo existunt, referri posse concedo. Plane damnatis, Missæ, aliaq. 11 suffragia minime proficiunt, quoad poenas peccatorum releuandas, siue damni, siue sensus, (reiecta distinctione August. de Anchona, Præpositi, Steph. Cantuarensis, Cantoris Parisiensis, & quorundam aliorum) Scholastici fere omnes ad 4. senten. distinc. 45. ex August. lib. de cura pro mortuis agenda, & in Enchirid. can. Placuit 23. quæst. 3. cano. Pro obcūtibus 13. quæst. 1. Quare quod de Traiano, & Falconilla, quos liberatos ex inferno orationibus S. Gregorij & Teclæ, ex Damasceno, & quibusdam alijs, vulgo fertur: quæ item, de Cranio arido interrogato a Machario, ex historia Palladij ad Lausum referuntur, ficta & commentitia sunt. Quod pluribus probat eruditus Belarminius societatis Iesu, sextæ cōtrouersia. lib. 2. cap. 8. Beatis vero, non profunt suffragia, de quo plenius egi in 3. parte canonis, *Communicantes*. Superest igitur Missæ sacrum, aliaq. suffragia, ijs prodesse, qui nec tam boni, vt ista non requirant, post mortem, nec tam mali vt eis non profint ista post mortem: vel, vt alijs verbis August. loquitur lib. 21. de ciuitate Dei cap. 24. his quorum in Christo regeneratum, nec vsque adeo vita in corpore male gesta est, vt tali misericordia iudicentur digni non esse: nec vsque adeo bene, vt talem misericordiam reperiatur necessariam non habere, quive vt alibi dicit August. cum viuerent, vt hæc sibi postea prodesse possent meruerunt, dicto cap. 110. Enchirid. & de cura pro mortuis, cap. 1. 4. & 5. & ad Dulcitium q. 2. sed quia non discernimus, qui sint, oportet, eodem August. auctore, dicto cap. 5. de cura pro mortuis, ea pro regeneratis omnibus facere, vt nulluseorum prætermittatur, ad quos hæc beneficia possint, & debeant peruenire. Melius enim supererunt ista eis, quibus nec obsunt, nec profunt, quàm eis deerunt quibus profunt. Ceterum in Missæ sacro, pro defunctis quædam prætermittuntur, quæ in alijs Missis studiose obseruantur. Missæ siquidem mortuorum, absque Gloria in excelsis, Alleluia, seu pacis osculo celebrantur. Cuius obseruationis varias rationes commemorant Alcuinus, de diuinis officijs, cap. de Exequijs mortuorum, ad finem. & Amalar. Fortunat. libro 3. de Ecclesiast. officijs, cap. 44.

DE CANONIS PARTE DECIMA,
Nobis quoque peccatoribus.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

- 1 Peccatorem se agnoscere omni tempore, quando tamen maxime debeat Christianus.
- 2 Sacrificium Missæ non vnus tantum personæ, sed militantis Ecclesiæ.
- 3 Peccatores quo sensu Deus exaudiat.
- 4 Sacerdos cur dicendo: Nobis quoque peccatoribus, vocem attollat.
- 5 Beatorum societatem ingemiscendo expetit Ecclesiæ.
- 6 Beati denarium diurnum accipiunt omnes, & tamen non omnium est equalis beatitudo.
- 7 Sanctorum nomina cur bis in canone recensentur.
- 8 Iusti oratio an debeat meritis proprijs, vel Dei misericordia, inniti.
- 9 Beatorum premia an conferantur, in seueritate secundum estimationem meritorum, & quid de penis improborum.
- 10 Creare, benedicere, sanctificare, & nobis præstare, quem sensum habeant cum proferuntur post consecrationem proluxe inquiritur, & præclare explicatur.
- 11 Hæreticorum calumnia aperitur & reprehenditur.
Christo quibus nominibus gratias agant & gloriam deferant Christiani, quod item sit mediator & secundum diuinitatem patri equalis.



Nobis quoque peccatoribus. Commendatis spiritibus defunctorum, per oblationem pietatis, vt in beatis electorum sedibus mereantur obtinere locum refrigerij, lucis & pacis: oratur omnipotens Deus, vt etiam ceteros fideles, qui superstites sunt, idest, Sacerdotes & populum, per virtutem & gratiam eiusdem venerabilis Sacramenti, ad eandem beatitudinem perducatur. Totius namque Ecclesiæ vox est, idest, Sacerdotum & plebis cum humilitate, & contritione cordis, dicentium Deo, Nobis quoque peccatoribus famulis tuis.

1 Hæc Florus Magister in expositione Missæ. Licet autem omni tempore, vt obseruauit Alcuinus, de diuinis offic. capit. de celebrat. Missæ. Innocent. 3. lib. 5. mysterior. Missæ cap. 8. & Alexander de Ales 4. par. peccatores nos esse, ex corde agnoscere debeamus: tunc quam maxime confitendum est, cum illo sacro mysterio celebratur remissionis gratia, & indulgentia peccatorum, & cum humilitate & contritione cordis, dicendum Deo, Nobis quoque peccatoribus. Plane hoc loco, ex Alberto Magno, Sacerdos celebrans, pro se ipso orat. Debet enim Sacerdos, quemadmodum pro alijs, ita & pro se ipso offerre: quoniam & ipse circumdatus est infirmitate, ad Hebræos 5. Non tamen se ipsum indicat singulari numero, 2 sed plurali: *Nobis quoque peccatoribus*. Sacrificium enim quod offertur, vt sæpius dixi non est vnus personæ, sed militantis Ecclesiæ. Ceterum quæri potest, cum Deus peccatores non exaudiat, Ioannis cap. 9. quare Sacerdotes, hac precatione, se & populum peccatores profitentur. Quidam dixere ea verba: Deus peccatores non audit, non esse Christi, vel Euangelistæ, sed cæci nati, atque, vt Augustinus docet tract. 44. in Ioannem a medio, nondum perfecte illuminati. vel ex S. Thoma 22. quæst. 83. artic. 16. in peccatore duo sunt consideranda, scilicet natura, quam diligit Deus, & culpa, quam odit. vbi peccator, orando, petit vt peccator, idest, secundum peccati desiderium, non auditur a Deo, nisi ad illius vindictam. Deus enim quædam negat propitius, quæ concedit iratus, vt notat Augustinus tract. 73. in Ioannem, paulo a principio, & de verbis Domini ferm. 53. Orationem vero peccatoris, ex bono naturæ desiderio proficiscentem Deus audit, non quasi ex iustitia, quia peccator non meretur, sed ex pura misericordia: si tamen oratio legitime fiat. Nam auctore Augustino tract. 44. in Ioannem a medio, si peccatores non exaudiret Deus, frustra publicanus dixisset: Deus propitius esto mihi peccatori. Præterea peccator orans, in persona Ecclesiæ, exauditur. At Sacerdos in Missæ sacro orat ex persona totius Ecclesiæ, vt alibi docui: consequentia euidens est. Dum vero Sacerdos, hæc verba, *Nobis quoque peccatoribus*, pronunciat, 4 ex gemitu cordis in silentio, procedat gemens oris confessio: vel ex Amalar. Fortunat. lib. 3. de Eccles.

de Eccles. offic. cap. 26. Vox elata Sacerdotis in sacrificio poenitentium, designat clamorem magnum esse in corde poenitentis. Vnde August. tract. 66. in Ioannem: Quare fremuerunt? Et cum hæc dixisset, exclamauit voce magna, fremuit, lacrymauit, voce magna clamauit. Quam difficile surgit, quem moles malæ cōsuetudinis premit: sed tamen surgit occulta gratia intus viuificatus, surgit post vocem magnam. Amplius Sacerdos in verbis, *Nobis quoque*, vocem exaltans Centurionem designauit, qui visa morte Christi voce elata dixit: Vere filius Dei erat iste. *Partem aliquam & societatem donare digneris*. Oratur itaque omnipotens Deus, vt non solum defunctis, quorum commemoratio facta est: sed etiam nobis peccatoribus de multitudine miseracionum suarum sperantibus, partem aliquam & societatem donare dignetur cum suis sanctis Apostolis, Martyribus, & omnibus Sanctis, vt pro modulo nostro, auctore Alcuino d. cap. de celebratione Missæ, quem Florus in expositione Missæ sequitur, quibus nunc sociamur per communionem fidei, quorum memoriam veneramur, in quorum communionem & vnitate hæc diuina mysteria agimus; cum ipsis etiam societatem vitæ & beatitudinis æternæ in futuro assequamur. Huius societatis meminit S. Augustinus contra Faustum lib. 20. cap. 21. Populus autem, inquit, Christianus memoriam martyrum religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum confocietur, atque orationibus adiuuetur. Porro quærit Innocent. 3. lib. 5. mysteriorum Missæ cap. 8. Cum ipse Deus sit omnia in omnibus, salus & præmium & gloria 6 singulorum, quid est quod dicitur partem aliquam & societatem donare digneris, tamquā non omnes sint eundem denarium accepturi? Huic dubitationi occurrit Innocent. quod licet vnum & idem sit præmium singulorum, videlicet ipse Deus, in cuius cognitione salus æterna consistit, Hæc est vita æterna vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum Ioannis 17. tamen secundum differentiam meritorum, alij plus, alij minus diuina visione fruuntur. Nam stella differt a stella in claritate, 1. Corint. 15. Et: In domo patris mansiones multæ. Ioannis 14. Sicut vnus est sol cuius lumine participant vnuerfi, alij plus, alij minus secundum differentiam intuentium. In eandem sententiam S. August. de sancta virginitate c. 26. ait: Hic est ille denarius merces omnium, Stella tamen ab Stella differt in gloria, sic & resurrectio mortuorum. Hæc sunt merita diuersa sanctorum, ibiq. quid denarius omnibus tributus, & quid variæ mansiones in regno cælorum significant luculenter explicat. Alibi de verbis Domini ferm. 59. Quamuis, inquit, meritorum diuersitate fulgebunt, alius magis, alius minus, quod tamen ad vitam æternam pertinet, æqualis erit omnibus. Non enim alteri erit longior, alteri breuior, quod pariter sempiternum est, quod non habebit finem, nec mihi, nec tibi. Et tract. 67. in Euang. Ioannis: Alia est gloria Solis, alia Lunæ, alia Stellarum, Stella enim differt in gloria: sic & resurrectio mortuorum, tamquam Stellæ sancti diuersas mansiones, diuersas claritates, tamquam in cælo sortiuntur in regno. *Cum tuis sanctis Apostolis & Martyribus*. Hoc loco recensentur nominatim nonnulli sancti & sanctæ Dei, cum quibus societas demum haberi exposcitur. Et sicut ante consecrationem postulatur sanctorum suffragium: ita hac in parte petitur cum ipsis in cælo 7 consortium, vel vt Stephanus Eduensis cap. 17. scribit, Ante consecrationem & hic recensentur sanctorum nomina postulantes eorum intercessionem & suffragia, attendentes non numerum, sed eorum adiuuans suffragium. Ibi fit memoria beatæ Virginis, quæ omnibus sanctis præcellit, & Apostolorum & Martyrum, qui in sanguine agni dealbati sunt: vt eorū intercessione ad salutem nostram fiat ministerium. Hic sanctorum memoriam facimus, vt compatiantur nobis peccatoribus. Idem Stephanus capit. 18. Bis, inquit, recensentur in canone nomina sanctorum, quo Sacerdos reminiscatur logij & superhumeralis, in quibus scripta erant nomina patrum. Hildebertus Carnens. Episcopus.

Idem dum memorat sanctos, humerale recenset,

Quod bis sena patrum nomina scripta gerit.

Pectus enim logion, scapulas humerale tegebat

Presulis intrantis interiora sacri.

Nos etenim gerimus logion, cum nomina Patrum

Circa principium canonis exprimimus.

Nos humeralis onus gerimus, cum nomina Patrum

Hæc in parte sacri canonis inserimus.

Et omnibus sanctis tuis intra quorum nos consortium, non estimator meriti, sed venia quasumus largitor, admittite. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ, & Florus Magister in expos. Missæ,

Missæ, intra quorum consortium, vt Dei nos pietas introducat petimus, vt non nostri meriti æstimator, sed veniæ largitor, vt quia sanctorum societati per meritum non possumus, per indulgentiam coniungamur. Sane homo semper, etiam si sanctus, si iustus sit, ait Ambrosius, serm. 19. in Psal. 118. enarrans verba illa, Vocem meam exaudi, debet orare vt exaudiat eum Dominus secundum misericordiam suam, non secundum merita virtutis alicuius: quia rara virtus, multa peccata. Rogamus ergo Deum, ait Innocent. III. qui supra exigentiam meritorum retribuit, minus puniendo, vel magis remunerando. Non enim secundum peccata nostra fecit nobis Psal. 102. & Luc. 2. Mēsuram bonam & confertam, coagitatam & superfluentem dabunt in sinum vestrum. Porro animaduertendum est, Ecclesiam his verbis non negare Deum esse æstimatorem meritorum: cum & propriam meritorum cuiusque rationem habeat. S. August. tract. 67. in Euang. Ioannis, & de sancta Virginitate cap. 26. Alibi idem August. serm. 191. de tempore, damnat errorem Iouiniani, qui dicebat nullam in futuro meritorum distantiam. Verum hoc loco Deus dicitur non æstimator meriti, quia non præcise præmia tribuit iuxta merita, sed ex sua liberalitate superaddit plura. De præmio meritorum ibidem, & apud S. Thomam 1. 2. quæst. 114. *Per quem hæc omnia Domine, semper bona creas, sanctificas, viuificas, benedixit, & præstas nobis.* Hæc verba varie interpretantur Odo Cameracen. Innocent. III. Alexan. de Ales. Albertus Magnus, & Gabriel Biel lect. 60. accuratius atque congruentius longe ante eos Alcuinus Caroli Magni præceptor, in hæc verba: Per Christum Deus pater hæc omnia non solum in exordio creauit condendo: sed etiam semper creat propagando & reparando. Bona, quia omnia creata a Deo valde bona. Creata & suis conspectibus oblata sanctificat, vt quæ erant simplex creatura, fiant sacra. Viuificat, vt sint mysteria vitæ. Benedixit, omni benedictione cælesti & gratiæ accumulatur. Præstat nobis per eundem secum sanctificantem, qui nobis de corpore ac sanguine suo tam salubrem dedit refectionem, per ipsum tamquam verum mediatorem Dei, & hominum &c. Vel breuius, auctore Amalario Fortunato: Is vixit anno 812. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 26. Per quem hæc omnia semper Domine bona, scilicet quæ retro memorata sunt, creas vt sint: Sanctificas, tibi ea deputando: Viuificas, vt viuia sint: Benedixit, vt vtilia sint nobis: Et præstas ad fruendum. Sane Christus est inuisibilis Sacerdos, qui verbi sui potestate secreta, ait Eusebius Emisenus, visibiles creaturas in substantiam sui corporis transmutat, can. Quia corpus, de consecrat. dist. 2. Christus visibilis spiritus, sui operatione quod ex fructibus terræ acceptum est; Sanctificat, vt ex eo tam magnum sacramentum fiat. S. August. lib. 4. de Trinitate can. Corpus, de consecr. dist. 2. Christus hæc in corpus viuificum transire facit. Nam & Ephesinum Concil. docet nos illic recipere veram & viuificam carnem verbo æterno coniunctam, can. Necessario, de consecrat. dist. 2. & S. August. ad Hireneum: Christus etiam bona ista benedixit. Non enim omnis panis, sed accipiens benedictionem Christi fit corpus. Beda ex August. can. Non omnis de consecrat. dist. 2. Christus denique largitur & præstat ista nobis, hoc efficientia quando sumuntur, vt Christus in nobis sit, & nos in Christo. S. Hilarius lib. 9. de Trinit. Dum vero Sacerdos dicit, Præstas nobis, tum ille, tum etiam qui astant, Deo gratias agere debet, quod & Sacerdos celebrandi & sacrificij offerendi facultatem habeat, & astantes audiendi copiam: cum multi sint, qui sacrum Missæ faciendi, aut audiendi piam deuotionem habeant, & tamen vel morbo præpediti, vel in vincula coniecti, (quos consolatur Cyprianus spiritualis sui sacrificij compensatione) aut denique hæreticis persequentibus prohibiti, tanti tamq. diuini beneficiij expertes sunt. Hæretici huius sæculi rident hanc canonis particulam, eo quod post consecrationem adiecta sit, Quasi, aiunt illi, ea verba intelligi nequeant, nisi de pane, & vino. nam corpus, & sanguinem Christi non semper Deus creat. Nonnulli existimauerunt, immutatum fuisse canonem, ac quædam in eo postposita, quæ ante collocanda erant. At omnia canonis exemplaria tam vetera, quam recentia pugnat. In omnibus siquidem exemplaribus hæc particula post consecrationem exarata legitur. Maldonatus conijciebat, quod quemadmodum in ipso sacramento propter coniunctionem signi, & rei signatæ, fit communicatio idiomatum, ita etiam fieri in illis orationibus, quæ fiunt ad ipsum sacramentum, vel sacrificium propter coniunctionem tum significatorum, tum etiam temporum. Quare sicut ante consecrationem dicimus, Vt accepta habeas, & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, & illibata: cum tamen panis, & vinum non sit sacrificium illibatum, appellatur tamen, quia futurum est: ita & post consecrationem, cum Sacerdos agit gratias Deo, ob tanta, tamq. præclara beneficia, initium ducit

ducit a prima origine eius rei, ex qua fit hoc sacrificium; & agit gratias Deo, quod panem, & vinum nobis creat. Deinde sanctificet, id est consecret, benedicat, viuificet, id est faciat esse corpus, & sanguinem verum Christi; & denique præstet nobis. Ego apposite hanc clausulam in fine canonis adiectam existimo, vt initio dixi, tamquam epilogum, in quo Ecclesia breuiter, strictimq. recenset magnalia Dei in sacramento Eucharistiæ: Per Christum, per quem, hæc, has species panis, & vini, quæ in sacris altaribus consecrantur. *Semper bona creas*, initio condendo, & peragendo: *sanctificas*, vt quæ erant simplices creaturæ, fiant sacramenta: *Viuificas*, vt sicut mysteria vitæ conuertendo, & transmutando in carnem viuam viuificantem, benedicat, omni benedictione accumulatur. Gratia enim Dei præcipue in hoc opere præ ceteris relucet, & tandem præstat nobis se ipsum sub his speciebus latentem. Præbet nobis in edulium, pretium, & præmium. Ecce præclara canonis conclusio, qua ex ordine, quæ in hoc sacramento peraguntur, compressius recensentur. *Per ipsum, cum ipso, & in ipso est tibi Deo Patri omnipotenti &c.* Hæc verba antiquitus dici consueuisse in sacro Missæ canone, auctor est S. Ambrosius lib. 6. de sacramen. capit. 5. Audi, quid dicat Sacerdos, Per Dominum nostrum Iesum Christum, in quo tibi est, cum quo tibi est honor, laus, gloria, magnificentia, potestas cum Spiritu sancto a sæculis, & nunc, & semper, & in omnia sæcula sæculorum. Multus est Gabriel Biel in explicatione horum verborum. Ego pauca ex sanctis patribus afferam. S. Basilius lib. de Spiritu sancto cap. 7. Vobis porro, qui Christum diligitis, dico, Ecclesiam vtrumque harum vocum vsum agnoscescere, neutrumq. reijcere, quasi alter alterum destruat. Cum enim in vniuerso nature maiestatem, ac dignitatis excellentiam contemplamur, tribuimus illi gloriam cum patre. Rursus quum consideramus, quæ bona in nos contulerit, aut quomodo nos ipsos ad patrem adduxerit, Deoq. nos asseruerit, confitemur hoc beneficium per ipsum, & in ipso peractum esse in nobis, vt altera particula, cum quo, propria sit glorificantium: altera, per quem, sit propria gratias agentium. S. Ambrosius lib. 4. de fide capit. 4. Cum patre enim semper, & in patre semper est filius. Cum patre per distinctionem indissociabilem Trinitatis æternæ. Quæ societas ne sic intelligatur, ac si horum duorum in diuinitate esset pluralitas substantiæ, addit Ambrosius. In patre per diuinam vnitatem naturæ. Denique ex sententia Seueriani & Flori: Per ipsum, scilicet tamquam verum mediatorem Dei, & hominum: Cum ipso, tamquam æquali: In ipso, tamquam vere consubstantiali. Omnis vero honor, & gloria est Deo Patri per Filium, & cum Filio, & in Filio in vnitatem Spiritus sancti, qui ex patre, filioq. procedens vnitatem deitatis possidet. Quæ vero sequuntur per omnia sæcula sæculorum, Amen, nos supra explicauimus.

DE SIGNO CRVCIS, NEC NON
de numero & ratione signorum, quæ fiunt
super oblatam & calicem.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVINTVM.

- 1 Crucis signum adhibendum in omnibus rebus.
- 2 Crucis signum infractum est, & contra spiritualium hostium potentiam, munitissimum.
- 3 Crucis signo externa etiam pericula vitantur, eiusq. rei aliqua referuntur exempla & miracula.
- 4 Crucis signo demones fugantur.
- 5 Hæreticorum effrenata audacia, dum crucis signum muscarum flagellum appellant.
- 6 Crucis signo morbi curantur.
- 7 Crucis signum adhibetur in sacramentis Ecclesiæ.
- 8 Crucis signum quoties & quibus de causis, fiat in canone Missæ.
- 9 Passionis Christi fere singuli actus significantur, per varia crucis signa, in canone Missæ, idq. accurate explicatur.
- 10 Crucis signi forma imculente explicatur.

1 **R**. V. C. I. S. signi, quanta sit auctoritas, quanta virtus, quam antiquus usus ex antiquioribus sanctis patribus colligere licet. S. Dionys. capit. 4. 5. & 6. Eccles. hierar. docet in omnibus sacramentis adhiberi signum crucis. S. Martialis. epist. ad Burdigalen. cap. 8. Crucem Domini, in quem credidistis, Deum verum, & Dei filium, semper in mente, in ore, in signo tenete. S. Clemens lib. 3. const. Apost. cap. 16. signum crucis appellat infractum signum: quia custodia munitissima crux. Signum enim rem custodit, cui appositum, aut impressum est. Tertull. de corona militis, Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, atque exitum, ad vestitum, ad calceatum, ad mensas, ad lauacra, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quandocumque nos conuersatio exercet frontem crucis signaculo terimus. Idem Tertull. lib. 2. ad uxorem. S. Cyprianus lib. 4. epist. 6. Muniaturs frons, vt signum Dei incolome feruetur. Et lib. de lapsis circa principium, Frons, cum signo Dei, pura, diaboli coronam ferre non potuit, coronam se Domini reseruauit. Idem Cyprianus in lib. aduers. Iudaeos cap. 16. ad finem: Item, hic est lapis, quo Dauid frontem Goliath percussit, & occidit: significans diabolum, & seruos eius inde prosterni, victa scilicet ea capitis parte, quam signatam non habent: quo signo nos & tuti semper sumus, & viuimus. & eod. lib. cap. 21. Hoc signo crucis & Amalech victus est ab Iesu. Item in lib. de aleatoribus, obiurgas eos, qui ex clero aleatores sunt: Quid illius est, quaso fideles, vt manus quae tam ab iniurijs humanis expiata est, & ad sacrificium Dominicum admissa, & quod ad salutem totius hominis pertinet, dignatione suscipit: quae signum crucis, per quod tuemur, frontibus imprimit, &c. S. Basil. lib. de Spiritu sancto capit. 27. Dogmata quae in Ecclesia praedicantur, quaedam habemus, edoctrina scripto prodita: quaedam rursus, ex Apostolorum traditione, in mysterio, idest, in occulto tradita, recipimus: quorum vtraque, parem vim habent ad pieratem. Et paulo post: Quod genus est, vt eius quod primum est, & vulgatissimum, primo loco commemorem, vt signo crucis, eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus, quis scripto docuit? Quae verba repetuntur ab Augustino in lib. ex dictis Basilij de Spiritu sancto, & cano. Ecclesiasticarum distinct. 11. Origenes homil. 8. in diuersos Euangelij locos, Immortale lauacrum portemus in frontibus nostris. Cum viderint daemones contremiscent, qui aurata capitolia non timent, crucem timent. Et paulo post: Cruces non solum in frontibus, sed in animabus quoque nostris habere debemus, vt cum sic fuerimus armati calcemus super aspidem, & basiliscum in Christo Iesu. Gregorius Nazianz. matrem, quae inedia permultos dies laborabat, nec huius mali remedium reperiebat, panibus benedictis, atque crucis signo consignatis educatam & nutritam, sicq. conualuisse, ac vires collegisse testatur orat. 19. partim funebri. Idem Gregor. orat. 3. quae & prima aduersus Iulianum, narrat Iulianum, & si cruci Christi pertinaciter infensum, nihilominus aduersus terrores, & spectra, cruce se signasse. Quod & Sozomenus lib. 5. histor. eccl. cap. 2. commemorat, additq. Christianos in grauibus periculis constitutos, cruce se signare conueuisse. Theodosius, signo crucis se muniens, signum praelio dedit, ac se in bellum victor futurus immisit. Paul. Oros. lib. 7. cap. 35. & Paul. Diaconus, lib. 12. Arnobius ad Psal. 144. Docuit, inquit, Dominus digitos nostros ad bellum, siue visibilibus, siue inuisibilibus senserimus hostium, nos digitis armemus frontem, triumpho crucis. Lactantius lib. 4. capit. 26. monet, Christum ijs omnibus prodesse qui signum crucis in fronte descripserint, & plenius cap. 27. S. Ambros. lib. de Isaac & anima cap. 8. Signaculum Christus in fronte est, signaculum in corde: in fronte, vt semper confiteamur: in corde, vt semper diligamus: signaculum in brachio, vt semper operemur. Et ferm. 43. Debemus ergo surgentes, Christo gratias agere, & omne diei opus, in signo facere. Saluatoris, &c. S. Chrysost. orat. aduersus gentiles, Quod Christus sit Deus: Subinde omnes cruce se signant, inscribendo, in nobilissimum membrum nostrum. In fronte enim nostra, quasi in columna quotidie figuratur. & homil. 88. in Matthaeum, docet signum crucis imprimendum pectori, ad cohibendos & continendos turbatos animi motus, & effrenatos concupiscentiae impetus. S. Hieronymus epist. 27. cap. 10. Eustochium, inquit, Paulae matris os stomachumq. signabat, & matris dolorem, crucis impressione, nitebatur lenire. & cap. 13. Morti vicina Paula, crucis signum pingebat in labijs. & epist. 8. ad Demetriadem cap. 6. Claudiae cubiculum pectoris, & crebro signaculo crucis, munit frontem tuam. Et epist. 22. ad Eustochium capit. 16. Ad omnem actum, ad omnem incesum, manus pingat crucem. & in vita Pauli Eremitae, Viso hipocentauro Paulus Eremita, salutaris impressione signi, armat frontem. S. August. ferm. 19.

ferm. 19. de Sanctis: Hoc, scilicet crucis, signum ad coronam peruehit, hoc maleficia destruit, & omnia daemorum machinamenta ad nihilum redigit. Et quod faciebat in terris corporis Christi praesentia, hoc facit, cum fidei inuocatione nominis Christi, victoriosa crucis insignita memoria. Prudentius in hymno ante somnum:

*Fac, cum vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locumq. cordis,
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen:
Fugiant crucem tenebrae.
Tali dicata signo,
Mens fluctuare nescit.*

B. Ephrem, lib. de poenitentia cap. 3. Pingamus, inquit, in ianuis, atque in frontibus nostris, & in ore, & in pectore, atque in membris omnibus, viuificum signum: armemur insuperabili hac Christianorum armatura. Et lib. de armatura spiritali capit. 2. Sicut vice crucis signo, te ipsum muni. Validissima enim armatura est. Porro huius signi variae virtutes, innumeraq. miracula leguntur. Primum hoc signo daemones terrentur, & profligantur. 4. Gregorius Nazianz. oratio. 3. de Iuliano loquens terrore a daemone: Valuit signaculum, inquit, cedunt daemones, pelluntur timores, & quae sequuntur. Tunc, inquit, Theodoretus lib. 3. cap. 3. & in histor. tripart. lib. 6. cap. 1. daemones, trophaei Domini figuram respicientes, & sua recordati deuotionis, repente disparuerunt. Cornel. Papa epist. ad Fabianum, quae extat apud Eusebium lib. 6. cap. 33. affirmat Nouatianum a daemone raptum, quod non recepisset in fronte, signaculum Christi. Gregorium Neocæsariensem, saepe signo crucis daemones profligasse, prodidit Gregor. Nyssenus in eius vita. S. Antonium frequenter crucis signo daemones vicisse & fugasse auctor est Athanasius in vita illius. S. Hiero. in Psal. 85. muniaturs crucis tuae signo, quod videntes potestates aduersae, fugiant confusae, & discedant a me. S. Ephrem lib. de vera poenitentia: Hanc, o Christiane, armaturam, diebus singulis, & noctibus, horis, atque momentis in omni loco circumferre non desinas, nihilq. sine ipsa perficias: sed siue dormias, siue iter agas, siue euigiles, siue operi insistas, siue manduces, siue bibas, siue maria nauiges, siue flumina transmittas, hac te lorica circumtege, membraq. tua omnia salutari signo exorna, atque circumsepi, & non accedent ad te mala. Hoc enim signo circumspecto aduersariae potestates conterritae tremantesq. recedunt. Cyrillus Hierosol. Catechesi 4. Quod si aliquis id occultet, tu manifeste signa te fronte, vt daemones signum regis videntes tremantes procul fugiant. Fac autem hoc signum & manducans, & bibens, & sedens, & stans, & loquens, & ambulans, & in omni negotio tuo. Idem Cyrillus Catechesi 13. signum crucis, appellat signum fidelium, & timorem daemorum. Guillelmus Neubringens. de rebus Angl. lib. 2. cap. 21. meminit cuiusdam religiosi hominis, qui Ketellus vocabatur. Is crucis signo vbique se muniebat. Quandoque tamen oblitus ab Angelo reprehensus fuit, atque admonitus, ne in posterum insidiantes hostes inermem eum inuenirent: quasi inermis sit, qui crucis signo nudatus est. In summa ait S. Athanas. lib. de incarnatione verbi, Signo crucis, magica omnia compescuntur, veneficia inefficacia sunt, idola vniuersa deseruntur, omnis irrationabilis voluptas conuiescit. Haeretici huius saeculi, 5. signum crucis execrantur, flagellum muscarum appellantes, vsumq. illius ad magiam impie referunt. Sane ex Athanasio magica omnia signo crucis compescuntur, illudq. signum; muscas Aegyptias (a quibus princeps daemorum appellatus est Beelzebub, qui interpretatur idolum muscarum; aut vir muscarum a S. Hiero. in Eccles. cap. 10.) repellit, fugat & auertit. Rursus signo crucis, grauios morbos saepe curatos veteres Patres testantur. S. Chrysost. hom. 55. in Matthaeum: Hoc signum, & priscis, & nostris temporibus venenorum vires extinxit, hoc feroces bestias repressit, hoc letales serpentum morius curauit. S. August. quandam religiosissimam feminam de primarijs ciuitatis, quae in mammae cancro habebat, rem, sicut medici dicunt auctore Augustino, nullis medicamentis sanabilem, signo crucis sanatam testatur. Zonaras lib. 3. Annalium circa annum 596. Turcas dum graui fame premerentur, a quodam Christiano edoctos signum crucis sibi impressisse eorumq. neminem fame perijisse. Legimus S. Apollinarem S. Petri discipulum, caecum signo crucis illuminasse. Ado Treuerensis 10. Kalend. Augusti. Item Teclama Paulo Apostolo edoctam auctore Ambros. lib. 2. de virginibus, e rogo, & medijs flammis signo crucis illatam

illam euasiffe. Auctor est idem Ado Treuerens. 9. Kalend. Octobr. Qui & alia miracula commemorat, de Alexandro VI. Kalend. Decemb. Sancto Laurentio 4. Idus Augusti, Iustina Virgine 6. Kalend. Octobr. Petro Exorcista 4. Non. Iunij, & alia innumera. Donatum Euorcae in Epiro Episcopum, crucis signo ingentem draconem interfecisse prodiderunt. Sozo. lib. 7. cap. 25. & Nicephor. lib. 12. cap. 45. Sanctus Benedictus crucis signo, veneni vim superat S. Gregor. lib. 2. dialog. cap. 3. Extant & alia crucis signi miracula apud Metaphrastem, & Gregor. Turonensem. Praecipue vero crucis signi virtus elucet in Ecclesiae mysterijs & sacramentis. S. Cypria. lib. de baptismo Christi: In cruce Domini gloriamur, cuius virtus omnia peragit sacramenta: sine quo signo nihil est sanctum, neque aliqua consecratio meretur effectum. S. Chrysof. homil. 55. in cap. 16. Matthaei: Hoc signo crucis consecratur corpus Dominicum, sanctificatur fons baptismatis, initiantur etiam presbyteri, & ceteri gradus Ecclesiastici, & omnia quaecumque sanctificantur, hoc signo Dominicae crucis, cum inuocatione Christi nominis consecrantur. Id ipsum S. August. serm. 18. de tempore capit. 3. Idem August. serm. 19. de Sanctis. Hoc signum praesidium est amicis, obstaculum est inimicis: huius crucis mysterij rudes catechizantur. Eodem mysterio fons regenerationis consecratur, eiusdem crucis signo per manus impositionem baptizati, dona gratiarum accipiunt. Cum eiusdem crucis caractere basilicae dedicantur, altaria consecrantur, altaris sacramenta cum interpositione Dominicorum verborum conficiuntur, Sacerdotes & Leuitae per hoc idem ad sacros ordines promouentur, & vniuersaliter omnia ecclesiastica sacramenta in huius virtute perficiuntur. Idem August. tract. 18. in Euangel. Ioannis: Quid est, quod omnes nouerunt signum Christi, nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur, siue frontibus credentium, siue ipsi aquae, qua regenerantur, siue oleo, quo Chrismate vnguntur, siue sacrificio, quo aluntur, nihil eorum rite perficitur. Quod vero pertinet ad signorum numerum August. in lib. ex dictis Basilij de Spiritu sancto cap. 20. d. can. Ecclesiasticarum. Quae enim, vt inde exordiamur, inquit, salutiferam crucis signaculo fideles docuit insigniri, vel quae trifariam digesta super panem, & calicem prolixae orationis, vel consecrationis verba commendauit. Plane in canone septem vicibus super oblatam, & calicem, crucis signum fieri solet, ex Apostolicae sedis institutione, non quidem ad consecrationem, cum & post consecrationem fiat: sed ad commemorandam veritatem crucis, & passionis Christi. Quid enim, ait Iuo Carnoten. serm. de conuenientia veteris, & noui testamenti, inter ipsa mysteria rebus sacratissimis, vel sacrandis signum crucis superponere, nisi mortem Domini commemorare? Est autem passio Christi quibusdam quasi gradibus peracta, ait Thomas 3. par. quaest. 83. artic. 5. Itaque prima vice signum crucis fit ter, dum dicitur: Haec dona, haec munera, idque nonnullis rationibus, quas eo loco percurramus. Secunda quinquies, dicendo: Quam oblationem, vt ibi latius docui. Tertia bis fit crucis signum, semel in consecratione corporis, semel item in consecratione sanguinis vbi vtrouique dicitur: Benedixit, idque auctore S. Thoma quaest. 83. artic. 6. ad representandam praesignationem passionis Christi factam in cena. Amalar. Fortunat. lib. 3. de Eccles. offic. cap. 24. Existimat hac in parte non abs re bis fieri crucis signum, quia pro duobus populis fixus est Christus. vel ex sententia Alexandri de Ales 4. par. quaest. 33. quia Christi passione duplex hominis natura corpus, & anima redempta est. Quarta quinquies, dum dicitur: Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitae aeternae, & calicem salutis perpetuae. Tres scilicet, auctore Micrologo de Ecclesiast. obseruat. c. 15. super vtrumque, quarta super panem, & quinta super calicem separatim: idque ex sententia Innocentij III. lib. 5. cap. 11. Thomae d. quaest. 83. propter quinque plagas, duas manuum, totidemque pedum, & vnam lateris, de quibus ibidem latius. Cum vero inquit Iuo epist. 233. cum hostia iam consecrata intra, vel supra calicem signum crucis imprimitur a latere calicis Orientali vsque ad Occidentalem, & Septentrionali vsque ad Australem hoc figurari intelligimus, quod ante passionem Dominus discipulis suis praedixit in commendationem suae passionis: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum. Hostia quoque, quae iuxta calicem consignatur, sic debet esse posita, vt sua & calicis positione dextrum Christi latus representet, de quo manauit sanguis redemptionis & aqua baptismatis, quae vtraque in calice contineri prudentia vestra non ignorat. Quinta in his verbis, Corpus & sanguinem sumptimus. Innocent. III. bis fieri signum crucis scribit cap. 11. alibi cap. 5. Thomas vero ter, ad significandum extensionem corporis, effusionem sanguinis, & fructum passionis. quod plenius enarrat Gabriel Biel super cano. Missae lect. 55. Sexta ter, vbi

ter, vbi dicitur sanctificas, viuificas, benedicas, ad commemorandam, auctore Innocent. crucifixionem, quae hora tertia facta est linguis Iudaeorum ter clamantium, Crucifige, & rursus, Tolle. vel secundum Thomam, triplicem orationem Christi in cruce. Primam, Pater ignosce illis pro persecutoribus: secundam, Deus meus, vt quid dereliquisti: tertiam, Pater in manus tuas. Septima secundum Innocent. & Alex. de Ales. quinquies dicitur per ipsum, cum ipso, & in ipso, ter super calicem, propter tres cruciatus, quos Christus sustinuit passionis, propassionis, & compassionis, & bis in latere calicis propter aquam, & sanguinem, quae de latere Christi fluxerunt. Paulo aliter S. Thomas. de his latius Gabriel Biel lect. 62. super can. Missae. Haec de virtute, & efficacia signi crucis, ac numero, & ratione signorum, quae fiunt super oblatam, & calicem. Superest vt de forma huius signi, eiusque mysterio paucis agamus. In primis crucis signum manu effingi solet. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 13. Cum enim de Domino, inquit, cruceque contra infideles tibi quaestio erit, prius statue manu tua signum, & obmutescet contradicens. Manu vero dextera exprimi debet. Iustinus Martyr ad Orthodoxos in respons. ad q. 118. Quemadmodum dextera manu in nomine Christi consignamus, qui hoc signo egent, quia honorabilior existimatur, quam sinistra, tamen si situ, non natura ab eo differt: manu item plena crucis signum formari solet, hoc est quinque digitis, ad quinque vulnera Christi significanda. Quidam tribus digitis signum effingunt, quia, auctore Innocentio III. lib. 2. mysteriorum Missae cap. 45. sub inuocatione Trinitatis effingitur. Sunt qui, duobus digitis coniunctis, se consignat: quo indicent duas in persona Christi naturas, contra Monophysitas, qui quo vnicam in Christo docerent naturam, vno digito se consignabant. Nicephor. lib. 18. cap. 53. Formando autem signum crucis dicitur: In nomine patris, non in nominibus: vnum significans nomen, vnam virtutem, vnam diuinitatem sanctissimae Trinitatis. Proprietates personarum in ipso signo indicantur: dum pater in fronte, tamquam principium Trinitatis collocatur: filius circa ventrem, quia a patre genitus, a patre item missus in vterum Virginis, in ventre ipso terrae sepultus: Spiritus sanctus medium obtinet locum, tamquam charitas ac nexus patris, & filij: tertio tamen loco, quia a patre filioque procedit. Formatur autem signum crucis, ita quod a superiori descendat in inferius, & a dextera transeat ad sinistram, quia Christus de caelo descendit in terram, & a Iudaeis transiit ad gentes. Innocent. III. lib. 2. mysteriorum Missae cap. 45. Archidiac. & Dominicus de sancto Gemin. in can. Ecclesiast. distin. 11. Quidam tamen, addit Innocent. signum crucis a sinistra producant ad dexteram, quia & de miseria transire debemus ad gloriam, sicut & Christus transiit de morte ad vitam, vel quia ex latere sinistro Dominica cruce & passione translati sumus ad dextrum, id est ex haereticis facti oves, ex reis aeternae damnationis, heredes aeternae vitae. Hanc sententiam sequuntur glos. in can. Numquid de consecrat. distin. 5. & de Turre cremata in d. can. Ecclesiasticarum, eamque Romana probat Ecclesia, vt apparet in rubricis generalibus Breuiarij Romani.

DE ORATIONE DOMINICA.

CAPVT QUADRAGESIMVM SEXTVM.

- 1 Oratio Dominica appellata a Patribus legitima, item caelestis.
- 2 Orationem Dominicam in Missa sacrificio dicendam Christus instituit, licet non semper eodem loco sit recitata.
- 3 Orationem Dominicam in Missa sacrificio recitari debere agnoscunt Patres omnes.
- 4 Oratio Dominica clara voce dicenda, quia publica & communis oratio.
- 5 Orationis Dominica commendatur auctoritas, & breuitas, perfectio, ac necessitas.
- 6 Orationem Dominicam recitantes facilius exaudimur, dum filij verbis apud patrem utimur.
- 7 Oratio Dominica dici potest Euangelij breuiarium.
- 8 Oratio Dominica leuiora delet peccata.
- 9 Orationem Dominicam Christiani omnes scire, & frequenter dicere debent.
- 10 Orationem Dominicam parentes filios docere debent.
- 11 Oratio alia, quam Dominica an possit recitari ex Augustino.

RATIO, quae passim a sanctis Patribus Dominica appellatur (quia a Christo Domino composita & edocta fuit) a quibusdam legitima nominatur. Tertull. lib. de fuga in persecut. ibi, Sed in legitima oratione cum dicimus ad patrem: Et ne nos inducas in tentationem. S. August. ser. 126. de tempore: Moneo vos chatissimi, ut precem legitimam patri, & Deo offerendam ante discatis. Appellatur & caelestis ab eodem Aug. d. serm. 126. **O** vere caelestis oratio. Nam vero in Missa sacro dicendam Christus ipse Apostolos docuit, auctore Hieronymo lib. 3. aduer. Pelagianos. Sic docuit Christus, inquit, Apostolos suos, ut quotidie in corporis illius sacrificio credentes, audeant loqui, Pater noster, qui es in caelis. Eodem pertinere videtur, quod Tertull. scribit lib. de orat. cap. 9. in haec verba: Praemissa legitima & ordinaria oratione, quasi fundamento accidentium, ius est desideriorum, ius est superstruendi extrinsecus petitiones. Inde, testante S. Gregor. lib. 7. epist. 63. mos fuit Apostolorum ad ipsam orationem Dominicam immolationis hostiam consecrare. Deinde Ecclesia post consecrationem & canonem, hanc Dominicam & caelestem orationem dici praecipit. S. Ambros. lib. 5. de sacram. capit. 4. Dixi vobis quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur: vbi Christi verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed Christus appellatur. Quare ergo in oratione Dominica, quae postea sequitur ait, Panem nostrum? Quod totidem fere verbis repetit S. August. serm. 28. de verbis Domini. Idem August. serm. in vigil. Pascha. Ecce vbi peracta est sanctificatio, dicimus orationem Dominicam, quam accepistis. Item lib. quinquaginta homiliar. hom. 42. In Ecclesia enim ad altare Dei quotidie dicitur ista oratio Dominica, & audiunt illam fideles. & epist. 59. quaestio. 5. ad Paulinum enarrans verba Pauli 1. Timot. 2. Obsecro primum omnium fieri obsecrationes &c. Multa, inquit, hinc quippe dici possunt, quae improbanda non sunt: sed eligo in his verbis hoc intelligere, quod omnis vel pene omnis frequentat Ecclesia, ut precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione sacramentorum, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes cum benedicuntur & sanctificantur, & ad distribuendum comminuitur: quam totam petitionem fere omnis Ecclesia Dominica oratione concludit. Synesius item qui vixit anno 444. libro de regno: Et sacra, inquit, in sanctis sacrificijs preces, pater noster exclamantes ad Deum, in omnibus non potentiam ipsius glorificant, sed prouidentiam adorant. Itaque eripiendus est error eorum, qui scriperunt Gregorium auctorem fuisse dicendi orationem Dominicam in Missa sacro, cum id a Christo institutum fuerit, & ab Apostolis, eodem Gregor. teste, nec non ab alijs Patribus, qui longo interuallo Gregorium praecesserunt, studiose obseruatum. Ceterum haec Dominica oratio in Missa sacro non tacite, sed excelsa voce dicenda est. Amalar. Fortun. lib. 3. de Ecclesiast. offic. cap. 29. ea ratione, quod haec oratio publica & communis sit. Inde Cyprianus de orat. Dominica: Ante omnia pacis doctor atque vnitatis magister singillatim noluit, & priuatim precem fieri, ut quis cum precatur, pro se tantum precetur. Non enim dicimus, pater meus qui in caelis es, nec panem da mihi hodie, nec dimitti sibi tantum vnusquisque delicta postulat, aut ut in tentationem non inducatur, atque a malo liberetur, pro se solo rogat. Publica est nobis & communis oratio: & quando oramus non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnus sumus. Plane haec Dominica oratio longe multumque praestat omnibus alijs orationibus auctoritate, breuitate, perfectione, vtilitate, efficacia, & denique necessitate. Auctoritate, quia Christus ipse eam & composuit, & docuit. Tertull. de orat. Quid mirum? Deus solus docere potuit, ut se vellet orari. Ab ipso, igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius iam tunc, cum ex ore diuino ferretur animata, suo priuilegio ascendit in caelum, commendans patri, quae filius docuit. Item Cypr. de orat. Dominica: Qui enim fecit viuere, docuit & orare, ut dum prece & oratione, quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius exaudiamur. Et postea, Agnoscat pater filij verba, cum precem facimus. S. Chry. hom. 14. in Mattheum, Cognoscat pater filij sui sensus & verba. Breuitate, nam ut idem Cypr. monet, ipsa est oratio, quam ipse Deus orare docuit, qui suo magisterio omnem precem nostram salutari sermone breuiavit, tanquam sit sermo de quo dixit Esaias c. 10. Sermonem breuiatum faciet Dominus in toto orbe terrae. & S. Aug. de verbis Domini ser. 28. Vides quam breuis oratio & omnium plena virtutum. & ser. 182. de tempore. Haec oratio compendiosis verbis septem petitionibus, omnes species orationis complexa habet. Christus breuiter orare docuit, qui cito vult postulara praestare. Haec Petrus Chrysol. ser. 67. Varias huius breuitatis causas paucis verbis percipiet Alex. de Ales par. 4. q. 37. Illius breuitate,

breuitate, ait ille, facilius scitur, melius retinetur, frequentius iteratur, minus fastidit orantem. cito exaudiri innuit, plus effectum quam ore orandum esse insinuat, ignorantem incusat. Perfectione, quia omnia continet, quae petere debemus. S. August. epist. 121. ad Probam c. 11. Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil inuenies, quod non ista Dominica contineat, & concludat oratio. & alibi serm. 22. ad fratres in Eremito. In ea omnes species orationis comprehenduntur. Immo, ut ait Tertull. lib. de orat. cap. 1. ad finem, nedum venerationem Dei, aut hominis petitionem complexa est, sed omnem sermonem Domini, omnem commemorationem disciplinae, ut reuera in ea oratione breuiarium totius Euangelij comprehendatur. Tam multa, tam magna, ait Cypria. de orat. Dominica, sunt orationis Dominicae sacramenta breuiter in sermone collecta: verum in virtute spiritualiter copiosa, ut nihil omnino praetermissum sit, quod non in precibus, & orationibus nostris caelestis doctrinae compendio comprehendatur. Vtilitate, cum habeamus, inquit Cyprianus, apud patrem aduocatum pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, aduocati nostri verba promamus. Nam cum dicat, quia quodcumque petieritis a patre in nomine meo, dabit vobis, quanto efficacius impetramus quod petimus in Christi nomine, si petamus ipsius oratione? S. August. lib. quinquaginta homiliarum homil. 42. Spem habemus obtinendae causae nostrae, quando talis iurisperitus nobis preces dictauit, qui sedet ad dexteram patris. Ipse est aduocatus noster, qui venturus est iudex noster. Sane haec oratio delet peccata minima, quae venialia dici solent, Concil. Tolet. 4. cap. 9. S. August. in Enchirid. ad Lauren. cap. 7. De quotidianis autem, leuibnsq. peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio satisfaciet. Et paulo post: Delet omnino haec oratio minima, & quotidiana peccata: delet & illa, a quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed poenitendo in melius mutata discedit. Idem lib. 1. de ciuitate Dei cap. 27. Delet quotidiana peccata. Magister sentent. lib. 4. distinct. 16. vbi Bonauentura, & nonnulli alij. Necessitate, eam enim Christiani omnes scire, & frequenter dicere debent. Clemens lib. 7. constitut. Apostolicarum cap. 25. monet Christianos, eam ter in die dicere. In Concil. Toletano 4. can. 9. iubentur presbyteri, ac ceteri clerici Dominicam orationem, quia quotidiana oratio est, quotidie dicere. In Concil. Remensi capit. 2. Ut orationem, quam Dominus noster Iesus Christus discipulos suos orare docuit, discerent, & sensu bene intelligerent, quia illam ignorare nulli Christiano licet. S. August. serm. in Dominica 10. de Christiano nomine tomo 10. Symbolum, vel orationem Dominicam, & ipsi tenete, & filijs vestris ostendite. Nam nescio, qua fronte Christianum se dicat, qui paucos versus in symbolo, vel oratione Dominica parare dissimulat. Et serm. 2. in eadem Dominica. Ille bonus Christianus est, qui symbolum, & orationem Dominicam memoriter tenet, & filios, & filias suas, ut ipsi teneant, fideliter docet. his adde cano. Vos ante omnia, de consecrat. distinct. 4. Paluda. ad 4. sentent. distinct. 15. quaest. 5. Medinam de orat. tract. 6. quaest. 10. Plane in fine omnium horarum canonicarum orat. Dominica, quam deuotissime recitari debet. can. Id. semper de consecrat. dist. 5. ex Concil. Germidensi can. 10. Ludou. Romanus sing. 52. In principio quoque horarum cum salutatione euangelica dici debet, ut apparet ex Rubricis generalibus Breuiarij Romani, de quo plura Nauarrus lib. de orat. & horis canonicis cap. 10. & Francolinus de tempore horarum canonic. capit. 28. Hoc loco iniicitur nonnullis scrupulus, & dubitatio: Num alijs verbis aliaque oratione Deum precari liceat? Huic dubitationi duobus fere verbis occurrit S. August. epist. 121. ad Probam capit. 12. Liberum quidem est alijs orare verbis: modo tamen eadem quae hac oratione continentur petamus, sed alia orare liberum non est. Sane Apostolorum saeculo vsitatae orationes praeter Dominicam, aperte indicat S. Paulus 1. ad Timot. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus, & pro regibus. Ecce tum varia orationum genera. Hunc locum enarrans Chrysostomus ait, Quid est hoc primum omnium, hoc est, in cultura quotidiana, & hoc primum sciunt presbyteri, qualiter orationes per vnamquamque diem fiunt, & sero, & mane. Isid. item lib. 1. de Diuin. offic. cap. 9. Precibus Dominum deprecari Christus nobis, & composuit, & constituit. Cum ergo quaerent Apostoli Dominum supplicare, & nescirent, quomodo deprecarentur: dixerunt, Domine, doce nos orare. Statim Dominus de libro iuris caelestis docuit, quomodo orarent. Ex hoc producta est consuetudo Ecclesiae, Dominum precibus exposcere contra aegritudines animae, & uti precibus, instar earum, quas constituit Christus.

DE PRAEFATIONE AD ORATIONEM
Dominicam, Præceptis salutaribus.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

*Dominica orationis praefatio quam sit antiqua.
Præcepta, & monita salutaria quae dicantur.*

PRAEFATIO hæc vetustior est, quam plerique arbitrantur. Eius diferte meminit Alcuinus, Caroli Magni præceptor, his verbis, Oremus præceptis salutaribus moniti. Hoc enim præceptum nobis est salutare, idest, ad salutem nostram proficiens, quo nos vnigenitus Filius per lauacrum regenerationis, & spiritum adoptionis Dei filios effectos dicere monuit, & non humana, sed diuina sua institutione, vt Deo audeamus dicere, Pater noster, informauit dicens, Sic vos orabitis, Pater noster &c. Item Amalarius Fortunatus lib. 3. cap. 29. quæ oratio sic inchoatur, Oremus præceptis salutaribus moniti, & diuina institutione formati audeamus dicere. Præcepta salutaria dicimus Euangelicam doctrinam, dicimus institutionem, traditionem, quam ipse dignatus est tradere, in conficiendo sacramento corporis, & sanguinis &c. Illius quoque meminerunt Odo Cameracensis, & Florus Magister in exposit. Missæ, nec non S. Bernard. lib. de amore Dei capit. 7. At verius est, hanc præfationem acceptam ferre S. Cypriano, tractatu de orat. Dominica. Qui inter, inquit Cyprianus, cetera salutaria sua monita, & præcepta diuina, quibus populo suo consuluit ad salutem, etiam orandi ipse formam dedit. Et postea: Quod nomen nemo nostrum in oratione auderet attingere, nisi ipse nobis sic permisisset orare, &c. Hunc vero tractatum esse S. Cypriani, probat August. epist. 47. & 107. Et lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 13. & lib. 2. contra Iulianum, & lib. de bono perseuerantiæ cap. 2.

DOMINICAE ORATIONIS ENARRATIO.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

- 1 Patris appellatio est tum potestatis, tum etiam pietatis.
- 2 Pater in oratione Dominica licet primam Trinitatis personam designet, credentis tamen fide tota Trinitas in hac appellatione honoratur.
- 3 Patrem vocamus Deum varijs de causis, quæ ex scripturis, & Patrum testimonijs petite enumerantur.
- 4 Spes nostra in Deum erigitur, dum se patrem vult potius, quam Dominum vocari.
- 5 Christiani, qui Deum profitentur Patrem, debent bene viuendo se filios ostendere, vt congruis moribus, & vite honestate tanto generi respondeant.
- 6 Mala qui perpetrat, diabolum patrem inuocat.
- 7 Deum, patrem habere nemo potest, qui Ecclesiam non habet matrem.
- 8 Veritatis, pacis, & charitatis significationem Christus reliquit in oratione.
- 9 Orare pro se, naturale, pro alio, gratiæ & charitatis.
- 10 Diuites quàm se debeant erga pauperes modeste gerere, cum omnes communem habeant patrem Deum.
- 11 Celestem inuocamus Patrem, vt despectis terrenis curis celestibus potius inherere discamus.
- 12 Cælum ibi est, ubi cessat culpa.
- 13 Deus cum ubique sit, qua tamen ratione eum dicamus esse in cælis.
- 14 Dei gloriam utilitati propria præferre debemus.
- 15 Sanctificetur, optantis vox est, eaq. optamus, vt in nobis nomen Dei sanctificetur, & quid sit sanctificari in hominibus Dei nomen.
- 16 Auctoris ad Deum pia supplicatio.
- 17 Regnum Dei quoddam sit intelligendum in oratione Dominica, an nimirum gratiæ, vel gloriæ possessio.

Animas

- 18 Animas sanctorum non frui beatitudine ante diem iudicij, erroneum est: nec simile quid definitum fuit, a Ioanne 22.
- 19 Voluntas Dei duplex a Theologis assignatur, beneplaciti nimirum, & signi & vtraque declaratur.
- 20 Voluntas diuina nobis per quinque signa innotescit.
- 21 Voluntas signi est, quam in oratione Dominica fieri postulamus.
- 22 Voluntas Dei fit cum obeditur eius præceptis.
- 23 Homo sine Deo non sanctificatur, nec Deus hominem sine homine beatitudine donat.
- 24 Cælum & terra qua sibi proportionem respondeant in oratione Dominica, & quid significant.
- 25 Sicut, vox est in oratione Dominica non equalitatem, sed imitationem quandam significans.
- 26 Panisne corporalis tantum, an vero etiam spiritualis petatur in Dominica oratione, exponitur prolixè.
- 27 Panis, quem petimus, noster nuncupatur, quia alijs est etiam in necessitate communicandus, & sine proximi iniuria querendus.
- 28 Quotidianus a Deo petitur panis, hoc est necessarius tantum & non superfluous, qualem permulti saluti sue immemores habent inter mundi huius delicias.
- 29 Eucharistia etiam panis est, aut esse debet quotidianus.
- 30 Panis non ab alio quàm a Deo petendus, sine quo inanis est omnis labor noster.
- 31 Benedicendi mensam ante cibum, & gratias agendi post cibum consuetudo est, per quam laudabilis.
- 32 Panis spiritualis quis dicendus.
- 33 Hodie, quam habeat significationem in oratione Dominica exponitur, ubi etiã obiectionibus occurritur.
- 34 Peccata appellantur debita, eiusq. rei causa inquiritur.
- 35 Peccata dimittere propria auctoritate solius est Dei.
- 36 Peccatorem merito se homo agnoscere debet, qui pro peccatorum remissione quotidie orat.
- 37 Baptizati soli iure Deum, patrem nominare possunt.
- 38 Pectus tundere Christiani solebant, dum dicebant, Dimitte nobis debita.
- 39 Peccatorum veniam postulans a Deo, pronus & ipse debet esse ad misericordiam erga proximum.
- 40 Odium in animo contra proximum retinens, non debet propterea ab oratione Dominica abstinere.
- 41 Sicut hoc loco quemadmodum accipiendum sit.
- 42 Inimicis etiam non rogantibus veniam, est condonandum.
- 43 Avaritia ad peccatorum remissionem obtinendam necessaria.
- 44 Inimicis non solum condonanda iniuria est, sed & signa aliqua amoris sunt ostendenda.
- 45 Tentare quid sit, & quibus modis tentatio contingat, quæ item tentatio bona sit, quæ vero mala & non a Deo.
- 46 Tentationis significatio declaratur, & quo tendat illa Dominica orationis de tentatione petitio.
- 47 Deus qua ratione inducat homines in tentationem.
- 48 Tentatio quæ vel optanda, vel querenda.
- 49 Mali nomine quid intelligendum sit in Dominica oratione.
- 50 Locus ille Matth. 5. exponitur ex τὸ πῶντος ἐστίν.
- 51 Orationis Dominica clausula illa, quia tuum est regnum, a quibus addita sit.
- 52 Orationis Dominica compendium ex Tertulliano.

Pater. Appellatio ista & potestatis est, & pietatis. Tertul. lib. de oratione cap. 20. Maximam Dei benignitatem, ait Cyrillus Catechesi quinta mystagogica, his, qui defecerant ab illo, & in extrema inciderant mala, tantam præstitit malorum obliuionem, & gratiæ participationem, vt patrem se appellari voluerit. Porro hæc vox, Pater, hoc loco significat primam personam in Trinitate, Tertul. lib. de oratione. Cyprianus ferm. de oratione Dominica. Ambros. lib. 5. de sacramentis cap. 4. Augustinus ferm. de tempore 126. Verum Tertull. auctore de oratione cap. 2. In patre inuocatur filius. Marcellinus Papa epist. 1. Sacrificium, inquit, quod a Christianis sacris altaribus admouetur non solum Deo Patri, sed etiam filio communi deuotione offertur: quoniam nec patri sine filio potest offerri, neque filio sine patre sacrari. Inuocatur etiam Spiritus sanctus, quia trium personarum vna est essentia, vna est diuinitas, æqualisq. potestas. Sanctus Fulgentius lib. 2. quæst. 1. ad Vnum: Ecce amicorum Dei sacrificio prorsus Ecclesie Catholice concordat oblatio, quæ sic sacrificat Patri, vt simul omni sacrificet Trinitati. Et postea: Si qui vero, inquit, Catholici fideles huius sacramenti nunc vsque videbantur ignari, deinceps scire debent omne cuiuslibet honorificentie, & sacrificij salutaris obsequium, & Patri, & Filio, & Spiritui

& Spiritui sancto, hoc est sanctæ Trinitati, ab Ecclesia Catholica pariter exhiberi, in cuius utique vno nomine manifestum est, sanctum quoque baptisma celebrari. Neque enim præiudicium Filio, vel sancto Spiritui comparatur, dum ad Patris personam precatio ab offerente dirigitur, cuius consummatio dum Filij & Spiritus sancti complectitur, nomen, ostendit, nullum esse in Trinitate discrimen: quia dum ad solius Patris personam honoris sermo dirigitur bene credentis fide, tota Trinitas honoratur. Et cum ad Patrem litantis destinatur intentio sacrificij munus omni Trinitati vno eodemq. offertur litantis officio. Carolus Magnus in fragmentis de ritibus veteris Ecclesiæ, Vt ad solum Patrem dirigatur oratio: cum totius sanctæ Trinitatis, sicut vna est deitas, ita æqualis honor, & gloria debeat. Id Apostoli sancto per eos ordinante spiritu sanxerunt, vt qui multorum deorum errores vnius Dei prædicatione nitebantur euellere, sub Trinitatis sacramento vni personæ in sacrificiorum ritu supplicare decernerent. Et paulo post: Rectissime ergo constitutum, vt quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus vnius deitatis, vnius naturæ, vnius substantiæ, vnius denique potestatis existunt vna ex eis persona propter vnitatis mysterium retinendum in sacrificio inuocaretur. Ceterum Deus, pater dicitur, tum ratione creationis Deuter. 32. Numquid non ipse pater tuus qui possedit te, & fecit, & creauit te. Tum etiam ratione gubernationis, prospiciendo siquidem & consulendo vtilitati hominum præcipuo quodam curæ & prouidentia modo, nobis præstat patriam charitatem. Inde Synesius oratione de regno: Et sacra in sanctis sacrificijs preces, Pater noster exclamantes, ad Deum in omnibus non potentiam ipsius glorificant, sed prouidentiam adorant. Tum denique redemptionis munere, quo & Spiritum sanctum accepimus, & inde filij Dei adoptamur. S. Paul. ad Rom. 8. Accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et S. Ioannes epist. 3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater, vt filij Dei nominemur & simus. Hoc loco patris vox ad adoptionem spectat. Iubet Christus, ait Euthimius enarrans Dominicam orationem ad cap. 6. Matthæi, vt dicamus, Pater: vt cælestem cognationem ad memoriam reuocemus, & quo munere affecti simus, puta diuina adoptione. Cassia. collat. 9. cap. 18. Deum vniuersitatis, ac Dominum patrem esse voce propria confitentes de conditione seruili in adoptionem filiorum nos profiteremur ascitos. Amplius patrem se dicit non dominum, vt nobis, quia filij, magnam fiduciam daret ad petendum, & maiorem spem ad impetrandum Matthæi 7. & Luc. 11. Serui vero non semper impetrant, quod petunt. Hæc Chrysof. homil. 14. ex cap. 6. Matthæi in opere imperfecto. Nusquam, ait August. lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 8. inuenitur præceptum populo Israel, vt diceret, Pater noster, aut oraret Patrem Deum, sed Dominus eis insinuat tamquam seruiens &c. Leo Magnus serm. 6. de Natiuit. Magnum est, dilectissimi, huius muneris sacramentum, & omnia dona excedit hoc donum, vt Deus hominem vocet filium, & homo Deum nomet Patrem. Bernardus item: Oratio, quæ paterno nomine dulcescit, omnium petitionum mearum impetrandarum fiduciam mihi præstat. Neque pugnat, quod Esaiæ 63. Iudæi semel atque iterum Deum eorum Patrem, & protectorem profitentur. Caput enim illud totum pertinet ad Christum redeuntem in cælum deuictis hostibus, & quo tempore iam orationem Dominicam edocuerat. Rursus dum Deum, patrem dicimus, meminisse debemus, auctore Cypriano serm. de oratione Dominica, quod quasi filij Dei agere debemus, vt quomodo nos nobis placemus de Deo Patre, sic sibi placeat & ille de nobis. Gregor. Nyssenus lib. de orat. Si conscientia vitiosa quis præditus Patrem suum dicat, nihil aliud quam suorum malorum, quasi principem & auctorem eum insimulabit. Et post plura, quæ eodem pertinent: Quocirca priusquam aliquis vita expiatus, & expurgatus sit, periculosum est in hac oratione audacem esse, & Patrem suum Deum nominare. S. August. lib. 2. de sermone Domini in monte cap. 8. Quanta cura animum tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto Patre non sit indignus. Si enim quisque plebeius senatorem grandioris ætatis ab eo ipso Pater vocari permittatur sine dubio trepidabit, nec facile audebit cogitans humilitatem generis sui, & opum indigentiam, & plebeie personæ vilitatem. Quisquis Deum Patrem vocat, inquit Petrus Laodicensis, is purus a peccatis, heresq. regni cælestis esse debet. Temerarius autem diabolo similis effectus Deum, Patrem dicit, quem non glorificat, & beat. Age, ait Petrus, Chryseologus serm. 67. vt viuendo sancte sancto respondeas Patri. Dei filium ille se probat, qui vitij non obcuratur humanis. Et serm. 68. Qui se Dei filium credit, actu, vita, moribus, honestate, tanto generi respondeat. Et iterum serm. 72. Qui ergo se tanti Patris filium confitetur, & credit, respondeat vita generi, moribus,

ribus Patri, & mente atque actu asserat, quod cælestem consecutus est naturam. S. Germanus in theoria rerum Eccles. Tunc o homo cum Deum, Patrem appellas, recte dicis. Is enim omnium nostrum Pater, & creator est. Et paulo post, Quod si mala opera facis, haud dubie diabolum patrem inuocas. Hic enim malorum ἄρχος, seu præfectus est. Ad hæc ex eodem Germano Deus reuera Pater omnium nostrum est, quasi ἀρχὴν τῆν, hoc est omnes conseruans. Quod si voluntatem eius facimus, pater noster est: sin minus is, cuius opus exequimur, pater noster est: Quisquis, inquit Venantius Fortunatus, de orat. Dominica, Deum Patrem appellat, sicut decet filium, sic vitam suam immaculate dispenset. quia ipse est filius, qui non contribulat genitorem, non exasperat coheredem. Et postea: Amittit nomen filij, qui fuerit seruus peccati. In summa auctore Chrysof. homil. 20. ex cap. 6. Matthæi in opere imperfecto, Patrem dicendo, & veniam peccatorum, & poenarum interitum, & iustificationem, & sanctificationem, & liberationem, & filiorum adoptionem, & hereditatem Dei, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima vno sermone signauit. Addam pro corolaro, quod S. Cyprianus lib. de vnit. Ecclesiæ scriptum reliquit, illum non posse Deum habere patrem, qui non vult Ecclesiæ habere matrem. quo loci alludere videtur ad Tertullia. lib. de orat. cap. 2. & lib. ad martyres cap. 1. Ne mater quidem Ecclesia præteritur, siquidem in filio, & pater, & mater recognoscitur &c.

Noster. Apud Sanctum Lucam in codicibus Latinis deest hæc vox, *Noster*, desunt & alia quæ apud S. Matthæum exant, sicut & apud Tertullianum. In exemplaribus tamen Græcis legitur πατὴρ ἡμῶν, quemadmodum & apud Matthæum, & Tertullianum lib. de orat. quod nos accuratius tractabimus inf. in voce, *Fiat voluntas*. Ante omnia ait Cyprianus serm. 3. de oratione Dominica, pacis doctor, ac vnitatis magister singillatim noluit, & priuatim precem fieri: vt quis cum precatur pro se tantum precetur. Non enim dicimus Pater meus, qui in cælis es. Et paulo post, Publica est nobis & comunis oratio. & quando oramus non pro vno, sed pro populo toto oramus, quia totus populus vnum sumus. Et postea, Coniungimus, & dicimus, *Pater noster*, id est eorum qui credunt, eorum qui per eum sanctificati, & gratiæ spiritualis natiuitate reparati filij Dei esse coeperunt. Quæ vox etiam Iudæos perstringit, qui Christum sibi per Prophetas annuntiatum, & ad se prius missum non solum spreuerunt infideliter, sed & crudeliter necauerunt. Qui iam non possunt Patrem Deum vocare, cum Dominus eos confundat, & arguat, dicens: Vos de diabolo patre estis &c. Item S. Ambrosius lib. 5. de sacram. cap. 4. Patrem dicis quasi filius. sed noli tibi aliquid specialiter vendicare. Solius Christi specialis est Pater: nobis omnibus in commune est Pater, quia illum solum genuit, nos creauit, Noster dicit. Ait Chrysof. in c. 6. Matthæi in opere imperfecto, Non minus libenter audit Deus, quando Christianus non solum pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare naturæ est, pro altero autem gratiæ: pro se orare rei necessitas cogit, pro altero autem charitas fraternitatis hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis commendat. Chrysof. æmulatur Petrus Laodicenus in exposit. orat. Dominica. Amplius hoc pronomine, *Noster*, in vno multos indicat, quia videlicet vnum omnium sit corpus, vnumq. caput qui Christus est. Subinnuit etiam opere vt alij pro alijs inuicem oramus, quia fratres sumus omnes. Quod autem non singulariter, ait Fortunatus Pictauiensis Episcop. de orati. Dominica, Pater meus, sed Pater noster dicimus, ad hoc pertinere cognoscitur, vt nullus pro se tantum, sed generaliter pro omnibus misericordem Dominum deprecetur, quatenus ab hoste perfido cuncti pariter liberentur. Omnes enim, qui in Ecclesia conueniunt eodem se muro concludunt. Et postea: Et ideo, qui simul iunguntur in templo, separari non debent, nec in voto. Rursus hac voce auctore S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte admonentur diuites, & genere nobiles secundum sæculum cum Christiani facti fuerint non superbire aduersus pauperes, & ignobiles: quoniam simul dicunt Deo, Pater noster. quod non possunt vere ac pie dicere, nisi se fratres esse cognoscant. Idem August. serm. 182. de tempore; Admonentur hoc verbo, inquit August. diuites & nobiles cum Christiani facti fuerint, quatenus se non extollant aduersus pauperes & ignobiles: quoniam simul dicunt, Pater noster, quod vere ac pie dicere non possunt, nisi se fratres esse cognoscant. Hoc nomine & charitas excitatur, quia filijs nihil charius debet esse, quam pater, & simplex affectus, cum homines dicunt, Pater noster: & quædam impetrandi præsumptio quod petitur, cum etiam ante petitionem tam magnum donum accepimus,

accepimus, ut possimus dicere, Pater noster. Quid enim iam non dei filijs petentibus pater, qui iam hoc ipsum dedit, ut essent filij? Postremo quanta cura animum eius tangit, qui dicit, Pater noster, ut tanto Patre non sit indignus? Utatur, ergo, populus noui testamenti voce, populus nouus ad aeternitatem vocatus, Pater noster. Oratio fraterna est, non dicit, Pater meus tamquam pro se tantum orans, sed Pater noster, omnes videlicet vna oratione complectens, qui se in Christo fratres esse cognoscunt. Haec omnia S. Chrysof. in cap. 6. Matthaei in opere perfecto summam complexus ait, Vox illa, Noster, & superbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem bonorum omnium charitatem, & humanarum rerum inaequalitatem honoris ostendit. Et postea, Quid enim noxae de terrena ignobilitate metuendum est, quando caelesti omnes nobilitate coniungimur, cumque nullus alio amplius de illo honore possideat, neque locuples paupere, neque Dominus seruo, neque iudex ministro, neque rex milite, neque philosophus barbaro, nec sapiens imperito? Cunctis enim vnam atque eandem nobilitatem donauit Deus, cum dignatus est omnium vocari Pater.

Qui es in caelis. Haec verba, ait Gregorius Nyssenus lib. de oratione, & patriae, id est caeli, ex qua excedimus, & cognationis, quam amisimus, recordationem nobis ingenerant. Et postea: Dominus, dum caelestem Patrem inuocandum esse docet, illam patriam in memoriam redigere tibi videtur, ut vehementiori bonorum iniectione desiderio sitat in te rursus in via ad patriam reducenti. S. Chrysof. homil. 20. in Matthaeum in opere perfecto. Quum vero Deum dicit esse in caelis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed a terris abducit orationem, eumque supernis habitaculis ac regionibus affigit excelsis. & homil. 14. in opere imperfecto, Vult ut sciamus nos patrem habere caelestem, ut erubescamus nos terrenis rebus subternere, scientes nos patrem caelestem habere. Cassianus collat. 9. cap. 18. Adijcetes deinde, Qui es in caelis, ut commemoratione vitae praesentis, qua in hac degimus terra, velut peregrinam, atque a nostro patre longissime separantem, toto honore vitantes ad illam potius regionem, in qua patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus. Venantius Fortunatus lib. de orat. Dominica. Dicendo patrem nostrum esse in caelis peregrinationem nobis significat, dum sumus in terris, iuxta illud: Incola ego sum in terra. Vnde videtur instruere, ut ad excelsa iugiter animum eleuant, ea Deo tribuente festinemus peragere, quae nos in aeternae vitae beatitudinem, placato Patre, Christo duce faciant introire. Aliter S. Ambros. lib. 5. de sacramen. cap. 4. Quid est in caelis? inquit. Audi scripturam dicentem, Excelsus super omnes gentes Dominus. Et vbique habes quod super caelos caelorum Dominus sit, quasi non in caelis & angeli, quasi non in caelis & dominationes: sed in illis caelis, de quibus dictum est: Caeli enarrant gloriam Dei. Caelum est ibi, vbi cessauit culpa. Caelum est ibi, vbi flagitia feriantur. Caelum est ibi, vbi nullum mortis est vulnus. S. August. de serm. Domini in monte. cap. 9. interpretatur, In caelis, in sanctis, & iustorum cordibus. Caeli sunt, ait Cyrillus catechesi 5. mystagogica, qui caelestis Adam fuerunt imago, in quibus Deus habitat, & inambulat. Ad haec ex Bernardo serm. 16. in psalmum, Qui habitat in adiutorio: Homo inter primordia suae orationis ipsum, quem oraturus est patrem in caelis esse protinus admonetur, quod videlicet impetu quodam spiritus illo sibi iaculandam esse meminerit orationem. Et ad finem, Clama in caelum, ut exaudiaris, & qui in caelis est, Pater mittat tibi auxilium. Porro dicitur Deus in caelis esse, non quia non sit vbique Deus. S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte. Et S. Thomas 1. par. quaest. 8. Verum, auctore Bernardo serm. 1. in psalmum: Qui habitat, quia sic in caelo est, ut ad eius comparisonem nec esse videatur in terris, propter quod, ait idem Bernardus, & orantes dicimus, Pater noster, qui es in caelis. Sicut enim anima cum in toto quoque sit corpore, excellentius tamen & praestantius est in capite, in quo sunt omnes sensus &c. Vel ut Catechismus concilij Tridentini docet, quia caeli quos suspicimus, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, praestantes vi, magnitudine, ac pulchritudine ceteris corporibus. Ergo ut excitaret hominum animos Deus ad contemplandam infinitam suam potestatem ac maiestatem, quae maxime elucet in opere caelorum, se in diuinis scripturis habitare testatur in caelis. & reliqua quae lectione digna sunt.

Sanctificetur nomen tuum. Ut ordine procederet oratio, Christus petitionem hanc primam, & principem reliquarum constituit, erudiens nos priusquam ea, quae nobis aut proximo opus sint, postulemus, quae ad gloriam Dei pertinent petere debere, ipsique singularem animi nostri in eam partem propensam voluntatem exponere. Itaque verbum, *sanctificetur*,

Sanctificetur, auctore Petro Laodicensi, non imperatiuum est, sed optatiuum, ut sit *ἀγιασθήτω*, *ὁὖν ἀγιασθῆναι*, quasi vtinam sanctificetur. Optantis est, inquit Ambros. lib. 6. de sacrament. cap. 5. Non quod deceat, ait Tertul. de oratione, bene Deo optare, quasi sit & aliud, de quo ei possit optari, aut labore: nisi optemus. Verum ut paulo post: Cum dicimus, Sanctificetur nomen tuum, id petimus ut sanctificetur in nobis, qui in illo sumus. Cypria. de orat. Dominica, Non optamus Deo, ut sanctificetur orationibus nostris, sed petimus ab eo ut nomen eius sanctificetur in nobis. Haec item particula, eodem Cypriano auctore, petimus & rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coepimus, perseueremus. Quae S. Cypr. verba repetit S. Aug. lib. de bono perseu. c. 2. serm. vero 135. de tempore: Quare ergo petimus, inquit, ut sanctificetur, nisi ut nos per ipsum sanctificemur? Et paulo post, Ut quid hoc orabitis cum baptizati fueritis, nisi ut quod accipitis perseueret in vobis. Ambros. lib. 5. de sacramen. cap. 4. Sanctificetur in nobis ut ad nos eius possit sanctificatio peruenire. Sanctificatio Dei, ait Cassianus collat. 9. cap. 18. nostra perfectio est. Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 5. mystagogica: Sanctificetur nomen tuum. Sanctum est natura nomen Dei, siue id nos dicamus: quia vero in ijs, qui peccant aliquando profanatur, sicut scriptum est, Propter vos nomen meum blasphematur inter gentes, idcirco petimus in nobis sanctificari nomen Dei, non ut ex eo quod non fuisset tale, esse incipiat: sed ut in nobis sanctificatus, & qua sanctificatione digna sunt facientibus, sanctum fiat. Vel, sanctificetur nomen tuum, id est glorificetur. Gregorius Nyssenus de oratione: Caput omnium bonorum est, si per vitam meam nomen Dei glorificetur. Et postea, Optare enim atque precari ante omnia opinor, atque hoc orationis constitui caput oportere; ne propter vitam meam nomen Dei male audiat, sed glorificetur & sanctificetur. In me igitur sanctificetur nomen tuum dominationis, quod a me inuocatur, ut videant homines bona opera, & glorificent Patrem, qui in caelis est. Si enim, inquit Hieron. Propter peccatores nomen Dei blasphematur in gentibus, e contrario propter iustos, sanctificatur. Rogare orantem iubet, ait Chrysof. homil. 20. ut & per vitam nostram glorificetur. Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est. Eandem interpretationem amplexi sunt Cassian. collat. 9. cap. 18. & S. Germanus in theoria rerum Eccles. Vel & tertio, petimus his verbis, ut nomen Dei, quod in se sanctum est & gloriosum, sanctum habeatur ab omnibus hominibus, impleaturque illud Dauid, psal. 75. Notus in Iudaea Deus, & in Israel magnum nomen eius, illudque Malachiae 1. Ab ortu solis, vsque ad occasum, atque ita intellexisse videtur haec verba Augustinus lib. 2. de serm. Domini, in monte, c. 10. Quem S. Th. laudat 2. 2. q. 83. art. 9. vers. Ad primum. Item Venantius Fortunatus, de orat. Dominica. Sanctificetur nomen tuum, id est, benedicatur nomen tuum incessanter omnibus linguis, vniuersis in locis: Et postea, Videmur non tantummodo pro nobis optare ut sanctificetur nomen eius, sed & pro illis, qui necdum ad baptismi gratiam meruerunt peruenire. O sanctissime Deus omni sanctitate ab omni aeternitate praedite, indulge mihi famulo tuo, quae huic senatui Tholosano, totque prouincijs praesse voluisti, ut cum animi puritate, & candore, ac moribus iustis, integris, & religiosis, hoc viuendi curriculum conficiam, quatenus re & actione in me diuini nominis sanctificatio eluceat. luce tua luceat lux nostra, sanctum nomen tuum ceteri glorificent, omni que laude & honore celebrent.

Adueniat regnum tuum. Secunda petitio, quae non est intelligenda de regno, seu dominio, quod Deo competit in omnes creaturas, haec enim omnes in eius regno & ditione sunt, easque regit, gubernat, & moderatur, nec aliquis potest ei obfistere. Hoc vero regnum semper fuit, & erit, nec opus est petere ea, quae fiunt, nec possunt non fieri. Quare haec verba quidam interpretantur de regno, quo Deus regnat in Ecclesia, & in mentibus fidelium per gratiam. S. Ambros. lib. 5. de sacramen. cap. 4. Tunc venit regnum Dei, quando estis eius gratiam consecuti. Ipse enim ait, Regnum Dei intra vos est. Cyrillus Hierosol. catechesi 5. mystagog. Munda est animae dicere confidenter, Adueniat regnum tuum. Audistis Paulum dicentem, Non igitur regnet peccatum in corpore vestro mortali, sed qui se emundauerit & operatione, & cogitatione, & sermone, dicet Deo, Adueniat regnum tuum. In eandem sententiam S. Hieron. in cap. 6. Matthaei, generaliter pro totius mundi petit regno, ut diabolus in mundo regnare desinat, vel ut in vnoquoque regnet Deus, & non regnet peccatum in mortali hominum corpore. Cassian. item collat. 9. cap. 18. Secunda petitio mentis purissimae aduenire iam, iamque regnum sui patris exoptat, vel istud scilicet, quod quotidie Christus regnat in sanctis, quod ita fit, cum diaboli imperio per abstinationem fortentium vitiorum

vitiorum de nostris cordibus pulso, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam coeperit dominari, &c. Verum hæc interpretatio non caret scrupulo, tum quod non esset distinguenda hæc petitio a sequenti, quod & Tertul. annuit: tum quod in tota oratione Dominica non peteremus beatitudinem æternam, quæ tamen præcipue petenda est; maxime post petitionem gloriæ nominis Dei: tum etiam quod hoc verbum, Adueniat, significat aliquid futurum, quod nondum est. Quare probabilius est hæc verba interpretari, de regno gloriæ; & beatitudinis æternæ, quod quidem perficitur in die nouissimo, vel quando moriemur. Quod & innuit Tertul. lib. de oratio. his verbis: Ita que si ad Dei voluntatem, & ad nostram suspensionem pertinet regni Dominici repræsentatio, quomodo quidam pertractum quendam in sæculo postulant, cum regnum Dei, quod vt adueniat, oramus, ad consummationem sæculi tendat? Optamus maturius regnare, & non diutius seruire. Nostrum regnum, ait Cypria. de oratio. Dominica, petimus aduenire a Deo repromissum Christi sanguine & passione quæsitum, vt qui in sæculo ante seruiuimus, postmodum Christo dominante regnemus: sicut & ipse pollicetur & dicit, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. De hoc regno eadem verba interpretantur S. August. lib. 2. de serm. Domini. in monte, cap. 10. & serm. 126. & 135. de tempore. Et Chrysof. homil. 14. in Matthæum in opere imperfecto. Regnum nunc vocat, ait Euthimius ad cap. 6. Matthæi, secundum aduentum ipsius, in quo cum multa gloria apparebit. Venantius Fortunatus in orat. Dominica: Agnoscitur his verbis, Adueniat regnum tuum, eas increpare personas, quæ sæculi istam vitam diutius volunt protrahere. Cum omnes iusti regnum illud, vt festinanter veniat, videantur optare. Præclare August. concione 20. in psalm. 118. Prima, inquit, tempora Ecclesie ante Virginis partum sanctos habuisse, qui desiderarent incarnationis Christi aduentum. Ista vero tempora, ex quo ascendit in cælum, sanctos habere, qui desiderant eius manifestationem ad viuos & mortuos iudicandos. Quare petimus quotidie, Adueniat regnum tuum. Nec tamen prior illa expositio caret suis auctoribus, nam Gregorius Nissenus de oratione: Is qui orat, vt regnum adueniat, auxilium sancti Spiritus implorat. Lucas enim in Euangelio, pro eo, quod est, veniat regnum tuum, adueniat, inquit, sanctus Spiritus tuus super nos, & purificet nos. Regnum Dei, ait S. Germanus in Theoria rerum Eccles. sanctus Spiritus est. Et Petrus Laodicens. Regni Dei nomine, vel futuram bonorum fruitionem, vel gratiam, quam ille per Spiritum sanctum nobis impertit, vel secundum eius aduentum intelligit. Hoc loco quæri solet, Quando adueniat regnum beatitudinis Dei electis an dumtaxat post extremum iudicium, an vero ante quoad animas, quæ purgatione non indigent, vel post earum purgationem? Non desunt, qui crediderint sanctos animasq. purgas non frui clara Dei visione ante diem iudicij, eiusq. sententiæ auctores laudant Irenæum, Tertullianum, Origenem, Lactantium, Ambrosium, Chrysofomum, Augustinum, Theodoretum, Theophylactum, Euthimium, & Bernardum. quorum sententiæ exarauit Sixtus Senensis, libro 6. Bibliothecæ annotatio. 345. eiq. sententiæ adhæsisse Ioannem Papam XXI. Guillel. Occan. parte 2. dialogorum, tract. 1. Gerson, serm. 4. in festo Paschali, Adrianus Papa ad 4. sententiarum, & alij complures prodiderunt. Verum hæc sententia infinitis sacræ scripturæ, ac sanctorum Patrum testimonijs conuincitur plene & luculenter. S. Thomas in opusculo contra Græcos. cap. 9. Gabriel Biel super can. Missæ, lect. 67. & Alphons. de Castro aduersus hæreses in voce, Beatitudo, hæres. 6. Hunc errorem damnauerunt Innocen. III. in cap. Apostolicam, de presbytero non baptizato, Benedict. 11. in extrauag. quæ extat apud Alphons. de Castro, vbi sup. Sander, de visibili monarch. lib. 7. & concil. Florent. sub Eugenio III. Male autem hæc hæresis ascribitur Ioanni XXI. Nam, vt Benedict. 11. in d. extrauagant. testatur, cum inter nonnullos Theologia magistros ambigeretur super visione animarum iustorum hominum post mortem, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt, vel si fuerat, iam purgarum extiterat, an diuinam essentiam videant ante corporum suorum receptionem. & vniuersale iudicium. & Ioannes XXI. prædecessor ad decisionem huiusmodi controuersie se pararet, hortatusq. fuisset in consistorio publico, tam Ecclesie Romanæ Cardinales, e quorum numero tum erat Benedictus 11. quàm prælatos & magistros in Theologia, qui tunc aderant, vt quæ ad eam tractationem pertinebant, diligenter scrutarentur & expenderent, paratq. accederent, Ioannes ante eius controuersie definitionem vix functus est. Quibus verbis apparet Ioannem Papam de ea quæstione nihil definisse, simulq. arguitur Caluini impudentia, qui Ioannem Papam asseruisse animas esse mortales, ynaq. cum corporibus

poribus interire vsque ad diem resurrectionis mentitus est.

Fiat voluntas tua. Duplex voluntas Dei considerari solet a Theologis. Altera dicitur beneplaciti, altera signi. plene magister sentent. lib. 1. sentent. distin. 45. S. Thomas 1. parte quæst. 19. Voluntas beneplaciti dicitur ea, qua Deus absolute vult, aut finit aliquid fieri, quæ voluntas semper impletur. de ea psalm. 113. Omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra. Et Isaiæ 46. Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. Et Esther 13. Non est, qui possit resistere voluntati eius. Multa, ait August. lib. 22. de ciuitate Dei, cap. 1. fiunt a malis quidem contra voluntatem Dei: sed tantæ est ille sapientiæ, tantæq. virtutis, vt in eos exitus siue fines, quos bonos & iustos ipse præsciuit, tendant omnia, quæ voluntati eius videtur aduersa. vbi Ludo. Viues de voluntate Dei, aliter ac Theologi differit. Item August. lib. Enchirid. ad Laurentium, cap. 100. ibi: Quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum vero ad omnipotentiam Dei, vt non fieret, quod Deus voluit efficere, voluerunt. Hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipsis facta est voluntas eius. propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, vt miro & ineffabili modo non fiat præter eius voluntatem, quod etiam contra eius sit voluntatem: quia non fieret, si non sineret, nec vtique nolens finit, sed volens: nec sineret bonum fieri malis, nisi omnipotens etiam de malo facere posset bene. Voluntas vero signi, qua significatur, quod Deus vult a nobis fieri, vel non fieri, per metaphoram voluntas dicitur, eaq. quinque signis dignoscitur prohibitione & permissione ratione mali, præcepto, consilio & operatione, ratione boni. S. Thomas 1. parte, quæst. 19. artic. 12. Sicut enim, ait Thomas, cum homo præcipit aliquid, signum est se velle illud fieri: ita & præceptum diuinum metaphorice voluntas Dei dicitur. hoc loco voluntas Dei minime pertinet ad voluntatem beneplaciti: ea enim semper impletur. Præterea verba, quæ sequuntur, Sicut in cælo & in terra, euincunt de hac voluntate beneplaciti non esse intelligendam hæc tertiam petitionem. ijs enim verbis Christus palam facit Dominum nos precari voluisse, vt quemadmodum in cælis Angeli, Dei iussa hilare & perfecte exequuntur: ita & homines in terris ea perficiant. Quare hæc tertia petitio ad voluntatem signi referenda est, quæ non semper impletur: sed, vt aiunt Innocen. III. lib. 5. mysteriorum Missæ, cap. 25. & Durant. in rational. vt impleatur oramus. vnde dicimus, Fiat voluntas tua, hoc est, opere impleamus, quod præcipis, consulis & suades. Inde Cypria. de orat. Dominica, Non dicimus, Fiat voluntas tua, vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult. Nam Deo quis obsistit, quominus, quod velit, faciat? sed quia nobis a diabolo obsistitur, oramus & petimus, vt fiat in nobis voluntas Dei, quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, &c. S. Isidorus Pelusiota epist. 85. Domini doctrina in oratione, qua præter alia omnia diuina maiestate digna documenta, hoc petitur, Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra, sicut ab Angelis ita ab hominibus. Nam fieri voluntatem Dei, cum obtemperatur præceptis eius, ipse Dominus dicit, cum ait, Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, &c. Paulo aliter hæc tertiam petitionem interpretatur Cassia. lib. 9. collat. cap. 20. Voluntas Dei salus est omnium, secundum illam beati Pauli sententiam, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Dicentes ergo ei, Fiat voluntas tua, hoc alijs eum oramus verbis; vt sicut hi, qui in cælo sunt, ita omnes, qui in terra consistunt tua Pater agnitione saluentur. Quo vero sensu Paulus dixerit, Deum velle omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, cum innumeros videamus in sordibus peccatorum consensere, & ab Ecclesia catholica secedere, consule obiter Aug. epist. 17. ad Vitalem, & in Enchirid. cap. 103. & Damasc. lib. 2. orthodoxæ fidei, cap. 29. Porro obseruandum est, quod Chrysof. in Matthæum, homil. 14. grauius & erudite adnotauit. Quàm caute, inquit, locutus est Christus. Non enim dixit, Pater sanctifica nomen tuum in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis, ne se ipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnum suum super quos vult, adducere, aut voluntatem

tatem suam, in quibus vult facere, & per hoc inueniatur Deus personarum acceptor. Nec iterum dixit, Sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnum tuum, faciamus voluntatē tuam sicut in cælo & in terra: ne hominum tantum videatur, quod sanctificant Deum, aut quod suscipiunt regnum eius, aut quod faciunt voluntatē ipsius. Verum verbo impersonali dixit, Sanctificetur, Adueniat, Fiat, vt vtriusque personæ opus necessarium demonstraret. Quia & homo Deum necessarium habet, & Deus hominem ad iustitiam faciendam, & quæ sequuntur. Addit Euthimius in Matthæum, licet, Adueniat, & Fiat, dicantur per verba imperatiua ἐλθέτω, & γυνθήτω, sumuntur tamen pro optatiuis. Optamus enim & precamur hæc, eo quod etiam ad ea diuino nobis opus est auxilio. Rursus auctore eodem Chrysof. hom. 20. in opere perfecto, Non dixit in me, vel in nobis, Fiat voluntas tua, sed prorsus vbi que terrarum: vt scilicet euellatur error & veritas inferatur, atque vndique vitij explosis virtus reuertatur inq. illius cultu nihil prorsus terra distet a cælo.

- Sicut in cælo & in terra.* Varijs modis a sanctis Patribus hæc tertia petitionis particula exponi solet. Primum ex Tertulliano de orat. Cypria. de orat. Domin. Aug. lib. 2. de ferm. Domini in monte, cap. 11. & ser. 135. de tempore, vt per cælum intelligatur spiritus, per terrā caro. Est enim, ait Cyprianus, inter carnem & spiritum colluctatio; dum spiritus diuina & cælestia quærit, caro terrena & sæcularia concupiscit. Quare inter duo ista ope & auxilio Dei, petimus concordiam fieri; ne caro spiritum impediatur ad obseruantiam legis Dei. Hæc est voluntas Dei, ait idem Cypria. vt terrena cælestibus cedant, spiritalia & diuina præualeant. Secundo ex eodem Aug. vbi sup. vt per cælum intelligatur Christus, per terram Ecclesia. Cælum enim, ait ille, & terra conuenienter intelligitur, quasi vir & femina: quoniam terra cælo fecundante est; & Ecclesia Christo desponsata est. Tertio ex Cypriano & August. de ferm. Domini in monte, hæc adiectione petimus pro illis, qui adhuc terreni sunt, & necdum cælestes esse coeperunt, vt & circa illos voluntas Dei fiat, quam Christus hominem conferuando & instaurando perfecit: vt quomodo, ait Cyprianus, in cælo, id est, in nobis per fidem nostram voluntas Dei facta est, vt essemus de cælo: ita & in terra, hoc est, in illis credentibus fiat voluntas Dei: & qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes ex aqua & spiritu nati. Quarto ex communi Patrum sententia. Greg. Nyssen. lib. de orat. Chrysof. Hieronym. & Euthim. in cap. 6. Matthæi, Cyrill. Hierosolymit. catechesi mytagogica 5. August. ferm. 126. de tempore, Cassia. lib. 9. collat. 20. Petr. Laodicenf. & S. German. in expos. orat. Domin. Venant. Fortunat. homil. de orat. Dominica. Vt quemadmodum angeli pure & caste seruiunt Dei voluntati potentes, inquit Dauid, virtute, facientes verbum eius: sic nos efficiat dignos, qui non ex dimidio, sed prorsus ex integro, vt Chrysofomus loquitur, quæ in eius sunt voluntate, impleamus. Hinc S. August. epist. 121. cap. 11. Cum dicimus, Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra, nobis ab illo precamur ipsam obedientiam, vt sic a nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus ab angelis eius. Ceterum obseruandum est, quod vox illa, Sicut, non æqualitatem, sed similitudinem & imitationem significat. quemadmodum in simili notat. S. Thomas 1. parte quæst. 60. artic. 4.

- 26 *Panem.* Hæc tertia petitione Chrysof. in Matthæum tam in opere perfecto, quam imperfecto, credidit peti solum panem corporalem. complures, vt Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. Aug. lib. 2. de ferm. Domini in monte, cap. 12. Hieron. in cap. 6. Matthæi, & in cap. 2. ad Tit. Cyrillus catechesi mytagogica 5. Petr. Chrysol. ferm. 67. 68. 70. & 71. Cassia. lib. collat. 9. cap. 21. & 24. de pane tantum spirituali interpretantur. Quorum sententia nititur, quod verisimile non sit, neque decens, Christum voluisse hæc præstantissima oratione aliquid caducum, vile & temporale, quibus verbis Cassia. vtitur, postulari, & offensam potius quam propitiationem iudicis sui, vt idem Cassia. ait, vilitate orationis incurrere. Tum etiā, quod in Græco apud Matthæum, & Lucam habetur, τὸν ἄρτον ἐπιπέτοιον, quod verbum auctore Hieronymo septuaginta interpretes, ἀριστίον frequenter transferunt: vbi cumque vero Græci ἀριστίον expresserunt in Hebræo inuenimus Segula. Symmachus ἐξυπέτοιον, quod præcipuum, egregium vel peculiare interpretatus est. Quare, ait Hieronymus in Matthæū, & ad cap. 2. ad Titum, quod in Euangelio secundum Latinos interpretes scriptum est, Panem nostrū quotidianum, melius in Græco habetur ἐπιπέτοιον, id est, præcipuum, egregiū, peculiarem, eum videlicet, qui de cælo descendens, ait: Ego sum panis, qui de cælo descendi. Addit idem Hieron. Absit quippe, vt nos, qui in crastinum cogitare prohibemur, de pane isto, qui concoquendus & abijciendus est in secessum, in prece Dominica rogare iubeamur.

Et paulo

Et paulo post idem Hieron. Quidam ἐπιπέτοιον, existimant in oratione Dominica panem dictum, quod super omnes ἄρτους sit, hoc est super vniuersas substantias. quod non multū a superiori sensu distat. In eandem sententiam S. Isidorus Pelusiota epist. 281. Oratio ea, quam Dominus discipulos suos docuit, nihil terrenū habet, sed omnia cælestia, & ad animæ vilitatem tendentia. Et paulo post, Quin hoc etiam ipsum quod paruum esse, atque in sensum cadere videtur, potissimum de diuino sermone (qui animam corporis expertem alit, atque in ipsius essentiam quodam modo miscetur, & manat. Vnde etiam supersubstantialis panis dictus est, substantiæ nimirum vocabulo animæ potius quam corpori congruente) intelligendum esse doctis viris placuit. Atque vt etiam de quotidiano pane, qui ad tuendum, & conferuandum corpus accommodus est, dictum esse demus, & ipse quoque, si modum spectes spiritualis efficitur. Etenim nihil præter panem requirere spiritualis proculdubio, ac præclaræ & philosophicæ mentis fuerit. At verior est communis Patrum sententia, vt hæc petitiō de vtroque pane animæ & corporis intelligatur. Quandoquidem omnis homo, ait S. German. in theoria rerum ecclesiasticarum, duabus ex naturis constat, nimirum anima & corpore: hinc fit, ait ille, vt panem petamus, qui vtrique naturæ conueniat. hanc sententiā probarunt Tertul. de orat. Cypria. de orat. Dominica, Gregor. Nyssen. de oratione, August. epist. 121. ad Probam, cap. 11. Theophylactus, Euthimius, & Beda ad cap. 6. Matthæi alijq. innumeri, neque ab ea dissidet Hieronymus in cap. 6. Matthæi. Sane indecorum non est panem corporalem, vitæq. huius necessaria petere. Genes. 28. Regum 8. & Prouerb. 30. ibi, Paupertatem & diuitias ne dederis, tribue tantum victui meo necessaria. Itaque August. epist. 121. ad Probam, cap. 12. docet nihil aliud dicere eum, qui dicit paupertatem & diuitias ne dederis mihi, quam panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panem vero cum dicit, auctore Gregorio Nysseno in ea verba, Panem nostrum, omnia, quæ corpori necessaria sunt, comprehendit. quod & probatur 4. Reg. 6. & Lucæ 14. Quare cum perfectissima sit hæc oratio, vt supra docui, adeo vt, auctore Aug. epist. ad Probam, cap. 12. si per omnia precatationum sanctarū verba discurramus, nihil inueniamus, quod non ista Dominica contineat & concludat oratio. non dedecet in ea oratione, quæ ad vitā necessaria sunt postulare. Propterea, inquit Chrysof. in psal. 127. talem facere iussus es orationem, in qua vnum solum petis postulatum sensibile & nihil amplius. Et paulo post, De sensibilibus autem vnam iubemur dicere dictionem, quænam autem ea est? Panem nostrū supersubstantialem da nobis hodie, & nihil aliud. Neque obstat quod non deceat caduca & temporalia petere, nam vt Alex. de Ales. parte 4. quæst. 37. notat, Panis corporalis non petitur, vt ἀριστίον propositum, vel, vt scholastici loquuntur, vt principaliter intentum: sed ad sustentandum corpus, ne vires deficiant in exercitatione actionum iustitiæ. Atque ita, vt ille loquitur, vt adiectum seu additamentum, vel auctore Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 6. velut quoddam administriculum, quatenus scilicet eo vita sustentatur, & nobis organice deseruit ad exequendas virtutum actiones. Hinc glos. Lucæ 11. Et si panis materialis hic petatur, non petitur vt primū & principaliter intentum & petendum: sed vt adiectum & posterius intentum. præcipue enim hac oratione cibum animæ postulamus. Quod vero pertinet ad significationem vocis ἐπιπέτοιον, Gregorius Nyssen. de orat. Basil. in Regul. breuiorib. interrog. 252. nec non Chrysof. Theophylact. Euthimius & Damascenus ἐπιπέτοιον, quotidianum, vel ad quotidianam vitam substantiæ nostræ vtilem interpretantur. quod tam ad animæ, quam corporis cibum referri potest, vt August. d. epist. 121. annotauit.

Nostrum. Panem nostrum dicimus: primum, quia, vt ait Chrysof. in opere imperfecto, omnia, quæ dat nobis Deus siue orantibus, siue militantibus, non nobis solis dat, sed etiam alijs per nos, vt de eo, quod accepimus a Deo, partem impotentibus faciamus: hoc est, petimus non solum nobis, sed etiam alijs per nos communicanda temporalia subsidia. Deinde dicimus, panem nostrum iustis laboribus quæsitū, non alienum, quem manducat, qui ex furto, & aliter acquisitis per iniustitiam māducat. quæ enim malis artibus comparamus, aliena sunt. Tu da panem, ait Gregor. Nyssen. lib. de orat. id est ex iustis laboribus cibum adipiscar. Nam si Deus iustitia est, non habet a Deo panem, qui ex re fraudulēter, & iniuste parca cibum habet, ipse compos voti es nisi ex alienis copia, atque facultas, nisi ex lacrymis reditus, si nemo propter tuam satietatem esuriit, si nullus, ob tuam repletionem, in genuit. Qui de iustitia, ait Chrysof. in opere imperfecto, acquisitum, panem manducat suum: qui autem cum peccato, alienum. De quo amplius infra in verbo, Da: Petimus etiam panem nostrum, quo ad spiritualem cibum, doctrinā catholicam, sacramenta, & carimonias Christi-

Z stianas:

stianas: non vero alienum, hoc est doctrinas, & cærimonias infidelium, & hæreticorum. Panis vitæ, ait Cypria. de orat. Dominica, non est omnium, sed noster est, quia intelligentium, & credentium Christus Pater est.

- 28 *Quotidianum.* Hac voce, quotidianum, monemur, auctore Cypriano, vt qui sæculo renūciauimus, & diuitias eius, & pompas abieciimus, diurnum dumtaxat cibum petere, nec in posterum longe desideria petitionis nostræ protrahere. Præclare & grauiter in eandē sententiam Gregor. Nyssen. lib. de orati. Idcirco quærere iubemur id, quod satis sit ad naturā corporis conseruandam, Panem da, ad Deum dicentes, non luxum, non delicias, neque diuitias, non floridas vestes purpureas, non ornamenta aurea, non lapidum fulgores, non vasa argentea, non agri copiam, ac latitudinem, non imperium exercituum, non bellorū, & gentium præfecturas, non equorum greges, non boum armata, reliquorumq. pecorum magnā multitudinem, non mancipiorum copiam, non claritudinem, atque splendorem in foro, nō columnas, non statuas, non pannos sericos, non musica acroamata, neque quidquam tale, per quæ anima a diuina, ac potiori cura abstrahitur: sed, Panem. Chrysof. hom. 14. in opere imperfecto: Numquid non suffecerat, inquit, sic dicere: Panem nostrum da nobis hodie, vt quid ergo addidit, quotidianum? vt luxuriosos cibos comescat, vt tantum quis manducet, quantum naturalis ratio exigit, non quantum lasciuia carnis impellit. Si enim in vno conuiuio tantum expendas, quātum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia, hominibus centum moderate viuentibus, aut tibi ipsi centum diebus disciplinate viuenti, iam non quotidianum cibū manducas, sed multorum dierum, & c. Deinde petimus quotidianum panē, ad differentiam æterni, quo post hanc vitā saturabimur. Nec enim, ait Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 12. Quotidianus dici potest, quia ibi temporalis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, vnde appelletur quotidie nulla erit. Hac voce etiam cibum spiritale quotidianū petimus, & tanto magis, quanto magis quærenda est vita spiritus, quā vita corporis. Sicut enim non solum corpore nos semper: verum etiam spiritu deficere contigit: ita ad virium instaurationem noua, & subinde repetita refectioe opus est, per verbū Dei, & Eucharistiæ, aliorumq. sacramentorum sumpcionem. S. August. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 12. Quare, ait idem Augustinus, restat, vt quotidianum panem accipiamus spiritalem, præcepta scilicet diuina, quæ quotidie oportet meditari, & operari. Nonnulli de panē corporis Christi hunc locum intellexerunt, quem quotidie sumere debemus. Huic ait August. serm. 28. de verbis Domini post Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 5. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quem iam in modum Græci in oriente facere consueuerunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest. Sic viue, vt quotidie, merearis accipere. Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annū accipere. In eandem sententiam Venantius Fortunatus in oratione Dominica. Quod vero, inquit, quotidianum panem petimus, hoc insinuare videtur, vt communionem eius corporis, si est possibile, omnibus diebus reuerenter sumamus: quia eum ipse, vita nostra sit, nutrimēto nostro peregrinos nos facimus, si ad Eucharistiā tardi accedamus. De hoc plenius infr. cap. de communionē. Porro et si panis iste corporis Christi, non sumatur quotidie a fidelibus sacramentaliter, Panis tamen quotidianus etiam hodie nuncupatur. quotidie enim ab Ecclesia omnium fidelium nomine frequentatur. Sacerdos siquidem quotidie communicans, membrum est Ecclesiæ: quare Ecclesia illo pane reficitur propter membrorum vnionem. Præterea et si panis iste corporis Christi non sumatur a fidelibus quotidie sacramentaliter; spiritualiter tamen sumitur. Vnde sacerdos in persona populi dicere consuevit: Hanc igitur oblationem, quam tibi offerimus. Et alibi: Qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis.

- 30 *Da nobis.* Hoc verbo docet nos Christus, quod non solum idē oramus, panem nostrum dari nobis, vt habeamus, quod manducemus: verum, auctore Chrysof. hom. 14. in Matth. in opere imperf. vt quod manducamus, de manu Dei accipiamus. Nā habere ad manducandum commune est iustorum, & iniustorum: de manu autē Dei accipere, est tantum piorum. Et postea: Qui cū iustitia præparat panē, illi Deus dat panem, quem manducat: qui autē cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus. Item dari panē petimus, secundum ordinē providentiæ diuinæ, per causas secundas nobis etiā laborantibus. Non enim existimandū est, Christū mollē nos laborare, ad quærēda, quæ sunt nobis ad victū necessaria. Iusserat enim Deus hominem in sudore vultus sui escā, & panem quærere. Vult tamen ne laboribus, & industriæ nostræ euentum tribuamus: sed magis Deo, qui si laboribus nostris benedictionem non impertiat, inanis erit labor omnis. Rursus hoc loco obseruandum est, quā pia, & laudabilis est consue-

est consuetudo, Christi exemplo, benedicendi Domino ante cibum, & gratias agendi post cibum sumptum, Deoq. & ante cibi perceptionem, & post eam sua munera accepta ferre. S. Athanas. de virginitate, siue de meditatione: Et vbi sederis ad mensam, & incœperis frangere panē, ter eum consignans his verbis gratias age, Gratias agimus tibi, Pater noster, & c. Et postea, Cum igitur surrexeris a mensa, rursum gratias agendo, trinis vicibus dicas: Misericors, & misericors Dominus escam dedit timentibus se. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Rursumq. post peractam glorificationē, preces tuas his verbis absolues, Deus omnipotens, & Dominus noster, & c. S. Chrysof. homil. 50. in cap. 12. Matthæi, docet non esse ad mensam accedendum, quousque gratias ei agamus, qui cibū nobis præbuit. & homil. 83. in Matth. Audiant omnes, qui quasi porci, quum iam comederint, euersa calcibus mensa, temulenti confurgunt, quum agere gratias debeant, & in hymnū a mensa deuenire. S. Hiero. epist. 22. ad Eustochiū. de custod. virginit. Nec cibi sumantur, nisi oratione præmissa, nec recedatur a mensa, nisi referatur creatori gratia. S. Basil. epist. ad Greg. Nazian. Orationes ante cibum, fiant Dei muneribus dignæ, quæq. nunc tribuit, & quæ in futurū seruauit. Orationes item post cibum faciendæ, quæ & pro exhibitis gratiam referant, & ea, quæ præmissa sunt, petant. S. Chrysof. hom. 57. ad populū Antioch. receñset, & enarrat gratiarū hymnos, quos monachi post cenā dicere consueuerant. Præclare Thomas Morus in expos. passionis Domini ad principium, arguit eos, qui nedum pernicioſa multa confabulantur in mensa: sed & nullis actis gratijs largitori Deo, immemores, & ingrati a mensa discedunt. Eodem loco refert Paulum Burgensem ex Iudæo Christianum, idoneis coniecturis probare Christū post cenam, Psal. Laudate pueri Dominum, & sequentes vsque ad psal. Beati immaculati, cecinisse, Iudæosq. cum a cena surgerent, eundem psalmū recitare consueuisse. At nos, ait Morus, quum dicere soliti sumus in agendis gratijs, & benedicenda mensa diuersis temporibus hymnos diuersos, eosq. tēpori accommodos, nunc vniuersos permisimus exoleſcere, & tribus verbis qualibuscūque, contenti, eisdemq. perfunctorie musitatis, & oscitanter, abimus. Plane si ad panem spiritalem, hæc verba referamus, petimus verbum Dei, a Deo nobis dari quod verbum Dei, non aliter salutare sit, nisi Deus ipse intus docuerit. Frustra siquidem, vt dicitur in institutione ex concilio Colonienſi, concionatoris vox aures foris pullabit, nisi & vnctio, id est gratia Spiritus sancti, verbi vim in animi recessus inserat, ac faciat nos Theodidactos. Item in pane corporis Christi datur hic panis Eucharistiæ a Deo, & Christo filio eius. Ipse enim est sacerdos, qui reuera carnem, & sanguinem suum nobis præbet in remissionem peccatorum. Ipse est panis, ait Chrysologus serm. 67. qui fatus in virgine, fermentatus in carne, in passione confectus, in fornace coctus sepulchri, in Ecclesijs conditus, illatus altaribus, cælestem cibum quotidie fidelibus subministrat.

32 *Hodie,* hoc est in præſenti sæculo. S. Aug. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 12. & lib. 6. de locutionibus Iesu filij Naue, & epist. 121. ad Probam, cap. 11. Cyrillus catechesi 5. mystagogica ex S. Paulo ad Hebr. 3. Adhortamini vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur, id est quādū vita suppetit vobis. eamq. interpretationem sequendo, occurritur dubitationibus, quæ moueri solent, quo modo petamus, panem sacramentalem dari nobis hodie, cum sepius nolimus communicare, eo die, quo hanc orationē dicimus, vel iam panē corporis Christi sumpserimus. Item quomodo hodie petamus panem corporale, quum plerumque hanc orationem recitemus, post cenā, quando non amplius egemus cibo, vel potu eo die. Nam vt iam monui, non petimus dari hoc die naturali, vel artificiali: sed in præſenti vita, quando opus erit. Non desunt ex Patribus, qui hac voce hodie, interpretentur, Christum velle, fideles panem tantum petere hodiernū, nec angere de consequenti die, quum neque sciamus, an etiam in ipso victuri sumus. Tertul. de orati. Chrysof. & Euthimius in cap. 6. Matthæi, Diaria est, ac quotidiana vita humana. Nescimus, quid paritura sit infans dies. Quid solliciti sumus de crastino? Idcirco per id quod hodie iubet, interdicit tibi curam de crastino. Hæc & complura alia in hanc sententiam, Gregorius Nyssen. lib. de oratione. Neque huic interpretationi refragatur, quod post cenam & eo tempore, quo minime cibo vel potu egemus, hanc orationem dicimus: quandoquidem, vt supra docui ex Gregorio Nysseno, panis vox, omnia quæ corpori necessaria sunt, comprehendit. Nos autē hac oratione non petimus hoc, aut illud: verum in genere subsidia tēporalia, quæ post cenam, omniq. momento temporis a Deo postulari possunt. Neque enim vllum est momentum, quo ad ea quæ nobis necessaria sunt, non egeamus Dei auxilio. Ad hæc obseruandum est, non omnem sollicitudinem vetari circa temporalia. vetatur enim inordinata,

non necessaria, & tempore congruo. S. Tho. in 1. 2. quæst. 108. artic. 3. versu. Ad Quintum. & 2. 2. quæst. 55. artic. 6. & 7. Gabriel Biel ad caa. Missæ, lect. 70.

Et dimitte nobis debita nostra. Post subfidium cibi petitur venia delicti, vt qui a Deo nascitur, in Deo viuat. hæc Cypria. de orati. Domin. quem Fortunatus sequitur. Debira, hoc loco interpretantur Patres, peccata. Immo ipse Christus: qui eodem cap. 6. Matthæi enarrans hanc orationem, ait: Si remiseritis hominibus peccata eorū, &c. Vnde S. Lucas cap. 11. pro *δουλοῦντα*, id est debita, posuit *ἀμαρτίας*, id est peccata. Frequens est hæc locutio in scripturis teste Tertul. peccata vocari debita. Matth. 18. & Luc. 7. Peccatum enim, auctore Euthymio in Matthæum, obnoxium reddit hominem, sicut & æs alienum. Quare autem peccata appellantur debita, explicant S. Ambros. lib. 5. de sacramen. cap. 4. & totidem verbis August. de verbis Domini serm. 28. Dum enim homo auaritiæ, ignauitiæ, alijsq. turpibus actionibus, quæ copiam sunt & diuitiæ diaboli, inferuit, se diaboli debitorem constituit. Cautio- nem nostram habebat inimicus: sed eam Dominus cruci affixit, & suo cruore deleuit. Quare cum precamur Deum, vt debita nostra dimittat, petimus, vt soluat debira nostra ex thesauro, quem Christus nobis in passione acquisiuit. vel vt ait August. serm. 126. de tempore, Debira, fratres, peccata intelliguntur. Nam debitum contrahitur, quotiescumque delinquitur. Quod debitum quandoque solui in gehenna necesse est. Apposite debira peccata dicuntur, ait Venantius Fortunatus in orat. Domin. alludens ad Tertul. de orati. quæ & debentur & requirenda sunt. Nam Deo in die iudicij, necesse est, exigantur. Rursus peccata vocantur debira, quia omnis offensio est quoddam debitum: debet enim qui ostendit satisfacere alteri. Quemadmodum debitor obligationis vinculis obstrictus soluere, quod debet, tenetur: ita peccator funibus peccatorum obligatus, poenæ luendæ obnoxius est. Inde apud Iurisconsultos delinquens poenæ se obligare dicitur, l. Imperatores. ff. de iure fisci. Porro hoc loco obseruandum est, remissionem peccatorum a Deo postulari. Solius enim Dei est peccata dimittere propria auctoritate Matthæi 9. Marc. 2. Luc. 5. Vellet. item Deum nos cum precari, vt peccata dimittat. Matth. 18. Omne debitū tibi remisit, quia rogasti me. vbi Chrysof. enarrans verba illa, Misertus autē Dominus, Volebat Pater dimittere, tamen non prius id facere, nisi debitor supplicaret, vt donum non modo suum, verum etiam petitionis illius esse videretur. quod fecit, vt coronam quoque seruus consequeretur, totū tamen ad Dominū merito refertur, &c. Deinde hac particula, ait Cypria. de orat. Dominica, prouidenter, & salubriter admonemur omnes nos, qui pro peccatis rogare compellimur, in conspectu Dei esse peccatores & reos. Quod S. Ioannes monet epist. 1. cap. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus. Et Prouerb. 20. Quis potest dicere, Mundum est cor meū, & purus sum a peccato? Et 3. Reg. 8. ac Eccles. 7. Non est homo, qui non peccet. Quod & si ad peccata venialia referri soleat: nemo tamen est, qui de puritate a peccato mortali sine reuelatione securus sit. Delicta, quis intelligit? ait propheta, & Eccles. 5. Nemo scit an odio vel amore dignus sit. Et: De propitiato peccato non sis sine metu, Eccles. 5. & 9. Vnde & Paulus 1. ad Corin. 4. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Et Iob 9. Si simplex fuerit, hoc ipsum ignorabit anima mea. Quare ad letalia, seu mortifera etiam hæc oratio pertinet. August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 7. & sequent. Inde Gregor. Nyssen. enarrans hanc Dominicæ orationis particulam: Idcirco mihi sermo per doctrinam orationis nos erudire atque instituere videtur, vt nequaquam cum Deo colloquimur, quasi pura conscientia præditi, confidenter & arroganter loquamur. Et paulo post, Sicut ille Phariseus, qui ne agnoscebat quidem, quæ esset ipsius natura. Nam si animaduertisset, quod homo esset, prorsus naturam a sordibus integram ac puram non esse, edoctus fuisset a sacra scriptura, quæ dicit Prouerb. 24. & Eccles. 7. Quod non possit inueniri inter homines, qui vnum diem absque macula viuat, Et postea: Sed recordari communium humanæ naturæ debitorum, quorum quiuus prorsus etiam ipse particeps est, vt qui naturæ particeps sit, & rogare iudicem, vt abolitionem & impunitatem delictorum largiatur. Et S. August. de sancta virginitate. cap. 48. Quis gloriabitur mundum se a peccato? Integra est quidem ab utero matris sancta virginitas: Sed nemo, ait Iob 25. mundus in conspectu tuo, nec infans vnus diei. Et postea, Sed ille vnus vir, Christum intelligit, non tantum fideles mente & corpore virgines, sed omnes omnino Christianos ab spiritualibus, vsque ad carnales, ab Apostolis, vsque ad vltimos poenitentes, tamquam a summis cælorum, vsque ad terminos eorum docuit, & in ipsa oratione admonuit dicere: Et dimitte nobis debira nostra, & quæ sequuntur. Quare & in Mileuit. concilio cano. 7. & 8. & in concilio Aphricano can. 83. accurate

rate damnantur, qui affirmant, sanctos in oratione Dominica dicere humiliter, non veraciter, Dimitte nobis debira nostra: vel non pro se ipsis dicere, sed pro alijs qui sunt in populo peccatores. Ex hac item particula notat Chrysofomus in opere perfecto, post baptismum remedium poenitentiae concedi, quod Cathari, & Nouatiani negabant. Ad hæc 37 ad fideles dumtaxat hæc oratio pertinet. Nondum quippe initiatus baptismatis sacramento, potest Deum patrem vocare, ac vt ait August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 70. Eorum est dicere, Pater noster, qui iam patri tali regenerati sunt ex aqua & Spiritu sancto. Sane antiquitus christianis, dum dicebant, Dimitte nobis, peccata tondere consuetum erat, S. August. serm. 10. inter 50. homil. Nam si non habemus peccata, & tundentes peccata dicimus: Dimitte nobis debira nostra, &c.

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Eccles. 28. Relinque proximo tuo nocenti, & tunc 39 deprecanti tibi peccata soluentur. Et adiunxit plane, & addidit, legem, ait Cypria. de oratio. Domin. certa nos conditione & sponfione constringens: vt sic nobis dimitti debira postulemus, secundum quod & ipsi debitoribus nostris dimittimus, &c. Greg. Nyssen. de orat. Vt tunc ad Deum dicas: Quod ego feci, fac imitare seruum tuum Domine pauperem & egenum. Remisi debira, ne tu quidem exigas: supplicem repellere veritus sum, ne tu quidem supplicem sum moueas & repellas: lærum & alacrem dimisi tuum debitorem, talis itē tuus fiat ne tuum debitorem meo debitore tristiorē reddas. Et paulo post, Ille est meus debitor, ego autem tuus. Solui, solue: dimisi, dimitte, &c. Cyrillus Hieros. catechesi. mystagog. 5. Cū Deo igitur pacta inimus, quādo petimus remitti nobis peccata, sicut & nos proximis debira remittimus, Et paulo post, Exigua, leuia, & facilia ad remittendum sunt nostra in proximū peccata: quæ vero sunt a nobis contra Deū, ea sunt maxima, hac sola indigentia benig-nitate. Aduertē igitur, ne ob aliqua parua & leuia aduersum te peccata proximo non condonata, tibi ipsi præeludas apud Deum grauissimorum peccatorum condonationē. S. Chrysof. hom. 20. in Matthæum: Nec enim vel. irrationabilis quispiam, aut in magno aliquo, aut in exiguo delicto de iudicio Dei conqueri posset, ipsum reum, dominum illius fecit esse sententiæ. Quemadmodum, inquit, tu tibi ipse iudicaueris: ita etiam tibi iudicabo. Et postea: Quo non igitur digni supplicio sumus, cum tali nobis a Deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficitur proditores? &c. S. August. de verbis Domini. Vide quid dicas: Quo modo ego dimitto, sic & tu dimitte mihi? Si dimiseris, bene conuenis, vt dimittatur tibi. Si non dimittis, quo modo eum conuenis? Quidam ait Cassia. lib. 9. collat. cap. 22. formidantes, dum in Ec-clesia hæc oratio a plebe concinitur, hanc particulā taciti prætermittunt, ne scilicet semet- 40 ipsos potius obligare, quàm excusare sua professione videantur, non intelligentes quod frustra cauillationes has iudici omnium prætereundere moliantur, &c. Horum antea meminerat S. Chrysof. homil. 14. in Matth. in opere imperfecto, his verbis: Sed multi nolentes dare veniam peccantibus, in se fugiunt istam orationem. Itaque & si quis odium in aliquem conceptum retinet, non ideo ab oratione abstinere debet. Nam etsi ei qui orat, hæc petitio noceat, quia Deo mentitur quo ad se: non mentitur tamen ex persona Ecclesie, quæ vt pia mater inimicis ac persecutoribus libenter ignoscit, & vt Deus ignoscat, fideliter orat, dicens, Sicut & nos. S. Tho. 2. 2. q. 83. art. 16. Bonauentura, & quidam alij monent, hoc loco obseruandum esse verbum, Dimittimus. Nam auctore Chrysof. hom. 14. in Matth. in opere imperfecto, non dicitur, Sicut & nos dimittimus, vt prius nobis Deus dimittat, postea nos debitoribus nostris, scit enim Dominus omnes homines esse mendaces, quoniā & si acceperint remissionem peccati sui, ipsi debitoribus suis non dimittunt: ideo sic dicit, Sicut nos dimittimus, vt prius dimittamus, postea petamus dimissionē, & a Deo remissionē peccatorū accipiamus. Porro obiter notandum est, aduerbiū *κατ' ὄψιν*, sicut, cum de Deo, & nobis dicitur, non eodē modo accipiendū esse. Exempli causa, Psal. 102. Sicut miseretur pater filiorū, miserus est Dominus timentibus se. & Ioā. 20. Sicut misit me pater, & ego mitto vos. Non enim eadē est mis- 41 sionis ratio, & cōmiseratio Dei, cōmiserationē hominū longe excellit. Plura Nicetas ad orationē Greg. Nazian. 42. in pascha. Ceterū quæri solet, an ad effectū huius orationis conse- 42 quendū, opus sit dimittere iniurias nobis illatas, etiā inimicis non petentibus veniā, an vero sufficiat dimittere, modo veniā petant. Plane S. August. in Enchirid. ad Laurent. cap. 73. innuit satis esse, dimittere petentibus veniā, ibi, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, sic dimitte nobis debira nostra rogantibus nobis, sicut & nos dimittimus rogantibus debitoribus nostris. Et postea cap. 4. Quisquis autē roganti, & peccati sui poenitenti non ex corde dimittit, &c. Econtrario idē August. lib. 2. de serm. Domini in monte, cap. 13. aperte docet, nos

etiam non petenti, iniurias remittere & condonare debere, ibi: Sed illo rursus præcepto, quo iubemur orare pro inimicis nostris, non pro his iubemur, qui veniam petunt. Iam enim qui tales sunt, non sunt inimici. Nullo modo autem quisquam vere orare dixerit se pro eo, cui non ignouerit &c. Ego Augustinum interpreto, ut offensus, iniurias etiam grauissimas, 43 voluntaria obliuione obruere debeat. Nisi enim quis virtute τῆς ἀμνηστίας, seu malorum obliuionis, excolat animum, peccatorum remissionem consequi non potest. Signa vero 44 externa amoris nisi petenti ostendere non obstringitur. Quod rursus scholastici intelligunt, ut & si Christianus ostendere non teneatur ea signa & indicia amoris, & charitatis, quæ priuatim amicis nostris exhibere consueuimus, nisi urgeat & premat necessitas: alia tamen quæ communiter alijs exhibemus etiam inimicis præstare debemus. Plene Bonauentura, Scotus, & ceteri ad 3. lib. sentent. distinct. 30. Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 25. artic. 9. Gabriel Biel super can. Missæ lect. 76. Anton. 4. par. tit. 6. capit. 4. Carbo de pacificat. inimic. cap. 24. 25. 26. & 27.

Et ne nos inducas in tentationem. Nonnulli codices habent, Inferas. August. lib. de serm. Domini in monte cap. 24. Ceterum, tentare, a quo tentatio, significat probare, experiri, explorare, periculum facere, Alexan. de Ales 2. quæst. 2. & 8. S. Thomas in 1. parte quæst. 114. artic. 2. Plene doctores ad 2. sentent. distinct. 21. Plane quædam est tentatio, auctore Bonauentura, ut quis probetur, vel probatus appareat. Hoc modo tentat Deus Gen. 22. Tentauit Deus Abraham. Deut. 13. Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum. Et Sapient. 3. Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. Plura August. serm. 72. de tempore. Tentat & quandoque homo se, vel alium, ut se, vel alium agnoscit 1. Reg. 17. Tentauit Dauid, si armatus posset incedere. & 3. Reg. 10. Venit Regina Saba, tentare Salomonem in ænigmatibus. Rursus, alia est tentatio, ad exequendum quod bonum est. Actuum 9. Tentabat se Paulus disciplinis. Altera est, quæ ad malum excitat. Act. 5. capit. Cur tentauit cor tuum satanas mentiri Spiritui sancto. Et Matthæi 4. Accessit tentator, &c. Porro, hæc potestrema diaboli propria est: nam Deus hoc modo neminem tentat, Iac. 1. Quoties vero hoc 46 modo homines tentantur, id exequuntur ut ministri diaboli, caro, & mundus tentare dicuntur, Iacob. 1. & ad Hebræos 11. quia sunt instrumenta tentationum. De hac potestrema tentatione, hanc precationem intelligendam Patres omnes consentiunt. Conueniunt item hæc verba, Ne nos inducas, more scripturæ, accipienda; ne finas nos induci. Deus enim neminem tentat ea tentatione, quæ ad malum allicit, & trahit, Iacob. 1. Deus enim intencator malorum est, ipse autem neminem tentat. Quæ verba August. enarrans ser. 11. de verbis Domini, ait: Est tentatio adducens peccatum, qua Deus neminem tentat: est tentatio 47 probans fidem, qua & Deus tentare dignatur. At circa huius particulæ interpretationem, non omnes conueniunt. S. Hilarius ad Psal. 118. enarrans verba illa, Non me derelinquas vsque nimis. S. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. S. Hieron. in c. 26. Matthæi. S. Aug. epist. 121. cap. 11. Cyrillus Hierosol. catech. mystagog. 6. Cassia. lib. 9. collat. cap. 23. existimant, his verbis nos non precari, ne Deus permittat nos aliquando tentari: sed ne permittat in tentatione positos, cedendo, vel consentiendo superari. Tentatus est enim Iob, sed non ductus in tentationem. Tentatus est Abraham, tentatus est Ioseph: sed neuter illorum ductus est in tentationem, quia nullus eorum consensum præstitit tentatori. Alij ut Tertull. Cypr. Gregor. Nissenus, Chrysof. & Euthimius in cap. 6. Matthæi, hæc verba interpretantur, ut petamus ne Deus finat nos tentari, seu nobis tentationem obuenire, vel ut dicitur, Matth. 26. intrare in tentationem: quemadmodum & Psal. 65. cum dicitur, Induxisti nos in laqueum, non significatur, vinci nos permisisti a laqueo, seu a malis: immo nos incidere permisisti in laqueum, seu in mala, ut ex his quæ sequuntur colligere licet. Petimus igitur non tentari, quia etsi tentatio sit sæpe utilis, Iac. 1. Beatus vir qui suffert tentationem, & Eccl. 34. Omnis vir qui non est tentatus non est probatus. Et Tob. 12. quoniam acceptus eras Deo: necesse erat, ut tentatio probaret te: suntque tentationis varij fructus, quos persequitur Sanctus Gregor. lib. 23. Moral. capit. 27. tamen periculosum est incidere in tentationem. Spiritus siquidem promptus est, caro vero infirma Matt. 26. Quia enim incerti sumus de victoria, præsumptio videtur, tentationem nos deprecari. Quod si sancti Apostoli, cum antea magno animo essent, primo iniecto terrore, derelicto Christo, fugæ se dederunt: si Apostolorum princeps, qui paulo ante dixerat, Si oportuerit me mori tecum non te negabo, vnus voce mulierculæ territus, Dominum negauit: quid non timendum est nobis, qui ab eorum sanctitate & meritis longissime absumus, dissociatiq. sumus? Quare, ait Cyrianus, cum 48

rogamus, ne in tentationem incidamus, admonemur infirmitatis & imbecillitatis nostræ, dum sic rogamus ne quis se insolenter extollat, ne quis sibi superbe, atque arroganter aliquid assumat. Et Chrysof. hom. 20. in Matthæum: Hic iam nostræ nos humilitatis admonuit, ut scilicet reprimeret indomitæ mentis timorem. Docet enim, non quidem nos recusare certamina, nec tamen in ea audacius insilire. Et S. August. lib. 10. confess. cap. 28. loquens de tentationibus, iubet eas Deus tolerare, non amare. Ad hæc, Petrus Chrysologus serm. 63. Et ne nos inducas in tentationem, hoc petere, miles multis modis cogitur, ne fragilitas plus ausa & de se tumore præsumens, nec virium suarum modum colligens, in conflictu male cauta succumbat. Deinde offensus Deus, tradat tentationibus, quos relinquit. Et serm. 71. Inducere, Deus dicitur, currentes ad crimina, cum relinquit. Quod vero dicitur Psal. 25. Proba me Domine, & tenta me: de tentatione quæ a Deo fit, ut homo sibi, 48 & alijs innotescat, intelligitur, auctore Augustino: non vero de ea, quæ fit a diabolo, ut hominem in peccatum allicit, quæ appetenda non est, nisi vbi certa esset victoria. Itaque sancti quidam, Deo intus suggerente, se victoria potituros, tentationibus, & persecutionibus se ipsos obtulerunt. Vtramque expositionem Petrus Laodicensis probat, & verba patiuntur. Precamur enim hac petitione, ne Deus finat nos, in tentationem incidere, aut ne iam tentatione occupatos, finat ab ea superari. Ducimur deinde magis ac magis, cum ab ea occupati superamur. Amplius, Cypriano auctore, hæc verba nos admonent, primum nostræ infirmitatis, quæ metum nobis incurere debet: deinde dæmonem nihil in nos posse sine Dei permisso, eiusque beneficiū esse, quidquid a dæmone nō patimur. Superest clementissime, & humanissime Deus, ut cum satanas quæsiuerit me cribrandum, ut triticum, quemadmodum sanctos quoque tuos Apostolos quæsiuit quidem, at non assecutus est, vel quemadmodum veterem illum Iob: ne permittas in me imbecillitatis infirmitatem, meæ conficiam, impetum facere. Iam non deprecor diuitias, & honores præsentis sæculi, aut aliquid vanitatis humanæ: sed ne intrem in tentationem. Quod si illum me aggredi permiseris, obsecro ne me eius dedas arbitrio, & libidini, sed sub vmbra alarum tuarum & dexteræ cælestis auxilio protege me.

Sed libera nos a malo. Græci interpretantur, mali nomine, diabolum. Chrysof. Cyrillus, 49 Euthimius, S. Germanus, & ceteri. Et ex Latinis Ambros. Petrus Chrysologus, Cassianus, & quidam alij. Diabolus enim etsi non natura malus sit, sed πονηρός, hoc est optione, liberaque electione: quia tamen, ait Petrus Laodicensis post Chrysof. in eo præ ceteris omnibus vitiositas exuberat κατ' ἐξοχήν, seu per antonomasiam, malus appellatur: hanc interpretationem, suadet articulus Græcus, τοῦ πονηροῦ, qui certum quendam malum significare videtur. Verum Cypria. August. Beda, & alij complures Latinorum, mali nomine malitiam omnem, ac cuncta aduersa, quatenus a summo bono, non impediunt, interpretantur. Quam interpretationem confirmat Ecclesia, quæ in sacrificio Missæ, postea quam populus respondit, Sed libera nos a malo: Sacerdos, quasi exponens populi petitionem, dicit: Libera nos quæsumus Domine ab omnibus malis, præteritis, præsentibus, & futuris. Hæc petitio auctore Flor. Magistro in exposit. Missæ, ita late patet, ut homo Christianus in qualibet tentatione, & tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, in hoc lacrymas fundat. Et quando dicimus, Libera nos a malo, nihil remanet, quod vltra debeamus postulare, quando semel protectionem Dei, aduersus mala petimus. Neque pugnat articulus, τὸ. Nam & alibi, 50 Matth. 5. Sit sermo vester, Est, Est: Non, Non, quod amplius est, a malo est, Græc habetur ἐν τῷ πονηρῷ ἔστω, vbi, malum, non diabolus significat, sed auctore Chrysof. in infirmitatē eorum, quibus lex iurare permisit. Item ad Romanos 12. obedientes malum, ibi τὸ πονηρὸν, malum etsi cum articulo, non dæmonem, sed rem malam significat.

Amen. De hac voce plura eod. lib. diximus cap. de Amen. Græci ante, Amen, addūt, Quoniam tuum est regnum, & potentia, & gloria in sæcula, Amen. Eamque clausulam pluribus enarrant Chrysof. Euthimius, Theophylactus, S. Germanus, & alij quidam. Verum eam nō esse de Euangelio, sed exaratam fuisse a Græcis ex consuetudine, quæ habebant dicendi istā clausulam post orationem Dominicam in sacrificio Missæ: colligere licet tum ex eo, quod Tertul. Cypr. Ambr. Aug. Hieronymus, nec vllus veterum Latinorū huius clausulæ mentionem fecerit: tum illi omnes Græcæ linguæ peritissimi fuerint, & Græcos Euangeliorū codices legerint. Etiam etiam, quod Græci, ut apparet ex Missa Chrysof. appendiculam illam non continuabant cum orat. Dominica: verum post recitationem illius a Clero, & populo, Sacerdos solus dicebat. Quoniam tuum est regnum &c. Quemadmodum apud Latinos, vbi 51

populus respondit, Sed libera nos a malo: Sacerdos dicit, Libera nos quæsumus Domine, ab omnibus malis.

ΑΝΑΚΕΦΑΛΑΙΩΣΙΣ,

Ex Tertull. lib. de oratione.

52 **O**mpendijs paucorum verborum, quot attinguntur edicta Prophetarum, Euangeliorum, Apostolorum, sermones Domini, parabolæ, exempla, præcepta, quot simul expunguntur officia Dei, honor in patre, fides, testimonium in nomine, oblatio obsequij in voluntate, commemoratio spei in regno, petitio vitæ in pane, exomologesis debitorum in deprecatione, sollicitudo tentationum in postulatione tutelæ. Quid mirum? Deus solus docere potuit, vt se vellet orari. Ab ipso igitur ordinata religio orationis, & de spiritu ipsius, iam tunc, cum ex ore diuino ferretur, animata suo priuilegio ascendit in cælum, commendans patri, quæ filius docuit.

DE VLTIMA PARTE SACRI CANONIS,

Libera nos quæsumus.

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM.

- 1 Mala quanam sint, pro quibus rogat Ecclesia, quæ item præterita, præsentia, & futura.
- 2 Sanctorum cur quorundam tantum mentio fiat, & non omnium in Canone.
- 3 Pax petenda a Deo.
- 4 Pax cur petenda.
- 5 Pax iustorum quæ sit, quæ item impiorum.
- 6 Pax cur in silentio quodam petatur.

Libera nos quæsumus Domine. Hæc oratio vulgo appellatur *εὐβολισμὸς*, hoc est, vt nostri putant, excrementa, vel potius intercalatio. Intercalatur enim, & interponitur hæc oratio post Dominicam orationem, quæ est expositio nouissimæ petitionis, Sed libera nos a malo. Quod & Amalar. Fortunat. lib. 3. Ecclesiast. offic. cap. 29. & Innocent. III. lib. 5. mysterior. Missæ cap. 29. annotarunt. Orat Ecclesia, ait Alcuinus lib. de diuinis offic. capit. de celebrat. Missæ, vt quod in fine orationis dictum est, Libera nos a malo, ita nobis per Dei misericordiam præstetur, vt liberemur ab omnibus malis, quæ nobis vel in præterito acciderunt, vel in præsentia accidunt, vel in futuro accidere posse formidantur. Mala præterita, a quibus petimus nos liberari ex sententia Alcuini d. capit. de celebrat. Missæ, & Flori in expositione Missæ, peccata nostra transacta intelligenda sunt: quorum etsi actio iam cessauit in nobis, tamen reatus & auersio a Deo, manet, nisi indulgentia, & gratia diuina deleatur. Vnde ait scriptura, Fili peccasti, ne adicias iterum, sed & de præteritis deprecare, vt tibi dimittantur. Mala vero præsentia, sunt quotidiana peccata: quia quotidie peccamus, quotidie habemus necesse dicere, Dimitte nobis debita nostra. Mala etiam præsentia, sunt accidentes languores, & afflictiones in corpore, & extrinsecus irruentes innumeræ calamitates. Quæ omnia quotiescumque patimur, eius debemus implorare auxilium, qui solus sua pietate, & animas curat, & corpora. Futura vero, quæcumque nobis accidere possunt, siue per tentationes diaboli, siue per miseras sæculi. Petimus enim tutos seruari, ne in ea mala incidamus: Itaque non solum præteritis veniam, ait Ambros. in Psal. 118. serm. 8. debemus postulare, sed etiam præsentia declinare, & a futuris cauere. Porro hæc omnia, pacemq. in diebus nostris, ex sententia Alcuini & Flori, exoramus a Deo paucissimis, sed eminentissimis nominatis sanctis, intercedente scilicet in primis Dei genitrice, per quam nobis salus exorta est, & beatis Apostolis Petro, & Paulo, atque Andree, quibus

quibus verbis non ceterorum sanctorum intercessio præmittitur, sed in istorum commemoratione omnium suffragia expetuntur. Quia ita omnes sibi in Deo vniti existunt, ita omnes vnum desiderant, & rogant pro salute hominum, vt in vno omnes habeantur pariter, & in vno omnes pariter negligantur. Potest autem Sacerdos nominare quotquot sanctos voluerit, Micrologus cap. 23. & Radulphus de canon. obseruantia proposit. 23. *Da propitius pacem*, præcepit Dominus populo Israel, cum teneretur Babilonica seruitute, vt oreretur pro pace ipsius ciuitatis. Quia in pace eius erit pax vestra. Hieremiæ 29. Apostolus item 1. Timoth. hortatur, fieri orationes pro omnibus hominibus, pro Regibus, & his qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus. Iuxta hanc formam, populus fidelium in huius sæculi peregrinatione, tamquam in Babilone captiuus, & ad supernam patriam aspirans orat etiam pro pace temporali, vt remotis per Dei pietatem omnibus aduersitatibus, quietam, & tranquillam vitam agat Ecclesia. Hæc Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Addit Florus Magister in exposit. Missæ. Quod hoc orat Ecclesia generali obseruantia sine intermissione in omni Dominica oblatione. Et postea: Ita ergo & Ecclesia deprecatur, pacem fieri in diebus nostris, quod & post nos alij, & post ipsos alij vsque ad consummationem sæculi, vtique similiter orabunt. Plura de pace infra cap. de pacis deprecatione. Cur autem hac oratione pax postuletur, ratione subiungit, vt scilicet ope, idest, auxilio, & protectione misericordie Dei adiuti, quantum ad interiorem religionis deuotionem pertinet, simus semper peccato liberi: quantum vero ad exteriorem pacem, simus etiam ab omni perturbatione securi. Hæc Alcuinus. Addit Florus rationem rationis. Nam, inquit, pax, in qua non diuinæ religioni, sed mundanæ cupiditati seruitur, non est iustorum, sed iniquorum, de qua Psal. 71. Zelauit super iniquos, pacem peccatorum videns. Ceterum hæc oratio silentio dicitur: hoc vero silentium innuit silentium Dominicæ sepulturæ die sabbati, qua mulieres, Luca testante cap. 23. quæ parauerant vnguentum, sabbato quidem filuerunt. Rupertus Tuitiens. lib. 2. de diuinis officijs cap. 25. Innocent. III. lib. 5. mysteriorum Missæ cap. 29.

DE PATENAE RECEPTIONE.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

- 1 Patena quid, & unde dicta.
- 2 Patenarum pondus, & quantitas describitur.
- 3 Patena vsus quis olim fuerit, & nunc sit.
- 4 Cerimonia quibus vititur Ecclesia in Patena receptione.

PATENA est vasis genus, a patendo dictum. Patenarum meminit Columela lib. 12. cap. 43. Patenas, ait Varro lib. 4. de lingua Latina, a patulo dixerunt, quod his libarent cenis patellas. Inde patellæ vasa picata parua sacrificijs faciendis apta, auctore Festo. Ouidius in fastis. Liuius lib. 6. belli punici. Hinc patellarij Dij apud Plautum, qui his vasis placabantur. Veteres aliquid de cena libabāt dijs, illudq. patellæ imponebāt. Varro apud Nonium, & Cicero de finibus. Zepherinus Papa patenis vitreis Missas celebrari constituerat, quod postea immutatum fuit Concilio Triburiens. can. 18. can. Vasa, de consecrat. distin. 1. Damasus in Pontificali sub Siluestro scriptum reliquit, patinas seu patenas ad triginta libras ponderasse, singulos calices ex auro ad vnam. Vnde apparet, panis vasa, ampliora fuisse vini poculis. Indeq. nonnulli colligunt inæqualitatem communicantium sub vna, vel sub vtraque specie in eadem Ecclesia. Antiquitus patenæ magnæ conficiebantur, vt Eucharistiam pro tanta multitudine suscipere capaces essent: hodie minores. Porro ex ordine Romano, vt habetur in libello qui ordo Romanus, inscribitur, quando inchoatur canon, venit Acolytus sub humero habens sindonem in collo ligatam, tenens patenam ante pectus in parte dextera vsque ad medium canonem. Tunc Subdiaconus sequens suscipit eam super planetam, & venit ante altare spectans, quando eam suscipiat Subdiaconus Regionarius. Finito vero canone Subdiaconus Regionarius stat cum patena, post Archidiaconum, quando dixerit, Et ab omni perturbatione securi, vertit se Archidiaconus, & osculatâ patenam

patenam dat eā secundo Diacono. Hęc ex ordine Romano: quæ pluribus enarrant Amalar. Fortunat. lib. 3. de Ecclesiast. officijs cap. 27. Alibi, vt Innocent. lib. 6. mysterior. Missæ c. 1. & Durant. lib. 4. rational. Alexan. de Ales par. 4. quæst. 37. Et Gabriel Biel super can. Missæ lect. 80. prodiderunt, Subdiaconus, & Diaconus repræsentant patenam, quam Sacerdos accipiens osculatur, & cum ea signum crucis sibi facit in facie, cuius carimoniam ibidem rationes varias percensent. At vbi Sacerdos solus ministrat, ad eundem locum, hoc est, dum dixerit, Ab omni perturbatione securi, eam de sub corporali absconditam recipit, & osculatam in altari deponit, vt hostiam in eā confringat. Hęc Micrologus de Ecclesiasticis obseruat. capit. 17.

DE FRACTIONE SACRÆ HOSTIÆ.

CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

- 1 Hostia fractio probatur ex Patribus.
- 2 Christus per partes hostiæ manducatur, & manet integer.
- 3 Eucharistia consecrata tantum habet sub fragmento, quantum in tota continetur.
- 4 Hostia tres particule non tria continet corpora, sed vnum tribus locis.
- 5 Hostia in tres partes diuiditur.
- 6 Hostiæ partes fractæ, quam habeant singula significationem.
- 7 Hostiæ fractio ipsa quid designet.
- 8 Hostiæ fractio a quibus instituta.
- 9 Hostiæ pars non reseruat, vt olim ad finem Missæ.
- 10 Hostiæ cur in partes diuidatur inæquales.

SACERDOS ante communionem, sacram hostiam frangere solet, corpore tamen Christi integro, & illæso sub partibus hostiæ, & fractis speciebus. S. Dionysius cap. 3. Ecclesiast. hierar. Sane, inquit, opertum panem, & indiuiduum aperit in frustra concidens, πὸν ἄν ἐγκυκαλυμμένον καὶ ἀδιαιρέτοι ἀπὸν ἀνακαλυψας, καὶ εἰς πολλα διελών, καὶ τὸ ἐνιαῖον τῆ ποτηρίας πασι καταμερισας. S. Chrysof. homil. 24. ad caput 10. prioris ad Corinthios, sed quare addit, Quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet. In cruce autem minime, sed omnino contra. Os enim eius, inquit, non conteretur, sed quod in cruce passus non est, id in oblatione patitur, & propter te frangi permittit, vt omnes satiet. S. August. apud Bedam 1. ad Corint. 10. Alger. lib. 1. cap. 25. Magister senten. par. 4. distinct. 12. & Gratia. can. Inuitat. can. Qui manducat de consecrat. distinct. 2. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo. Item in libro sententiarum Prospero can. Cum frangitur, de consecrat. dist. 2. Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Domini corporis in cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur? Sanctus Germanus in theoria rerum Ecclesiast. Partitio, inquit, diuini corporis fit. Verumenimvero tametsi in partes diuiditur, indiuiduus, & infectus in singulis partibus sectorum totus agnoscitur, & inuenitur. Guitmundus lib. 1. contra Berengarium. Licet enim hæc, magni causa mysterij, Sacerdos quasi diuidere videatur: nos tamen Dominum, & Saluatorem nostrum, quando corpus eius venerabile fidelibus distribuitur, non se per singulos diuidentem, sed participatione sui diuersos credere debemus vnientem. Possumus quoque dicere tantundem esse in vna quasi portiuncula, quantum erat in hostia tota, sicut de manna legitur, quia nec qui plus collegerat habuit amplius, nec qui minus collegerat habuit minus. Ita ergo tota hostia est corpus Christi, vt nihilominus vnaquæque particula separata, sit totum corpus Christi: nec tamen tres particule separatae, sunt tria corpora, sed vnum corpus. Nec etiam ipsæ particule a se, tamquam plures, differunt, quia quod corporis totius vna est, hoc & ceteræ sunt, propter magnum, vt dixi, mysterium: quod ita oportuit celebrari. Haymo. ad 14. prioris ad Corinthios, Primum consecratur panis, & benedicitur a Sacerdotibus, & Spiritu sancto, & deinde frangitur. Cum iam, licet panis videatur, in veritate corpus Christi est. Addeendus est Paschasius de corpore & sanguine Domini cap. 18. Itaque in tres partes hostia diuiditur, eaq. diui-

eaq. diuisio, more Gallicano, super calicem fieri consuevit. Radulph. Tungrenf. de can. obseruantia propos. vltima. Harum vero partium, significationem, Sergius Papa edocet, apud Iuonem lib. 1. de sacram. Eucharistia cap. 18. Magister sentent. lib. 4. distinct. 12. Gratia. cano. Triforme, de consecrat. distinct. 2. Innocent. III. lib. 6. mysteriorum Missæ capit. 3. Pars oblata in calicem missæ, corpus Christi, quod iam resurrexit, demonstrat. Pars comesta, ambulans adhuc super terram. Pars in altari vsque ad Missæ finem remanens, corpus in sepulchro, quia vsque ad finem sæculi, corpora sanctorum erunt in sepulchris. vel, auctore Rabano, lib. 1. de instit. clericor. cap. fin. per relictam in altari, insinuat Christum iacere in sepulchro, & a discipulis in passione derelictum. Aliter Steph. Eduenf. de sacramento altaris cap. 18. frangitur hostia, & in tres partes diuiditur Sanctæ Trinitati dedicata. Quarum vna in calicem demissa, sanguine immergitur, pro illa parte Ecclesiæ, quæ naufragio huius sæculi agitata, multis perturbationibus passionum concutitur. Aliæ duæ, extra calicem sunt, pro illis: quarum vna igne examinatur, quæ est fidelium: altera est sanctorum, quæ cum Christo regnat in æternum. Amplius ex sententia S. Thomæ 3. par. quæst. 83. artic. 5. fractio hostiæ, tria significat. Primo, ipsam diuisionem corporis, quæ facta est in passione. Secundo, distinctionem corporis mystici, secundum diuersos status. Tertio, distributionem gratiarum, quæ procedunt ex passione Christi, vt Dionysius ait, capit. 3. Ecclesiast. hierarch. vnde talis fractio non inducit diuisionem Christi. Præterea alias huiusce mysterij explicationes, apud Innocent. lib. 6. mysteriorum Missæ cap. 3. Albertum Magnum lib. 2. de officio Missæ. Honorium in gemma animæ cap. 55. Porro obiter obseruandum est, hanc fractionem, non fuisse instituta a Sergio, vt Albertus Magnus credit. Longe enim ante Sergium, hæc hostiæ partitio instituta fuerat, vt ex Dionysio docui. Constituit quidem Sergius in hac fractione, Agnus cantari. Amalarius, Sigebertus, Rupertus, Berno. & ceteri, quos infra laudabimus. Ad hæc, ritum illum tertiam partem hostiæ reseruandi vsque ad finem Missæ, immutauit Ecclesiæ, propter pericula quæ contingere possent, in reseruacione illius particule. Quare partes omnes a Sacerdote sumuntur, manet tamen eadem partium significatione. S. Thomas 3. par. quæst. 83. arti. 5. vers. Ad octauum. Glof. in d. cano. Triforme. Bonauentura ad Magist. sentent. distinct. 12. quæst. 3. Gabriel Biel, super can. Missæ lect. 80. Hoc loco quaeritur, cur hostia non diuidatur in partes æquales. Vna enim pars continet medietatem hostiæ, aliæ duæ aliam medietatem. De hac quæstione plene Alex. de Ales in 4. Albertus Magnus, in tract. de Missa, & de Turre crem. in d. cano. Triforme, de consecrat. distinct. 2.

DE PACIS PRECATIONE.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

- 1 Pacem omnibus nunciandi, mos antiquus est in Ecclesiâ, dum sacra mysteria celebrantur.
- 2 Pax Domini quæ dicatur, & in quo sit posita.
- 3 Pax non omnis amanda.
- 4 Sacerdos pacem denunciat pleniore voce.
- 5 Pax dum annunciat, tum hostiæ pars in calicem mittitur.
- 6 Crucis signum triplex, dum particula in calicem mittitur, quid significet: & quibus alijs carimonijs id fiat.
- 7 Commixtionem corporis & sanguinis Domini, quo sensu petat fieri Sacerdos post consecrationem, cum sub vtraque specie totus sit Christus.

PAX Domini sit semper vobiscum. Ad hæc venerandus Antistes, orationem sanctissimam peragens, pacem sanctam omnibus nunciat, & cum se mutuo omnes salutauerint, mystica sanctorum recitatio fit. Hęc S. Dionysius cap. 3. Ecclesiast. hierarch. his verbis πρὸς εἰς ὁ θεὸς πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος ἑνὸς θεοῦ καὶ ἑνὸς κυρίου ἑνὸς ἰσχυροῦ καὶ ἑνὸς ἀποστολικῶν ἐκκλησιῶν ἑνὸς βασιλείου καὶ ἑνὸς ἐπισκοπίου καὶ ἑνὸς μυστηρίου τῶν ἁγίων πνευμάτων ἀτάρακτος ὅτι πλεῖστα. Item S. Clemens lib. 8. constit. Apostol. c. 18. Et Episcopus dicat, Pax Dei sit cū omnibus vobis: Et omnis populus dicat, Et cum spiritu tuo. S. August. serm. in sabbaro Paschæ, Post ipsam scilicet orationem Dominicam,

Dominicam, Pax vobiscum. S. Chrysof. hom. 2. r. ad Romanos, Quomodo pacem in sacra oblatione ore, bellis adeo referto, & homil. 18. in 2. ad Corinthios, communes esse in tremendis mysterijs sacerdotis & populi preces, adeoq. vnam omnium orationem, cum ait: Communicanda pax est. Omnes similiter salutamus. Optatus Mileuit. lib. 3. Et non potuistis pratermittere quod legitimum est, vti que dixistis, Pax vobiscum, cum Deus contra, Et vbi pax? Hoc est dicere: Quid salutas, de quo non habes? Quid nominas, quod exterminastis? Salutas de pace, qui non amas pacem. S. Isidorus Pelusiota epist. 122. Pacem Sacerdos ex cathedra fastigio Ecclesie pronunciat Dominum scilicet imitans Cathedram assumptam, cum pacem suam discipulis relinqueret, ac daret. Illud autem, quod a plebe respondetur, Et cum spiritu tuo, hanc habet sententiam: Pacem quidem nobis praeuisti Domine, hoc est mutuam inter nos concordiam, pacem autem nobis da, hoc est eiusmodi tecum coniunctionem, qua nullo modo diuelli possit, vt cum spiritu tuo pacati, quem nobis in creationis initio indidisti, a tua charitate diffrahi nequeamus. Item Alcuinus cap. de celebrat. Missae. Hac oratione expleta, commiscens Sacerdos Dominicam oblationem, vt calix Domini, totam plenitudinem contineat sacramenti, tamquam per eiusdem mysterij copulationem imprecatur Ecclesie pacem, dicens, Pax Domini sit semper vobiscum. Cui tamen, bonum Ecclesia imprecatur, respondens illi, Et cum spiritu tuo. Pax Domini, ipsa est pax Christi, qua finem non habet, & est omnis pax actionis perfectio. Hac totidem verbis Florus Magister in exposit. Missae. Pax Christi, ait Hieron. in cap. 5. epist. ad Galatas, est dum tranquilla mens nullis passionibus perturbatur. Sane non omnis pax amanda est. Nam auctore Gregorio Nazianzeno orat. 1. de pace, Vt optima quaedam est dissensio, ita perniciofa est quandoque concordia. Pax amanda, qua bona est, boniq. causa inuitur, nosq. Deo coniungit. Et postea: Melior est contentio, pietatis causa suscepta, quam turpis, & vitiosa concordia, & alibi orati. ad centum quinquaginta Episcopos: Non est paci studendum, cum verae atque orthodoxae fidei pernicie. Alias plura de pace. Ceterum dum Sacerdos pleniore voce profert haec verba Pax Domini, refert, & repraesentat, quod Dominus stans in medio discipulorum dicebat, illis, Pax vobis, Steph. Eduens. de sacram. altaris cap. 17. Eleuatio vobis, ait Rupert. Tuitiens. lib. 2. de diuinis offic. cap. 16. Significat bonum resurrectionis nuncium, dicente Sacerdote, Pax Domini sit semper vobiscum: Quod illud nobis commendat, quod Dominus noster, stans in medio discipulorum, dixit eis, Pax vobis. Amplius dum haec verba dicuntur, particula hostiae in calicem immitti solet, vt in libello ordinis Romani continetur. Cum dixerit Sacerdos, ait ordo Romanus, Pax Domini sit semper vobiscum, mittit in calicem de sancta. Sequitur Micrologus de Eccles. obseruat. cap. 23. Idq. non frustra, ait Amalar. Fortun. lib. 3. de Eccles. offic. cap. 31. Corporalis enim vita ex sanguine constat, & carne, quadiu haec duo vigent in homine spiritus adest. In isto officio monstratur, sanguinem fufum pro nostra anima, & carnem mortuam pro nostro corpore redire ad propriam substantiam, atque spiritu viuificante, vegetari hominem nouum, vt ultra non moriatur, qui pro nobis mortuus fuit, & resurrexit. Arbitratur tamen Amalar. non errare eum, qui primo sanctum ponit panem in calicem. Deinde dicit, Pax Domini sit semper vobiscum: Quod Itali praeter Romanos facere solebant. Raba. Maurus lib. 1. de instit. cleric. cap. 33. Rursum, dum Sacerdos haec dicit, fiunt tria crucis signa, cum hostiae particula, quam Sacerdos manu tenet, cruxq. formatur super calicem particulae oblatae, auctore Amalar. lib. 3. cap. 31. ipsum nobis corpus, ante oculos praescribit, quod pro nobis crucifixum est. Ideo vero tangit quatuor latera calicis, quia per illud, humanum genus per quatuor climata mundi, ad unitatem vnus corporis coniungit, & ad pacem Ecclesiae perducit. Amalarium sequitur Rabanus Maurus lib. 1. de instit. cleric. cap. 33. Amplius haec trina crucis signatio resurrectionis Christi nos admonet, qua fuit facta die tertia. S. Thomas 3. par. quaestio. 83. artic. 6. vel ex Steph. Eduensi de sacram. altaris cap. 18. Cum dicitur, Pax Domini, sit triplex signaculum crucis, ad laudem & honorem sanctae Trinitatis, qua misit Agnum, qui per crucem saluauit mundum, & fecit pacem hominum, & Angelorum. Trina crux sit intra ambitum calicis, ad significandum illud gaudium irreprehensibile, & secretum quod est in fruenda visione Trinitatis, per quam data nobis pax venia, pax iustitiae, pax gloriae. Alias huius ritus rationes percensent Innocen. III. Alex. de Alas, Albertus Magnus, & Gabriel Biel quas praetereo. Solet autem Sacerdos postquam dixit, Pax Domini sit semper vobiscum, subiacere, Fiat commixtio, & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, accipientibus nobis in vitam aeternam, Amen. Haec ordo Romanus. Amalar. Fortunat. lib. 3. de Eccles. offic.

Eccles. offic. cap. 31. Microlog. de eccles. obseruat. cap. 23. Radulphus Tungren. lib. de canonum obseruat. proposit. 23. Hoc loco animaduertendum est, Sacerdotem minime postulare, fieri commixtionem corporis, & sanguinis Christi, quasi prius separata nunc vniantur. Nam & in calice non est solus sanguis, sed simul corpus cum sanguine pariter, sub specie panis & est vere sanguis cum corpore, vt supra fufius docuimus. Fit igitur commixtio hoc loco corporis & sanguinis, non secundum suas veras, ac reales essentias, vt scholastici loquuntur, sed secundum formas & species sacramentales, sub quibus corpus & sanguis Christi veraciter continetur. Quia ergo, ait Biel, specierum sacramentalium fit in calice commixtio, sub quibus verum corpus, & verus sanguis continetur, dicitur hic fieri commixtio rerum contentarum. Frequenter enim multa, quae ad species pertinent, vnus loquendi tribuit contentis sub speciebus.

DE PRECATIONE, AGNVS DEI,
qui tollis peccata mundi.

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

- 1 Agnus Dei, vt diceretur in Missa, quis auctor fuerit, inquiritur ex Patrum decretis.
- 2 Agnus Dei, dum dicitur in Missa, Christus & rogatur, & adoratur.
- 3 Christus qua ratione Agnus, & quomodo nominetur.
- 4 Pacis petitio cur adiecta etiam in Agnus Dei.
- 5 Precatio Agnus Dei, cur ad Christum dirigatur.
- 6 Agnus Dei, in defunctorum Missis aliquantulum variatur, & quam hoc de causa fiat.

VILGO creditum est, Sergium Papam, qui sedit anno Domini 688. constituisse, vt ante communionem haec precatio, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, a clero, & populo decantetur. Alcuinus de diuin. offic. capit. Quid significant vestimenta. Amalar. lib. 3. Eccles. offic. cap. 33. Vualafri. Strabo, de rebus Eccles. cap. 22. Ruper. Tuitiens. lib. de diuin. offic. cap. 21. Berno de Missa capit. 1. Sigebert. ad annum Domini 688. Micrologus de Eccles. obseruat. cap. 18. Radulphus Tungren. de can. obseruat. proposit. 23. Verum hanc precationem, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi &c. antiquiorem esse, conijcere licet, tum ex Concilio 1. Niceno, vt legitur apud Alphonsum Pisanum lib. 3. cap. de diuina mensa ibi, Sed attollentes mentem fide intelligamus, situm in sacra illa mensa Agnum illum Dei tollentem peccata mundi, incruente a Sacerdotibus immolatum. S. Chrysof. homil. 41. in capit. 15. prioris ad Corinthios ibi, Nec frustra memoriam mortuorum inter sacra mysteria celebramus, aut accedimus pro istis, Agnum illum iacentem & peccata mundi tollentem deprecantes. Ecce precatio Agnus Dei, eaq. post memoriam mortuorum. Sane his verbis Christum & adoramus, & rogamus. S. Algerus lib. 2. de sacram. capit. 3. Hac fide ipsum sacramentum, quasi diuinum quiddam adoramus, quasi vnum quiddam & rationabile alloquimur, & rogamus, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis: quia non quod videtur, sed quod vere est, Christum ibi esse credimus. Ad haec Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebr. Missae: Inter haec cantatur ab omnibus, & cantando oratur dicentibus, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, & reliqua. Nullus enim, ait, tollit peccata, nisi ille solus, cui nullum bonum hominis impossibile est, nullum malum insanabile &c. Porro Christus non dicitur proprie Agnus, sed per similitudinem, quemadmodum alibi, petra, ostium, pastor, leo, &c. Hoc loco vero nominatur agnus varijs rationibus, quas Alex. de Ales commemorat. Antiquitus ter dicebatur, Miserere nobis: quod & hodie obseruatur Romae in Ecclesia. S. Ioannis Lateranensis, vt Albert. de offic. Missae, & Durantus in rationali testantur. Postea vero, auctore Innocen. III. lib. 6. myster. Missae c. 4. irruentibus varijs persecutionibus, & erroribus, coepit vbique fere in tertio Agnus, dici, Dona nobis pacem. Sane hac precatione obseruamus, quod Aug. ad Psal. 98. scribit: Nemo carnem Christi manducat, nisi prius adorauerit. Adorationem autem, & oratio consequitur: quare hanc precationem, & eas quae sequuntur ad ipsum Christum conuertimus, dicentes, Agnus Dei qui tollis peccata mundi. Ceterum in Missa pro defunctis, dum Sacerdos pronunciat, Agnus Dei qui tollis peccata mundi, non dicitur, Miserere nobis, vel, Dona nobis pacem. Non quidem ea ratione, quod defuncti possideant mox

pacem aeternam. Nam in Missa communi sacrificium offertur nedum pro uiuis, sed & pro defunctis, & misericordia Dei, mortui, qui sunt in purgatorio, indigent, si non ad remissionem culpae, tamen ad remissionem poenae. Verum ideo non dicitur, Misere, vel, Dona nobis pacem, ut Alex. de Ales, notat, quia Missa pro defunctis specialiter celebratur, ut quies a poenis eis indulgeatur. Ideoque additur in tercio Agnus, Da eis requiem sempiternam.

DE PACIS OSCULO.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

- 1 *Pacis osculum in Missa sacrificio a quo institutum, & qua de causa.*
- 2 *Saluatio inter Christianos qualis esse debeat.*
- 3 *Pacis osculum apud plerisque Patres reperitur.*
- 4 *Pacem comitari debet oratio, & orationem pax.*
- 5 *Pax externa nullius est momenti, si desit animorum in charitate unio.*
- 6 *Defunctorum Missae cur non habeant pacis osculum.*
- 7 *Pacis osculum inter quos olim fiebat, & cur nunc sublatum.*

PACIS osculum in Missa sacro, nonnulli Leoni II. attribuunt, ut Berne cap. 25. de offic. Missae, & Platina in vita Leonis. Plures Innocentio Primo. Is enim epistola decretali ad Decentium cap. 1. admonet, pacis osculum dandum esse post confecta mysteria, ut appareat, populum ad omnia, quae in mysterijs aguntur, atque in Ecclesia celebrantur, praeuississe consensum, ac finita esse, pacis signaculo concludentis demonstrantur. can. Pacem, de consec. dist. 2. Amal. Fortun. lib. 3. de Eccles. off. c. 32. Carolus Magnus lib. 1. Capitular. apud Ansegisum c. 53. In decretalibus Innoc. Papae, ut pax detur ab omnibus confectis Christi sacramentis. Item Vualaf. Strabo de rebus eccles. cap. 22. Pacem, ait, ante communionem dari, Innoc. Papa. decretis suis instituit: ut quod in oratione sancta sub spensione remissionis praemittimus, pacatos nos ipso opere demonstremus. Microlog. de eccl. obseruat. cap. 18. & B. Innoc. Papa in ordine 42. constituit, pacem dari post confessionem sacramentorum. Cum pacem damus, dicere solemus, Pax tecum, Et cum spiritu tuo. Id ipsum scribit Radulphus Tungren. de can. obseruantia, propos. vltima. At longe ante Innocentium osculum pacis in Missa sacrificio praebere solebat. Ex traditione siquidem Apostolorum, ait Florus Magister in exposit. Missae, hoc seruat Ecclesia, cui frequenter ab Apostolis dicitur: Salutate inuicem in osculo sancto, id est pacifico, vero, columbino, non ficto, non subdolo. Illi ergo osculo sancto salutant inuicem, qui non diligunt verbo, nec lingua, sed opere, & veritate. Alcuinus cap. de celebr. Missae, & Florus Magister in exposit. Missae. Huius mystici pacis osculi meminerunt religionis nostrae primarij, S. Dionys. Areopagita de Eccles. hierarch. cap. de communione, Laudata hoc modo diuina humanitate, obiectus quidem diuinus panis proponitur, calixq. benedictus. Diuina autem saluatio siue osculum adhibetur, sanctorumq. animorum, qui scripti sunt, mystica caelestisq. praedicatio. Non enim possunt ad vnum aggregari, neque pacificam unionem cum vno illo consequi, qui secum inter se dissentiant. Etenim si contemplatione, ac cognitione vnus illuminati ad congregationem diuinam adiungamur & ea in vno copulemur, non patiemur in cupiditates partitas delabi, ex quibus similia odia terrena, & perturbata, quae naturae rationis compoti insita sunt, gignuntur. Hanc igitur, ut arbitror, vnam, & simplicem vitam sacer ritus pacis factae sanxit, simili simile firmans, & diuisis diuina, & simplicia disiungens. Quibus verbis plane, & aperte explicat, quod illud mysticum osculum, pacis symbolum significet. De eodem pacis osculo Iustinus Apolog. 2. circa finem. Post precationem, nos salutamus osculo mutuo. Deinde affertur praecipuo fratri panis, & calix aqua dilutus &c. Item Tertul. lib. de oratio. Alia, inquit, consuetudo inualuit: ieiunantes, habita oratione cum fratribus subtrahunt osculum pacis, quod est signaculum orationis. Quando autem magis conferenda cum fratribus pax est, nisi cum oratione commendabilior ascendit? Et postea: Quae oratio cum diuortio sancti osculi integra, quem Domino officium facientem impedit pax? Quale sacrificium est, a quo sine pace receditur. S. Grego. Nazianzenus orat. 3. de pace. In principio pax, inquit, amica, non re diuinitate, sed nomine quoque

quoque ipso iucunda, quam nunc populo dedi, ac recepi. Haud scio, an sinceram ab omnibus vocem, spirituq. dignam. S. Chrysof. lib. 1. de compunct. cordis, Osculum pacis porrigere tempore, quo sacramenta celebrantur, in vsu Ecclesiae est: sed vereor ne plures ex vobis labijs tantum pacem faciant. Cum tamen Christus non ore, sed corde velit proximum saluari. Idem Chrysof. hom. de prodit. Iudae ad finem, Sanctum osculum teneamus, quod animas sociat, reconciliat mentes, & vnum corpus ostendit: quia vnum corpus omnes videmur esse fortiti. Et ideo miscemus nos in vno corpore non corporum commixtione, sed animarum charitate deuincti, ut sic diuinae mensae possimus fructibus sociari. Nam & si multis bonis conscientijs abundemus, reconciliatione contempta nullum possumus promereri solatium. His igitur animaduertis, cum omni simplicitate mysteria celebremus, & accedamus ad mensam Christi. Idem Chrysof. hom. 51. ad pop. Antiochenum. Propterea & in mysterijs alter alterum amplectitur, ut vnum multi fiamus, &c. S. Hieron. ad Theoph. Alexandrinum. Quisque ne tibi, inquit, inuitus communicat, quisquam ne extensa manu vertit faciem, & inter sacras epulas Iudae osculum porrigit? S. Aug. in serm. de vigil. Paschae: Post ipsam, inquit, dicitur, Pax vobiscum, & osculantur se Christiani in osculo sancto. Sed pacis Christi signum, quod ostendunt labia, fiat in conscientia, id est, quomodo labia fratris tui accedunt, sic cor a corde non recedat. Paulinus Nolanus Episcopus Carm. ad Cyther.

Tunc ambo nexi ad inuicem dexteras damus,

— in osculo pacis sacra.

Isidorus de diuinis offic. cap. 15: Quarta, inquit, post haec inferitur pro osculo pacis, & charitate omnes reconciliari inuicem digni sacramento corporis & sanguinis Christi confocentur: quia non recipit disensionem cuiusquam Christi indiuisibile corpus. Porro in Missa pro defunctis pacis osculum non datur. Amal. Fortun. lib. 3. de eccl. offic. c. 44. Huius rei ex Duranto in Rationali, Alex. de Ales. glos. & de Turre crem. in can. Pacem, de consec. dist. 2. variae rationes afferri solent, eodemq. argumento non datur pacis osculum inter monachos, quia mundo mortui censentur can. Placuit. 16. q. 1. Amplius non datur osculum pacis in die Parasceues, & Sabbato, & in offic. passionis Domini. Amalar. Fortun. lib. 1. de eccl. offic. c. 13. & lib. 3. c. 44. Ceterum obseruandum est, in Missae sacrificio viros, quoad osculum fecerni a feminis: viri laici laicos, & feminae feminas osculentur. S. Clem. lib. 8. const. Apoff. c. 11. Idq. optima ratione. Carnales enim amplexus, auctore Amalar. Fortun. lib. 3. de eccl. offic. c. 32. quibus saepissime iunguntur, viri & feminae, vitandi sunt in Ecclesiae conuentu. Ac ideo separantur viri ac feminae in Ecclesia non solum ab osculo carnali, sed etiam situ locali, &c. Plane etsi olim Christiani pacis osculum sibi a Sacerdote per ministrum porrectum inuicem praebent: hodie tamen, ne recti specie, aliquid libidinis diabolico afflatu irrepat, tabula Christi imaginem, aut sanctorum reliquias continens offertur singulis osculanda. Gabriel Biel super can. Missae lect. 81. Hic fortasse nonnulla forent dicenda de Agape.

DE COMMUNIONE.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVINTVM.

- 1 *Communicare debet Sacerdos, quoties consecrat, & quid de Diaconis, & alijs.*
- 2 *Communione sacramentum, ipse sibi ministrat Sacerdos, licet in alijs quibusdam sacramentis diuersa sit ratio.*
- 3 *Communio quam fuerit olim frequens in illis felicibus nascentis Ecclesiae exordijs, & quoties nunc communicandum sit ex precepto Ecclesiae.*
- 4 *Communio frequens, vel etiam quotidiana quam sit laudabilis iuxta Patrum antiquorum iudicium.*
- 5 *Communio laicorum, in quo differat a sacerdotali.*
- 6 *Communio laica quae dicenda sit.*
- 7 *Communicantium distinctio, quoad locum, grauioris poenae loco olim habebatur, idq. ex Patrum decretis ostenditur.*
- 8 *Communio peregrina, qua dicatur, & an a laica communione differat, inquiritur diligenter.*
- 9 *Communione quanta debeat precedere preparatio tum corporis, tum animi ex scriptura, & Patribus.*
- 10 *Communione precedere debet conscientiae diligens discussio, & poenitentia delictorum, ut Patres prolaxe*

prolixè docent, nec sola fides sufficit, vel etiam contritio sine confessione, quando conscientia peccati mortalis grauat.

- 11 *Inimicitias omnes deponere debet, accessurus ad communionem, quæ vinculum est charitatis.*
- 12 *Communicaturi quæ præsertim pia opera exercere debeant.*
- 13 *Communicaturi abstinere debent a cibo, item a re uxoria.*
- 14 *Pedes lauare ante communionem quandoque receptum.*
- 15 *Communicantium ritus referuntur, & verba illa, Sancta sanctis, quam haberent olim significationem exponitur.*
- 16 *Communicaturus dicere solebat, Amen.*
- 17 *Communicaturi ad sumptionem Eucharistiæ, manus porrigebant in formam crucis.*
- 18 *Eucharistiã nunc laici nuda manu non attingunt, vt olim, nec eam domum deferunt.*
- 19 *Eucharistiã quo gestu fideles percipere debeant.*
- 20 *Eucharistiã dum distribuatur, canebatur Psalmus vel Antiphona.*
- 21 *Communicaturi dicere solebant, Domine non sum dignus.*
- 22 *Eucharistiæ fructus explicantur, quales sunt, collatio gratiæ, ac proinde aliquando gloriæ, remissio peccatorum, & quandoque grauium.*
- 23 *Eucharistiã si delet peccata, cur puritatem conscientia in communicante requirat.*
- 24 *Eucharistiã an penam deleat, & qua ratione muniat nos contra futura peccata, ac tentationes.*
- 25 *Eucharistiã appositæ nominatur viaticum.*
- 26 *Eucharistiã cum nullis recte dispositis, tum præsertim morituris deneganda non est, idq. miraculis etiam allatis comprobatur.*
- 27 *Communio cur appellata diuinorum sacramentorum perceptio.*

DOST pacis osculum, Sacerdos sacramentum conficiens, communicat. Sacerdotes siquidem, quoties consecrant, communicare debent, tum ex institutione Apostolica, tum ex consuetudine Ecclesiæ. Extat in eam sententiam, Apostolorum perspicua constitutio. cano. 8. Apostol. Si quis. *Εἰ τις Ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ἐν τῇ καταλόγῳ τοῦ ἱερατικοῦ, προσφοράς γενόμενος, μὴ μεταλάβῃ, τὴν ἄψιν εἰσάγων, καὶ ἰὰ τὴν εὐλόγιον, συγκλήσεως τυχεύῃτω. Εἰ δὲ μὴ λέγει, ἀφορίζεσθαι ὡς ἄψιν βλάβης γρόμνος τῷ λαῷ, καὶ ὑπόνοιαν ἐμποιήσας ἢ τῆ προσκλήσεως.* Si quis Episcopus aut Presbyter, aut Diaconus, vel ex catalogo Ecclesiastico facta oblatione non communicauerit, causam dicat: & si iusta fuerit veniam consequatur, sin minus segregetur, vt auctor offensionis factus populo, & suspicionem præbens aduersus eum qui obtulit. Hunc canonem, necnon illum qui sequitur, eruditi homines varie interpretati sunt. Placet Balsamonis interpretatio. Is duos illos canones coniungens, ait, quod qui in sacerdotalem catalogum connumerantur, & sacramentorum mysteria peragunt, oblationi autem non communicant, segregantur, nisi iustam causam dixerint. Diaconi vero, seu sacra qui sacra super altare tractant, & laici fideles, qui non ad finem vsque perseuerant, donec a dignis sancta fuerit facta communicatio, segregantur. Dicere enim, ait Balsamon, fideles laicos, & consecratos, qui sacra non tractant oportere quotidie sanctis communicare alioqui segregari, nec est ex sententia canonis, nec potest fieri. Et ideo canon nonus dixit, puniri fideles, qui non permanent. Hæc Balsamon. Sanctus Clemens lib. 8. constituit. Apostol. capit. 20. Post hoc sumat Episcopus, deinde presbyteri, &c. Anacletus epist. 1. Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim & Apostoli statuerunt & sancta Romana tenet Ecclesia. Quod quidem Anacleti decretum ad d. canonem 8. Apostolorum refertur, qui ex sententia Balsam. (vt iam dixi) de Episcopis & Presbyteris, qui conficiunt, intelligitur. Carolus Magnus lib. 1. capit. 6. apud Anfegisum Abbatem. Auditum est, aliquos Presbyteros Missam celebrare, & non communicare. Quod omnino in canonibus Apostolorum interdictum esse legitur. vel quomodo dicere recte potest, si non communicauerit, Sumpsimus Domine sacramenta, &c. Solent Presbyteri Cardinales Romanum circumstare Pontificem, cumq. consummatum est sacrificium de manu eius communionem recipere. Innoc. III. lib. 4. myster. Missæ c. 25. Et alibi lib. 6. c. 7. Episcopus communicat cum ministris, insinuans quod Christus post resurrectionem manducauit cum discipulis. In Concil. Tolet. 4. can. 17. Nonnulli Sacerdotes, post dictam orationem, statim communicant, quod deinceps interdiximus. Sed post orationem Dominicam & coniunctionem panis & calicis, benedictio

dictio in populum sequatur, & tunc demum corporis & sanguinis Domini sacramentum sumatur, eo videlicet ordine vt Sacerdotes, & Leuitæ, ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus. Et in Concil. Tolet. 1. 2. can. 5. cano. Relatum, de consecrat. dist. 2. Quicumque Sacerdotum, diuino altari sacrificium oblaturus, accesserit, & se a communionem suspenderit, ab ipsa, qua se indecenter priuauit, gratia vno anno arcetur. Huius vero instituti rationem docet S. Thom. 3. par. quæst. 8. art. 4. Nam, ait ille, Eucharistia non solum est sacramentum, sed etiam sacrificium. Quicumque autem sacrificium offert, debet sacrificij fieri particeps: quia exterius sacrificium quod offertur, signum est interioris sacrificij quo quis seipsum offert Deo, vt August. docet 10. de ciuitate Dei capit. 5. Vnde per hoc quod participat sacrificio, ostendit ad se interius sacrificium pertinere. Similiter etiam, per hoc quod sacrificium populo dispenfat, ostendit se esse dispenfatorem diuinorum, quorum ipse primo debet esse particeps, sicut Dionys. dicit in lib. Ecclesiast. hierarch. Et ideo ante sumere debet, quam populo dispenfet. Inde in prædicto capit. legitur: Quale est sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Per hoc autem fit particeps quod de sacrificio sumit, secundum illud Apost. 1. Corint. 10. Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris? Et ideo necesse est, quod Sacerdos, quotiescumque consecrat,umat integre hoc Sacramentum. Alioquin eodem Thoma auctore ad 4. senten. distinct. 12. Non solum peccat indigne ministrando, sed etiam sacrilegium committit, peruertendo ritum sacramentorum. Plene de Turre crem. in d. can. Relatum, de consecrat. distinct. 2. Quod si quis hæreat, quasi absurdum videatur, Sacerdotem seipsum communicare, cum in alijs sacramentis minister non præbeat sacramentum sibi ipsi, nullus enim potest baptizare seipsum. Sanctus Thomas huic dubitationi apposite occurrit, & Concilium Tridentinum sess. 13. can. 10. omnem remouet scrupulum in hæc verba: Si quis dixerit, non licere Sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit. Non solum autem Sacerdotes, vel reliqui sacri ministerij, sed & laici olim communicabant. Initio siquidem liberum erat, laicis, qui in Missæ sacro aderant, communicare. Act. 2. Perseuerantes cum Apostolis quotidie in oratione, & communione fractionis panis. S. Dionys. capit. 3. Ecclesiast. hierarch. Scribit ad singula sacra his verbis Christianos inuitari consuetum, Venite fratres ad communionem. Et apud S. Ignatium epist. ad Ephes. *Σπευδότες οὖν πικρότατον συνέρχεσθαι εἰς εὐχαριστίαν καὶ δόξαν.* Festinate fratres ad communionem. Deinde Ecclesia, vt mores & tempora tulerunt, varijs decretis ad communionis religionem & frequentem usum Christianos studiosè excitauit. Optabat Augustinus epist. 118. ad Ianuarium, & de Ecclesiasticis dogmat. capit. 53. fideles, saltem diebus Dominicis, ad communionem accedere. Fabianus Papa fideles omnes ter ad minus in Natali Domini, & Resurrectione, & Pentecoste Eucharistiã sumere sanciuit. Burcard. lib. 5. Decretorum capit. 17. Iuo parte 2. capit. 27. Et Gratiã de consecrat. distinct. 2. can. Etsi non frequentius. Quod & Concilio Agateni confirmatum fuit can. 18. Et deinde Ludouicus Pius instaurauit lib. 2. capit. 45. apud Anfegisum Abbatem. Tandem cum sacra Eucharistiæ communio in plures annos protraheretur, constitutum fuit in Lateranensi Concilio, vt semel ad minus singulis annis in Pascha Christiani omnes, qui usum rationis habent, communicarent capit. Omnis vtriusque de poenit. & remission. Plane quotidie Eucharistiã sumere, nec laudandum, neque damnandum censent. S. Augustinus de Ecclesiasticis dogmatibus capit. 54. Et Hieron. aduersus Iouinianum. Alibi idem Augustinus epist. 118. ad Ianuarium: Si quis dixerit non quotidie accipiendam Eucharistiã, alius affirmet quotidie, faciat vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit faciendum. Neuter enim eorum exhonorat corpus & sanguinem Domini, si saluberrimum sacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum alteri se præposuit Zachæus & ille Centurio: cum alter eorum in domum suam gaudens suscepit Dominum, alter dixit, Non sum dignus vt intres sub tectum meum. Hoc ipsum totidem verbis scribit sanctus Eligius homil. in die cenæ Domini. Nam, ait, & ille honorando non audet quotidie sumere, & ille honorando non audet vno die prætermittere. Romæ quotidianam communionem consuetudine receptam testatur Hieron. quam nec probat, nec improbat, apolog. pro libris contra Iouinianum ad Pammach. cap. 5. Alibi idem Hieron. epist. 28. ad Lucinium: Vtinam, inquit, Eucharistiã absque condemnatione nostri, & pungente conscientia, semper possemus accipere, & Psalmistam audire dicentem, Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Sane quàm fructuosa, & alendæ ac nutriendæ animæ necessaria sit frequens sacrosanctæ Eucharistiæ perceptio,

tum ex manna figura. Manna siquidem singulis diebus vires corporis reficiebat. Exod. 16. tum innumeris sanctorum Patrum testimonijs perspicuum est. S. Basil. ad Cæsariam Patriam, Et communicare per singulos dies & participare de sacro corpore & sanguine Christi pulchrum est, & valde utile, ipso manifeste dicente: Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quin frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quam pluribus modis viuere? Nos idcirco quater in singulis hebdomadis communicamus, in die Dominico, in quarto die hebdomadæ, in parasceue, & in sabbato, ac in alijs diebus si qua memoria fuerit sancti alicuius. S. Ambros. lib. 5. de sacram. cap. 4. Si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis, quemadmodum Græci in oriente facere consueverunt? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prodest. Sic viue, vt quotidie merearis accipere: Qui non meretur quotidie accipere, non meretur post annum accipere. Et paulo post: Qui vulnus habet medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cælestis & venerabile sacramentum. Quæ ipsa verba repetit S. Augustinus ser. 28. de verbis Domini. Idem August. de bono perseueran. cap. 4. Hunc autem panem dari nobis quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto dum absentes & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separamur. S. Chrys. orat. de B. Philogono: Nunc autem multi Christianorum in tantam vecordiam tantumque venere contemptum, vt cum innumeris scateant malis, nullam tamen vitæ suæ curam habeant: sed in diebus festis negligenter ac temere ad hanc mensam accedant, haud intelligentes, quod communionis tempus non est festum neque celebritas, sed conscientia pura, vitaque peccatis repurgata. Quemadmodum enim qui nullus sibi conscius est, hunc oportet singulis diebus accedere, sic qui peccatis occupatus est, nec poenitet eum, ne in festis quidem accedere tutum est. Neque enim semel in anno accedere liberat nos a peccatis, si indigne accesserimus, quin hoc ipsum potius auget damnationem, quod cum semel tantum accedamus ne tum pure quidem accedimus. Plura de quotidiana & frequenti communione. S. Thom. 3. par. quæst. 80. artic. 10. Et Bonauentura ad 4. senten. distinct. 1. 2. quæst. 2. Ludouicus Granatensis, & Hieron. Cacciaguerra in libellis de frequenti communione. Ceterum hæc laicorum communio a sacerdotali distat, quod Sacerdos communicet sub vtraque specie: ceteri vero sub vna specie. Hinc laicam communionem appellatam, eam quæ sub vna fit specie, nonnulli crediderunt. At nedum laici, sed & clerici, immo Sacerdotes ipsi non conficientes, communicant tantum sub vna specie. Quare verius est laicam communionem dictam, quæ extra sacrationem locum sacrificij fit, vbi tum Sacerdos conficiens, tum ministri communicabant. Solis enim sacratibus licebat ad altare accedere & communicare. Synod. Laodic. capit. 19. Καὶ μόνοις ἐξόν ἐστὶ τοῖς ἱερατικοῖς εἰσέναι εἰς τὸ θυσιαστήριον καὶ κοινωνεῖν. Idem in synod. Sext. in Trull. can. 68. Ea vero loci, quoad communionem, distinctio adeo tum pertinebat ad ordinis Ecclesiastici dignitatem & venerationem, vt grauioris supplicij loco Sacerdotes ceterique clerici extra sacros cancellos cum laicis, & velut laici communicarent. Cuius ritus extant præclara vestigia apud veteres Patres in can. Apostolorum 15. Si quis Presbyter vel Diaconus omnino ex clericorum catalogo, relicta sua parochia in aliam abscesserit, & præter sui Episcopi sententiam in alia parochia maneat, eum non amplius celebrare iubemus, maxime si eum adhortante Episcopo vt rediret, non paruerit in contumacia & insolentia perseuerans. Istamen vt laicus communicet, ὡς λαϊκός μὴ τοῖς ἕλοις κοινωνεῖτω. Cornelius Papa epist. ad Fabium Antiochenum. Apud Euseb. lib. 6. hist. Ecclesiast. capit. 35. Nicephor. lib. 6. capit. 3. Ex quibus Episcopis, inquit, vnus non longe post peccatum flebiliter lamentatus, ad Ecclesiam reuersus, populo vniuerso pro eo rogante, tandem vt laicus, in communionem receptus est. S. Cypria. lib. 1. epist. 4. de Martiale & Basilide: Ad agendam poenitentiam conuersus Basilides, scilicet Deum deprecans, & satis gratulans sibi, si vel vt laico communicare contingeret. Item lib. 2. epistol. epist. 1. ad Stephanum. Eos quoque hac conditione suscipi, cum reuertuntur, vt communicent laici: & satis habeant, quod admittuntur ad pacem, qui pacis hostes extiterunt, & quæ sequuntur. Et lib. 4. epist. 2. Tractatu ergo illo cum collegis plurimis habito susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet, non secundum quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotis vsurpet. In Synodo Sardicensi cano. 2. Episcopi, qui a ciuitate in ciuitatem transeunt, eo colore quæsito, quod a populo ciuitatis euocati essent, adeo puniuntur, vt ne in fine quidem, laica communione digni habeantur.

Καθάρω

Καθάρω οὐδὲ πρὸς ῥαδιουργίας τὰς ποιῶντας, ἃ τήνας καλοῦσιν ἐν νομίῳ, ὡς μηδὲν τοιαῦτον, μηδὲ ἐν τῷ πλείῳ λαῖκῳ γοῦν ἀξίως κοινωνίας. Huius Synodi fragmentum extat in cap. 2. de elect. Concilij Elibert. can. 76. Quod si alius detexerit, post quinquennium acta poenitentia accipere communionem laicam debere. Siricius papa epist. 1. cap. 21. can. Quisquis distinct. 84. Quisquis sane clericus, aut viduam, aut certe secundam coniugem duxerit, omni Ecclesiastica dignitatis priuilegio mox nudetur, laica sibi tantum communionem concessa. Inno. 1. epist. 22. cap. 4. Sed nostræ lex Ecclesiæ est, venientibus ab hæreticis, qui tamen illic baptizati sunt, per manus impositionem, laicam tantum tribuere communionem. concil. Agathen. can. 50. Si Episcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen admiserit, aut chartam falsauerit, aut testimonium falsum dixerit, ab officij honore depositus in monasterium retrudatur. Et ibi quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat: can. Si Episcopus, distinct. 50. Felix Papa I I I. in Synodo, cap. 2. can. Eos de consec. distinct. 4. quibus communicatio laica in morte tantum reddenda est. S. Basil. ad Amphiloc. cap. 32. Qui peccatum ad mortem peccant, clerici quidem a gradu deponuntur, a laica autem communionem non arceantur. Concil. Aurelian. 3. can. 2. Quod si fecerit, laica communionem contentus, iuxta priorum canonum statuta ab officio deponatur. Item in concilio primo Toletano, can. 4. Postea inter laicos reconciliatus per poenitentiam communicet. Hanc laicam communionem peregrinam quoque appellari plerique arbitrantur. Peregrinæ communionis mentio fit in concil. Agathen. can. 1. & 7. can. Contumaces, distinct. 50. & can. Clerici. 13. quæst. 2. Quæ vero dicatur peregrina communio laborant Archidiaconus, de Turre cremat. & Dominicus de sancto Geminiano in d. can. contumaces. Nihilque tandem afferunt quod probabile sit. De Sanctis Episcopus omnium disciplina litterarum peritissimus lib. de rebus Eucharistiæ repet. 10. peregrinam communionem a laica distinguit, vt laica communicatio dicatur, quando clerici mouebantur suo gradu, aut sui ministerij functione, & redigebantur in ordinem populi, vt promiscue cum laicis venirent ad communionem, siue vnus, siue vtriusque speciei, quæ ministraretur, recens consecrata, in ipsa oblatione, & publica Ecclesiæ congregatione. Peregrina vero communicatio grauior erat multa, cum nedum suspenderentur a sacro ministerio, sed arcerentur a publicis Ecclesiæ sacris, extra quæ reposita pro peregrinis Eucharistia donabatur. Hanc eruditi Episcopi coniecturam euertere videtur, quod clericis, qui maximorum facinorum criminibus obnoxij sunt, laica communicatio tribuatur, vt apud Cyprianum de Basilide. Apud Basil. de his, qui ad mortem peccant. Et in concil. Agathen. de falsarijs, & alijs, qui capitale crimen admiserunt. Rursus peregrina communicatio indulgetur his, qui leuiore culpa tenentur: vt in concil. Agathen. can. 2. In clerico contumace, eo item, qui Ecclesiam frequentare, & officium suum implere negligit. Denique in eodem admissi genere legimus, & laicam, & peregrinam communionem tribui. hæreticis siquidem, & schismaticis Episcopis, si ad fidem Catholicam venerint, peregrina communicatio conceditur ex concil. Rheginensi, cap. 3. Ibi, Aut peregrina, vt aiunt, communionem foueatur. Iisdem vero laica communicatio tribuitur apud Cyprian. lib. 1. epist. 4. lib. 2. epist. 1. & lib. 4. epist. 2. & in epistola Cornelij. Item in concilio Ilerden. cap. 16. sacrilego peregrina communicatio indulgetur, sacrilego quoque laicam communionem tribui legimus. Ex quibus coniectio peregrinam communionem nihil aliud esse, quam laicam communionem. Nam & laica communicatio præbetur clericis, qui præter Episcopi sui sententiam in alia parochia peregrinantur, can. Apostolorum 15. qui locus huic tractationi clarissimum lumen præfert. Neque pugnat, quod qui temere ab Ecclesijs secedunt, in aliena Ecclesia nullo modo recipi debeant. Quod si perseuerent, eos a communionem separatos esse oporteat: atque ita peregrinis illis nedum ministrare, sed ne communicare more laicorum liceat. Synod. Nicen. can. 16. Nam vt Balsamon ibidem notat: communicatio eo loci pro sacrificio sumitur. In ea enim significatione, inquit, accipitur non communicare, non autem in ea quæ est in Ecclesiam non accedere, vel sacramenta non participare, idque ait Balsamon omnino fit consequenter 15. canone Apostolico, qui decernit eos, non, λειτουργεῖν, ministrare. Quare cum peregrinis illis communicatio laica indulgetur, quandoque laica communicatio peregrina appellatur, idque ex vsu quorundam potius, quam proprie. Quare in concil. Rheginensi, dum concilium meminit peregrinæ communionis, adiicit, vt aiunt, quasi vox illa, quibusdam propria, & peculiaris sit. Hæc mea est coniectura, si quis veriore attulerit, ei maximam gratiam sum habiturus. Porro siue sacerdos, siue populus ad sacram communionem accedat, præparationem omnem tum animi, tum corporis adhibere conuenit. Nam & Christus antequam

antequam Apostolis pretiosi corporis, & sanguinis sui sacramenta daret, quamuis iam mundi essent, pedes eorum lauit. Ioan. 13. Pedes vero, humanos affectus significant. S. August. tract. 56. in Euangelium Ioannis d. cap. 13. Eum item, qui in conuiuio Dominico, sine veste nuptiali accubuerat, in carcerem coniectum, & sempiternis poenis addictum commemorat. Matth. 22. Apostolus quoque prioris ad Corinth. 11. Iubet hominem probare seipsum, & sic de pane illo sacrosancto edere, & de calice illo bibere. Qui enim, addit Paulus, manducat, aut bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit; non dijudicans corpus Domini. Hoc est, ait Chrysoctom. homil. de non contemnenda Ecclesia, & Ecclesiæ mysterijs, eandem poenam dabit, quam hi, qui Christum cruci affixerunt. Quemadmodum enim illi iugulatores, rei sunt sanguinis: ita & hi, qui indigne mysterijs participant. Siue enim quis disrumpat regiam purpurâ, siue luto contaminet, ex æquo regem qui eam induit, contumelia affecerit: ita hic quoque, & qui peremerunt corpus Domini, & qui impuro animo id acceperunt, iuxta ludibrio habent regium indumentum. Et hom. 46. in Ioannem: Illi sanctissimum corpus iugularunt; tu vero polluta suscipis anima, post tot beneficia. Et alibi homil. 83. in Matth. Cogita quanta indignatione aduersus proditorem, aduersus eos, qui ipsum crucifixerunt, mouearis, & caue, ne tu reus corporis, & sanguinis efficiare. In eodem argumento versatur idem Chrysoctom. homil. 61. ad populum Antiochenum: Quare pura & integra mente, & pura conscientia accedere debent, accepturi hunc panem cælestem, quem in cælo angeli adorant. S. Gregorius Nyssenus de perfecti Christiani forma ad Olympium monachum: Cum, inquit, mysticæ passionis tempore, nobilis ille Senator immaculata, mundaq. sindone inuoluens Domini corpus in nouo & puro monumento posuit. Quamobrem, & Apostoli præcepto, & Euangelistæ obseruatione commemur, ut sanctum Domini corpus pura conscientia suscipiamus. Quod si aliqua peccati macula infecta sit, eam aqua lacrymarum abluamus & expurgemus. S. Basil. serm. 1. de baptis. cap. 3. Oportet igitur accedentem ad corpus & sanguinem Domini, ad commemorationem eius, qui pro nobis est mortuus, ac resurrexit, non solum purum esse a quouis inquinamento carnis ac spiritus, ne iudicium edat & bibat. Et serm. 2. de baptismo, cap. 3. Mundemus, inquit, nos ab omni inquinamento (differentia vero inquinamento & immunditiei sapientibus est manifesta) atque ita ad sancta accedamus, ut iudicium eorum, qui Dominum occiderunt, effugiamus. Propterea quod quisque ederet panem, & biberit poculum indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. S. Chrysoct. homil. 60. ad populum Antiochenum: Quo, inquit, non oportet esse puriorem tali fruente sacrificio, quo solari radio manum hanc carnem diuidentem, os quod igne spiritali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Quod angeli videntes horrescunt, nec libere audent intruere; hoc nos facimur. Et hom. 61. Si cum puritate accefferis, ad salutem accessisti: si vero cum mala conscientia, ad poenam & ultionem. Et hom. 24. prioris ad Corinth. Absterge ab omni forde animum, præpara mentem ad horum mysteriorum susceptionem. Etenim si puer regius purpura & diademate ornatus tibi ferendus traderetur, nonne omnibus humi abiectis cum susciperes? Nunc cum non hominem regium puerum, sed vnigenitum Dei filium accipis, dic quæso, non horrescis? S. Hieron. lib. 18. comment. in cap. 66. Isaia. Secundum tropologiam possumus dicere, omnes voluptatis magis amatores, quam amatores Dei sanctificari in hortis & liminibus, quia mysteria veritatis non valent introire, & comedere cibos impietatis; dum non sunt sancti in corpore & spiritu, nec comedunt carnem IESV, neque bibunt sanguinem eius, &c. Item in comment. ad cap. 1. Malach. Polluimus panem, id est corpus Christi, quando indigni accedimus ad altare, & sordidi mundum sanguinem bibimus, & dicimus, Mensa Domini despecta est. & epist. 28. ad Lucinum: O vtinam omni tempore Eucharistiam absque condemnatione nostri, & pungente conscientia semper accipere possemus! Primum itaque accessurus ad hoc diuinum, augustissimumq. sacramentum, conscientiam suam scrutari studiose debet, an forte aliquo exitiali peccato pollutus sit: ut prius contritionis & confessionis medicamine eluatur. S. Cyprian. de cena Domini: In huius veracissimi & sanctissimi corporis præsentia, non superuacue mendicant lacrymæ veniam, nec vquam patitur contriti cordis holocaustum, repulsam. Idem Cyprianus sermone de lapsis: Quicumque ederet panem, aut biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Spretis his omnibus atque contemptis, vis infertur corpori eius, & sanguini eius: plus modo in Dominum manibus, atque ore delinquant, quam cum Dominum negauerunt ante expiata delicta, ante exomologesim factam

ctam criminis, ante purgatam conscientiam sacrificio & manu sacerdotis, &c. Sanctus Firmilianus Episcopus ad Cyprian. Ceterum quale delictum est, vel illorum, qui admittuntur, vel eorum, qui admittunt: ut non ablutis per Ecclesiæ lauacrum sordibus, nec peccatis expositis, vsurpata temere communicatione, contingant corpus & sanguinem Domini, cum scriptum sit: Quicumque ederet panem, &c. S. August. de salutar. docum. cap. 33. Sed vnusquisque, antequam corpus & sanguinem Domini nostri IESV CHRISTI accipiat, seipsum probet, & secundum Apostoli præceptum, sic de pane illo edat. Quando enim illud accipere debemus, antea ad confessionem & poenitentiam recurrere debemus, & omnes actus nostros curiosius discutere, & peccata obnoxia, si in nobis senserimus, cito festinemus per confessionem & verâ poenitentiam abluere: ne cum Iuda proditore diabolus intra nos celantes pereamus, protrahentes & celantes peccatum nostrum de die in diem. Et de Ecclesiast. dogm. cap. 53. Quem mortalia crimina post baptismum commissa premunt, hortor prius publica poenitentia satisfacere, & ita sacerdotis iudicio reconciliatum communioni sociari: si vult non ad iudicium & condemnationem sui, Eucharistiam percipere. Et lib. 50. homil. hom. 50. cap. 9. Ascendat itaque homo aduersum se tribunal mentis suæ, si timet illud, quod oportet nos exhiberi ante tribunal Christi, ut recipiat vnusquisque illud, quod per corpus gessit. Et paulo post: Atque ita constituto in corde iudicio adlit accusatrix cogitatio, testis conscientia, carnifex timor. Inde quidam sanguis animæ confidentis per lacrymas profluat. Postremo ab ipsa mente talis sententia proferatur: ut se indignum homo iudicet participatione corporis & sanguinis Domini. S. Chrysoct. homil. 10. in Matth. Tempus quidem confessionis æque & lotis baptismate, & illotis, profanisq. incumbit: illis quidem, ut post patientia criminum vulnera poenitentia interueniente curentur, & ad sacra mysteria redire mereantur: his vero, ut ablutis in baptismo maculis ad Dominicam mentem munda iam conscientia accedant. Hesych. in cap. 26. Leuitic. Quicumque comederit panem, aut biberit calicem Domini indigne, &c. Probet autem &c. Qualem probationem dicit? id est, ut in corde mundo, atque conscientia, & poenitentiam eorum, quæ olim deliquit, intendenti participetur sanctis, ad ablutionem peccatorum suorum. Theophilact. ad cap. 11. prioris ad Corinth. Non alium tibi iudicem attribuo, verum teipsum tibi ipsi commendo. Iudica igitur & explora conscientiam tuam, & sic accede, non quando fuerint feriæ: sed quando purum teipsum, ac dignum inueneris. His tandem accedat sanctæ Synodi Tridentinæ definitio session. 13. cap. 7. & can. 11. Si quis dixerit solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ sacramentum, anathema sit. Et ne tantum sacramentum indigne, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauatur, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia confessoris, necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumperit, eo ipso excommunicatus existat. Præcipue vero accessurus ad hoc immortale & viuificum mysterium, simultates & inimicitias deponere debet, & cum inimicis, quantum in eo fuerit, in gratiam redire: quoniam ex Paulo 1. Corinth. 10. Vnus panis & vnus corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. O sacramentum pietatis! ait August. tract. 26. in Ioan. O signum vnitatis! o vinculum charitatis! Item Damasc. lib. 1. parallel. cap. 11. Cum tu infestum in conseruum odium retineas, quonam tandem pacto, ad pacis mensam accedere audes? Equidem Christus, ne mortem quidem pro te oppetere recusauit: at tu, ne tuo quidem iram conseruo remittere sustines. Et paulo post: Nam ut pax cum fratre sanciretur, ipsum quoque sacrificium extitit. Ignoramus, inquit Hieronymus tom. 2. epist. 62. ad Theoph. cap. 1. absque charitate pacem, sine pace communionem. Legimus in Euangelio, Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum coram altari, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens offer munus tuum. Si munera nostra absque pace offerre non possumus, quanto magis & Christi corpus accipere? Amplius ante communionem præter contritionem accuratam, peccatorum confessionem, reconciliationem & cum proximo concordiam, continuandæ sunt preces, eleemosynæ, aliæq. probitatis, fortitudinis, & pietatis officia & munera, accuratissima diligentia impleri debent. Chrysoct. hom. 30. in Genes. Quia in magnam hanc hebdomadam peruenimus Dei gratia, nunc maxime & ieiunij cursus intendendus, & magis continuandæ sunt preces, faciendæq. diligens &

gens & pura peccatorum confessio, & in bonis operibus sedulitas, eleemosyna larga, æquitas, mansuetudo, aliæque virtutes: vt talibus ornati virtutibus, vbi in diem Dominicum venerimus, Domini liberalitate fruamur. S. August. serm. 2. de temp. loquens de his, qui ad sacram mensam inuitati sunt, ait, Peccata præterita per eleemosynam & poenitentiam redimantur. Non solum autem animi, sed etiam corporis præparatione opus est. Primum igitur in honorem tanti sacramenti communicaturi ieiunium esse debent, ita vt saltem a media nocte vsque ad illud temporis punctum, quo Christi corpus & sanguinem sumimus, nihil omnino comederimus aut biberimus. Accusatus falso Chrysof. quod non ieiunos ad communionem reciperet, respondet epist. 3. ad Cyriacum, Si hoc feci, expungatur nomen meum ex albo Episcoporum, & ex libro orthodoxæ fidei, & abiciat etiam me Christus a regno suo. Sane Eucharistiæ sacramentum in vniuersa Christi Ecclesia a ieiuniis accipitur Spiritu sancto ita dictante. August. epist. 118. ad Ianuarium, cap. 5. Elig. hom. 8. in die cenæ Domini. Plene S. Thom. 3. part. quæst. 80. artic. 8. Quod pluribus probaui supra cap. de tempore celebrat. Missæ. Postulat etiam tanti sacramenti dignitas, vt & qui matrimonij dignitate coniuncti sunt, ante aliquot dies quàm communicent, non solum a concubinarum consortio abstineant, sed nec propriam vxorem agnoscant. Gregor. Nazian. orat. 40. in sanctum baptisma: Hoc vnum a te postulo, vt & a dono securitatem accipias, ac vicissim hoc dono rependas, vt certo tempore, hoc est, quamdiu assignatam orationi tempus omni occupatione præstabilius fluit, a re vxoria abstineas. Quo loco Nicetas, hoc autem tempus illud est, quod mysticæ mensæ perceptionem antecedit. quod quidem non nuptiali tantum congressu, verum & occupatione ac negotiorum administratione (vt Pindari verbis vtar) altius est, id est, quauis alia cura; negotioque præstantius. S. Ambr. in cap. 7. primæ epist. ad Corinth. Quamuis munda sint coniugia, tamen etiam a licitis abstinentiū est, vt facilius ad effectum deducatur oratio. Nam & in lege sanctificari volentes inter cetera etiam ab vuis passis iussu Domini temperabant, vt fierent sanctiores. Cum enim quis concessa non contingit, ostendit se velle quod precatur accipere, &c. S. Hieron. lib. 1. contra Iouinianum. capit. 11. Etiam ad Dauid fugientem ab Achimelech sacerdote dictum, Si mundi sunt pueri ab vxoribus? Et ille respondet, Ab heri, & nudiuertius. Panes enim propositionis quasi corpus Christi de vxorum cubilibus confurgentes edere non poterant. Et nobis in transitu est contemplandum, quod dixit: Si mundi sunt pueri ab vxoribus, videlicet quod ad munditias corporis Christi, omnis coitus sit immundus. Et in Apologia ad Pammachium cap. 6. Paulus Apostolus dicit, quando coimus cum vxoribus nostris, nos orare non posse. Si per coitum, quod minus est impeditur, id est, orare: quanto plus, quod maius est, id est, corpus Christi prohibetur accipere? Et postea, Diximus in eodem volumine panes propositionis ex lege non potuisse comedere Dauid & socios eius, nisi se triduo mundos a mulieribus respondissent, non vtique a meretricibus, quod damnabatur a lege; sed ab vxoribus, quibus licite iungebantur. Populum quoque, quando erat accepturus legem in monte Sina, tribus diebus iussu esse ab vxoribus abstinere. S. August. serm. 2. de tempore, Et ideo, inquit, quotiescumque aut dies natalis Domini, aut reliquæ festiuitates adueniunt, sicut frequenter admonui, ante plures dies non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a proprijs vxoribus abstinere, &c. Item serm. 244. de tempore: Quoties ad Ecclesiam in qualibet sollempnitate venitis, & sacramenta Christi percipere volueritis, ante plures dies castitatem seruate, vt cum secura conscientia ad altare Dei possitis accedere. Et postea: Qui enim bonus Christianus est, non solum ante dies plures, quàm communicet, castitatem seruet, sed & vxorem accepto desiderio filiorum non agnoscat. Plura in eandem sententiam S. Gregor. in responsionibus ad Augustinum Anglorum Episcopum. Sanctus Timotheus Archiepiscopus Alexandrinus in responsis canonicis, interrog. 5. De pollutione vero nocturna, an communionem impediatur, consule S. Hieron. epist. 128. ad Fabiolam. S. Gregorium, ad Augustinum Anglorum Episcopum, can. Testamentum dist. 6. Vbi latissime de Turre cremat. S. Thomam. Alexan. de Ales, & Albertum Magnum ad 4. senten. distin. 9. Eundem Thomam 3. part. quæst. 80. artic. 7. Ad hæc olim quandoque in Ecclesia vsu receptum fuit, pedes lauare ante sacram communionem, quemadmodum & ante baptismum. quod tamen abrogatum fuisse testatur. S. August. epist. 119. cap. 8. Sane etsi Ecclesia quod externum erat, remisit, lotionem scilicet pedum; finem & rem huius signi retinet, probationem scilicet, & internam præparationem. Hactenus de præparatione ad communionem. Quod vero ad ritum communicandi pertinet, in primis diaconus clamabat,

mabat, sancta sanctis. Diaconus, inquit Chrysof. homil. 61. ad populum Antioch. clamat, sanctos vocans, & per hanc vocem omnium notans maculas. Sicut enim in grege vbi sunt multæ oues, sanæ aliæ, aliæ vero morbide, per hanc excitat vocem & has ab illis diuidit passim circumiens sacrorum minister, per illum clamorem nimis horrendum omnes vocans sanctos & trahens. Et postea: Cum enim dixerit, Sancta sanctis, hoc dicit: Si quis non est sanctus, non accedat. Non simpliciter dicit a peccatis purus, sed sanctus, non peccatorum tantum liberatione sed spiritus præsentia. Idem fere repetit Chrysof. homil. 17. ad Hebræos. Item Cyrillus Hierosolymitanus catechesi mystagog. 5. Sacerdos autem postea dicit, Sancta sanctis. Sancta scilicet ea, quæ in ara proposita sunt, aduentu Spiritus sancti sanctificata, sancti & vos cum sitis sancto Spiritu donati, atque ita sancta sanctis conueniant. Vos deinde respondetis, Vnus sanctus, vnus Dominus IESVS CHRISTVS. Vere vnus est ille sanctus, qui est natura sanctus. Vos autem, etsi sancti sitis, non tamen natura; sed participatione, exercitio & precatione. Nicolaus Cabasila in Liturgiæ expositione, cap. 36. Et iam ad mensam sacerdos accessurus & alios vocaturus, quoniam non absolute omnibus sacramentorum communio est licita, ipse quoque non omnes vocat: sed viuifico pane accepto, & ostenso, eos, qui digne sunt ipsius participes futuri, vocat. Sancta, inquit, sanctis. propemodum dices, Ecce panis vitæ, quem videtis, accurrite ergo, participes futuri: sed non omnes, sed si quis sanctus, sancta enim sanctis solis permittuntur. Deinde custodiebantur Ecclesiæ, nequis communionis tempore, infidelis, aut non baptizatus ingrederetur. S. Clemens lib. 2. constit. Apostol. cap. 57. ad finem. Ceterum sacerdos ei, qui ad communionem paratus erat, dicere solebat, Corpus Christi. Ille vero dicebat, Amen. S. Clemens lib. 8. cap. 13. S. Ambros. lib. 4. de sacramen. cap. 5. Ergo non otiose tu dicis Amen, iam in spiritu confitens, quod accipias corpus Christi. Dicit tibi sacerdos, Corpus Christi, & tu dicis, Amen. hoc est verum, quod confitetur lingua, teneat affectus. Dionys. Alexandr. epist. 5. ad Sixtum Papam, Qui gratiarum actione exaudita, simul nobiscum, Amen, accinuerit. Cornel. epist. ad Fabium Episcopum Antiochenum, apud Eusebium, lib. 6. cap. 35. & Nicephor. lib. 6. cap. 3. Atque miser homo non ante degustauit corpus, scilicet Domini, quàm ita illi se deuouisset. Et qui illum acceperat pro, Amen, quod dicere debuerat, hoc dixit, non deinceps ad Cornelium reuertar. Cyril. Hierosol. catechesi mystagogica 5. Et concaua manu suscipe corpus Christi, dicens Amen. Leo primus serm. 6. de ieiunio septimi mensis: Hoc enim ore sumitur, quod fide ereditur, & frustra ab illis, Amen, respondetur, a quibus contra id, quod accipitur, disputatur. Exinde consuetum fuit dicere, Corpus Domini nostri IESVS CHRISTI custodiat animam tuam in vitam æternam. Ex lib. sacram. S. Gregorij. Amplius communicaturus ad exceptionem sanctæ Eucharistiæ manus porrigebat. Dionys. Alexan. Episcopus, is floruit anno Domini 250. dicta epistola 5. ad Sixtum Papam, quæ extat apud Nicephorum lib. 6. cap. 9. Qui mensam assistens manus ad exceptionem sancti alimenti porrexerit, & id susceperit, corporisq. & sanguinis Domini nostri IESVS CHRISTI, satis longo tempore, particeps fuerit. S. Cyprianus serm. de lapsis. Et quod non statim Domini corpus inquinatis manibus accipiat, aut ore polluto Domini sanguinem bibat. Verum non expansis manuum volis, neque cum disiectis digitis, sed auctore Cyrillo Hierosolymitano catechesi mystagogica 5. sinistram veluti sedem quandam subiciens dexteram. quæ tantum regem susceperat, concaua manu suscipiebat corpus Christi. Cauendum autem ait, Cyrillus, nequid inde excidat. Nam si quis inquit, tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres cauens nequid ex illis periret, & non multo magis & diligentius de hoc quod auro, gemisq. pretiosius est ne mica aliqua ex illo cadat prouidebis? Rursus, qui accedebat ad communionem, manus in formam crucis figurabat, ex synodo 6. in Trullo can. 102. Si quis immaculati corporis, in synaxis tempore, esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat. Damascen. lib. 4. orthodoxæ fidei, cap. 14. Ardenti cupiditate ad eum ardeamus, manibusq. in crucis formam compositis, crucifixi corpus suscipiamus: atque & oculis, & labijs & frontibus impositis diuini carbonis participes efficiamur. Verum, ob sacram huius mysterij singularem venerationem, Ecclesia instituit, ne laici nuda manu Eucharistiam attingerent, sed a sacerdote in os sumentis immitteretur. Concil. Rhotomagen. can. 2. apud Burchardum lib. 3. cap. 76. Consuetudinem quoque, Eucharistiam domum deferendi, scilicet communicandi, quam persecutio infidelium, oclusio templorum, & inopia ministrorum olim fecerat

fecerat antiquauit, quod pluribus docui lib. 1. cap. de arcula seu pixide, in qua corpus Christi asseruatur. Quo vero gestu fidelis sacrosanciam Eucharistiam accipere debeat, præclare enarrat S. Chrysof. homil. in encenijis, his verbis, Stemus trementes, & timidi, demissis oculis, renata autem anima gementes, sine voce, iubilantes corde. An non vides eos, qui sensibili, corruptibili, temporali, & terreno regi assistunt, quàm sint immobiles, non loquentes, non oculos huc & illuc mittentes, sed mæsti, territi, lugentes? Ex ipsiis documentum accipite hominibus, & sic assistite Deo quasi terrenum regem accessuri. Rursus dum Eucharistia distribebatur, psalmus 33. recitabatur, quia ad sacrificium pertinet, propter panes propositionis, qui erant typus diuinæ Eucharistiæ. Hos Dauid accepit ab Abimelech sacerdote, cum faciem suam immutauit coram eo. S. Clemens lib. 8. constituit. Apostol. cap. 13. vbi plene Turrianus. Deinde institutum fuit, vt dum fit communio canteretur antiphona, quæ de communionem nomen mutuauit. Cui psalmus subiungendus est cum Gloria Patri. Hæc Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 18. Porro moris erat communicaturis, dum accipiebant Eucharistiam dicere, Domine non sum dignus, vt intres sub testum meum, auctore Origene, homil. 6. in diuersos, Quando sanctum illum cibum, illudq. incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas, & bibis, corpus & sanguinem Domini, tunc Dominus sub testum tuum ingreditur. Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, vt intres, &c. Quam formulam hæc tenet Ecclesia retinuit. Consequens est, vt de tanti sacramenti mirabili & multiplici fructu paucis agamus. Omnia enim quæ ad hanc tractationem pertinent multis voluminibus explicari vix possent. In primis sacramentum istud gratiam confert ijs, qui pure & sancte accipiunt. Nam cum cetera sacramenta recte accipientibus conferant gratiam, multo magis hoc diuinissimum mysterium, quod fontem ipsum cælestium charismatum & donorum, omniumq. sacramentorum auctorem Christum Dominum, in se continet, a quo tamquam a fonte ad alia sacramenta, quidquid boni & perfectionis habent, defluit. Hoc sacramentum proculdubio conferre gratiam consentiunt omnes veteres & recentiores Theologi. Inde S. August. tomo 3. lib. ex sententijs, sentent. 189. Inueniet illic vitam suam, qui hic discreuerit causam suam. Et ferm. 1. de tempore. Mutet vitam, qui vult accipere vitam. Nam si non mutat vitam, ad iudicium accipit vitam. Cyril. Alexand. in cap. 14. Ioannis: Quoniam igitur Saluatoris caro, verbo Dei, quod naturaliter vita est, coniuncta, viuifica est effecta, quando eam comedimus tunc vitam habemus in nobis illi coniuncti, qui vita effecta est. Hac de causa in exsuscitandis mortuis non solum verbo atque imperio, vt Deus utebatur, verumetiam carnem suam quasi cooperatricem, nonnumquam adhibebat, &c. Concil. Florent. cap. de sacramen. Euchar. Huius sacramenti effectus, quem in anima operatur digne sumentis, est adunatio hominis ad Christum: & quia per gratiam homo Christo incorporatur, & membris eius vnitur, consequens est, quod per hoc sacramentum in sumentibus digne gratia augeatur, plura in hanc sententiam. S. Thom. 3. part. quæst. 79. art. 1. & ad 4. sentent. distin. 12. quæst. 2. Catechismus concilij Tridentini ad Parochos. Deinde sacramentum istud ijs, qui cum innocentia, & integritate percipiunt tribuit gloriam, & vitam æternam. Effectus siquidem huius sacramenti est adeptio gloriæ, seu vitæ æternæ consecutio. Nam & Christus ait, Si quis manducauerit ex hoc pane, viuuet in æternum. Vita enim æterna est vita gloriæ. Inde S. Ignat. epist. ad Ephes. Frangere panem, qui est medicamentum immortalitatis. Item S. August. tract. 26. in Euang. Ioannis. Cibus iste, & potus eos, a quibus sumitur immortales & incorruptibiles facit in societate sanctorum, vbi pax erit, & vnitas plena, atque perfecta. Cyril. Alexandrin. in Ioan. lib. 4. cap. 16. Sanctum vero Christi corpus ad immortalitatem, & vitam æternam nutriens cibus est. S. Chrysof. homil. 24. in 1. ad Corinth. Propter hoc corpus non amplius cinis & terra ego sum, propter hoc cælum & bona, quæ in eo sunt me accepturum spero, immortalem vitam angelorum sedem. Plene S. Thom. 3. part. quæst. 79. art. 2. Tertio sacramentum Eucharistiæ delet peccata, nedum venialia, & leuiora, sed & grauiora, seu mortalia, vel vt August. lib. 11. de ciuitate Dei, cap. 12. loquitur, conscientiam vastantia. Quoad venialia cum sacramentum hoc spiritalis cibus sit, quo id restauratur, quod ex calore concupiscentiæ per venialia peccata deperditur, eius virtute peccata venialia, proculdubio remittuntur. Vnde S. Ambros. de sacramen. lib. 5. cap. 4. Iste qui vulnus habet, medicinam requirit. Vulnus est, quia sub peccato sumus. Medicina est cæleste & venerabile sacramentum, late Magist. sentent. lib. 4. distin. 12. S. Thom. ad 4. distin. 12. quæst. 5. art. 1. & par. 3.

& par. 3. quæst. 79. art. 4. S. Bonauentura ad 4. sentent. distin. 21. quæst. 2. Quod vero ad grauiora & mortifera pertinet, etsi hoc sacramentum, vbi mens in affectu peccandi est magis grauet, quàm purificet, auctore Augustino de Ecclesiast. dogmatib. cap. 53. vnde in eo, qui percipit in conscientia peccati mortalis non operatur peccati remissionem: verum in eo, qui conscientiam & affectum post diligentem peccati sui disquisitionem non habet, delet peccata etiam letalia. Pænis, inquit Cyprian. substantialis, & sollempni benedictione sacratus ad totius hominis vitam, salutemq. proficit, simul medicamentum & holocaustum ad sanandas infirmitates & purgandas iniquitates existens. Chrysof. homil. 21. ad populum Antiochenum, & homil. 4. in Matth. Poculum bibamus, quod vermes ac serpentes exitio tradere possit. Dicat aliquis, quodnam illud poculum, quod huiusmodi virtutem habeat? Pretiosus est sanguis Christi, si cum fiducia sumatur. Hic enim omnem poterit extinguere ægritudinem: latissime Alexan. de Ales par. 4. quæst. 40. S. Thomas par. 3. quæst. 79. art. 3. Verum queri solet, si hoc sacramentum delet peccata, cur ante illius perceptionem oportet purgari a peccato? Scriptum est enim: Probet seipsum homo. De quo plura supra dum de præparatione egimus. Huic dubitationi occurrit S. Cyprian. de cena Domini, in hæc verba: Sacramenta, inquit, quantum in se est, sine propria esse virtute non possunt, nec villo modo diuina se absentat maiestas mysterijs: sed quamuis ab indignis se sumi vel contingi sacramenta permittant, non possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantæ sanctitudini contradicit. Ideoq. alijs sunt hæc munera odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem: quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantæ gratiæ puritas sibi faciat mansionem: hoc est, etsi sacramentum si consideremus illud in se, vel secundum se, tum propter rem contentam, tum ex passione Christi, quæ est fons & causa remissionis peccatorum, efficax sit ad delenda peccata nedum nostra, sed totius mundi, in sumentem tamen exigitur legitima dispositio, ne sit in eo impedimentum percipiendi huius sacramenti effectum. Ceterum an per Eucharistiæ sacramentum tota peccati poena deleatur pluribus edisserit. S. Thomas ad 4. sentent. distin. 4. quæst. 2. & distin. 12. quæst. 2. art. 2. & par. 3. quæst. 79. art. 5. Cui addendus est Chrysof. homil. 82. in Matth. Quarto impollutum, vitaleq. Eucharistiæ sacramentum munit & confirmat nos aduersus futura peccata. Ioan. 6. cap. Si quis manducauerit ex hoc pane, non morietur in æternum, morte scilicet spiritali, quæ est per peccatum. S. Ignatius epist. ad Ephes. Frangite panem, qui est medicamentum immortalitatis, antidotum non moriendi sed viuendi per Iesum Christum. S. Cyprian. de cena Domini: Hæc ebrietas non accendit, sed extinguit peccatum. In hoc vino non est luxuria, nec mouetur ad ludum, post hunc, cum sopiuit obliuio cuncta carnis ludibria, mira sunt quæ sentit, magna quæ videt, inaudita quæ loquitur, quem agnus iste paschalis inhabitat. S. Chrysof. homil. 45. in Ioannem: Vt leones flammam spirantes sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo. & hom. 61. ad populum Antiochenum: Hic mysticus sanguis dæmones expellit, & procul esse facit, ad nos autem angelos vocat. Et paulo post: Si figura ipsius tantam habuit virtutem, & in Hebræorum templo, & in media Ægypto superliminaribus inunctis, quomodo veritatem ipsam diabolus, quæso, non timuerit? Idem Chrysof. hom. 2. & 12. ad populum Antiochenum. Cogita quid manu capias: nec vnumquam vllum verberare audeas: cogita quid manu capias, & ipsam ab omni auaritia, & rapina liberam conserua. Repetita quod non tantum manu capias, verum & ori admoueas & linguam custodi a contumelijs mundam, a turpibus verbis, blasphemia, periurio, atque alijs omnibus huiusmodi. Cyrillus lib. 4. in Ioannem, cap. 17. Pias, quæso, cogitationes suscipias studiose, sancteq. viuas & benedictione participes, quæ mihi crede non mortem solum, &c. Præclare S. Bernard. ferm. de cena Domini, de hoc sacramento: Duo in nobis sacramentum illud operatur, vt videlicet & sensum minuat in minimis, & in grauioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum, non tam acerbos sentit iracundiæ motus inuidiæ, luxuriæ, aut ceterorum huiusmodi, gratias agat corpori & sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo, & gaudeat quod pessimum vicus accedat ad sanitatem. Quinto incolumes nos seruat contra dæmonum tela, iacula, & tentationes. S. Ignatius epist. ad Ephesios: Festinate frequenter accedere ad Eucharistiam, & gloriã Dei. quando enim assidue hoc ipsum agitur, expelluntur potestates satanæ, qui actus suos conuertit

in sagittas ignitas ad peccatum. S. Ambros. serm. 8. ad psalm. 118. Cum hospitium tuum viderit aduersarius occupatum cælestis fulgore præsentia, intelligit locum tentamenti suis per Christum esse interclusum, fugiet, recedet, & tu noctem sine vlla offensione transibis. Energumenos complures huius sacramenti beneficio liberatos docuimus percensendo sacrosanctæ Eucharistiæ miracula. Sexto hoc sacro cibo, velut viatico fideles & nutriuntur & roborantur ad ambulandum viam spiritalem vsque ad montem Sion cælestem. Quare S. Paulus apposite sacrosanctam Eucharistiam, viam appellat ad Hebræos cap. 10. ibi: Habentes itaque fratres fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiauit nobis viam nouam, & viuentem per velamen, id est carnem suam, &c. Quem locum de Eucharistia Turrian, libro 2. de sacramen. Eucharistiæ ex Liturgia S. Iacobi Apostoli & Theodoret interpretatur. Sane veteres Patres Eucharistiam Græce *ἐπιδήσιον*, Latine viaticum passim appellarunt. Synod. Nicæna can. 13. can. De his vero qui 26. quæst. 6. vt si quis vita excedat vltimo & maxime necessario viatico ne priuetur *τὸ πάλαι, καὶ ἀναγκαστικῶς ἐφοδῆν μὴ ἀποσπείρειται*. Concil. Aurelianen. 3. can. 24. Si quis poenitentia benedictione suscepta ad sæcularem habitum, militiamq. reuerti præsumperit viatico concessio vsque ad exitum excommunicatione plectatur. Idq. iure ac merito. In hoc enim vno sacramento positum est viaticum, id est cibus itinerarius & corporum, & animorum, nedum in via huius vitæ; in qua post huius viatici manducationem plerique sine alio cibo diutissime vixerunt, vt de Erone & Ioanne Anachoreta apud Palladium, & Simeone apud Theodoretum, & alij plerisque: sed maxime in illo formidoloso itinere cum ex vinculis corporis tamquam ex carcere in aliud sæculum euolamus, quo præcipue tempore cibus iste adhibendus est, quo vires animi reficiantur. Quare studiose morituri hoc viaticum sibi adhiberi curabant. S. Chrysostomus libro 6. de sacerdotio commemorat se audiuisse a sanctissimo viro, qui diuino beneficio ipse viderat, quod qui ex hac vita migraturi sunt, si pure & sancte huius sacramenti participes fuerint ab angelis, illorum animas satellitum more stipantibus propter huiusmodi sacramentum assumptum, hinc recta in cælum abducuntur. Paulinus in vita Ambrosij narrat, quod Ambrosio morituro, Honoratus sacerdos Vercellenis Ecclesiæ, cum in superiore parte ædis se ad quietem composuisset tertio vocem vocantem se audiuit, dicentemq. sibi, Surge & festina, quia modo est recessurus. Qui descendens obtulit Ambrosio sacrum Domini corpus, quod vbi accepit, emisit spiritum, bonum viaticum, ait Paulinus, secum ferens. Hactenus Paulinus. S. Chrysostomo morituro & noctu oranti sanctum Petrum & Ioannem Apostolos apparuisse, eumq. cælesti & ineffabili esca pauisse, scribit Nicephorus libro 13. cap. 37. Sanctam Romulam morituram, viaticum petiisse & accepisse testatur Gregorius homil. 40. in Euangelium, & libro 4. dialog. cap. 15. Prætereo Serapionis historiam apud Eusebium, libro 6. histor. Ecclesiast. cap. 36. quam alibi exaravi. O terq. quaterq. beati, quibus contigit extremo vitæ die hoc viatico frui! Si hinc hoc sacrificio muniti, ait Chrysostomus homil. 24. in priorem ad Corinth. migrabimus maxima cum fiducia: sanctum ascendemus vestibulum, tamquam aureis vestibus vndique contexti. Indulge, o Deus immortalis, mihi seruo tuo, etsi nequissimo & impurissimo, vt priusquam extremum vitæ spiritum edam pura & integra mente huius sacrosancti viatici particeps efficiar. Sunt & alij innumeri fructus sacra synaxis, seu communionis, quos præter ceteros diligentissime persequitur S. Thomas opusculo 58. de venerabili altaris sacramento, cap. 21. 22. 23. 24. 25. & 26. Porro quemadmodum hæc sacrosancta communio vberimos, & mirabiles fructus parit in his, qui pure & caste ad eam accedunt, ita & in eos, qui cum conscientia scelerum suorum communicant poenæ grauissimæ ac certissimæ constitutæ sunt. De quibus hoc eodem cap. dum de præparatione ad communionem egimus. Ideo autem diuinorum sacramentorum perceptio, communio appellata est, quia nobis coniunctionem cum Deo conciliat, nosq. regni ipsius consortes ac participes reddit. S. Isidorus Pelusiota epist. 228.

D E

DE ITE MISSA EST.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEXTVM.

- 1 *Missæ sacro peracto clamat Diaconus, Ite, Missa est.*
- 2 *Salutatio extrema populi dum dicitur, Ite, Missa est, quid significet.*
- 3 *Missæ dictum est mysterium altaris, quod ad placandum Deum velut hostia mittitur.*
- 4 *Ite in pace post sacrum apud antiquos Patres in usu fuit.*
- 5 *Missæ sacrificium non semper concluditur his verbis, ITE, MISSA EST. eiusq. rei causa tradiur.*
- 6 *Deo gratias responderi solet a populo post, Ite, Missa est, vel, Benedicamus Domino.*



D R A E T E R E O quæ de perfusione digitorum, ablutione & oratione nouissima dici possent, quæ pluribus verbis enarrant Innocent. III. libro 6. mysteriorum Missæ, cap. 8. & 11. Durantus in Ration. diuin. offic. libro 4. cap. 55. & 57. Gabriel Biel super can. Missæ, lect. 83. Ceterum his omnibus peractis, ait Alcuinus libro de diuin. offic. cap. de celebrat. Missæ ad finem, astanti & obseruanti populo absolutio datur clamante Diacono, Ite, Missa est. Missa igitur, ait Alcuinus, nihil aliud intelligitur, quàm dimissio, id est, absolutio, quam celebratis omnibus tunc Diaconus esse pronunciat, cum populus a solemnibus obseruatione dimittitur. Vnde & Missam Cathecumenorum canones dicunt, quoniam post lectionem Euangelij clamante Diacono iisdem Cathecumeni mittebantur foras. Alcuinum sequitur Florus in expositione Missæ: Adhæc Amalar. Fortunat. libro 3. de Ecclesiast. officijs, cap. 36. Deinde, inquit, reuertitur ad Orientem, vt se commendet Domini ascensionis, dicitq. Diaconus, Ite, Missa est. Singularis etenim legatio Christi missa est pro nobis ad patrem, habens iudicia suæ sæculi passionis. Et postea, O vtinam quando audiuius a Diacono, Ite Missa est, mens nostra ad illam patriam tendat, quo caput nostrum præcessit: vt ibi simus desiderio, vbi desideratus cunctis gentibus nos expectat cum suo trophæo. Stephanus Eduensis de sacramento altaris, cap. 18. Hac salutatione, Ite Missa est, monentur astantes recedere, quia missa est hostia: cui omnis laus, & honor, benedictio, & gloria: ad quam de hoc exilio transire festinandum est celeri cursu, sanctoq. mentis recessu. Ea enim ad reconciliationem nostram sufficiens legatio mittitur. Propterea ministerium sacrosanctum Missæ nuncupatur. In eandem sententiam Rupert. Tuitiensis, Hoc, inquit, sacrosanctum altaris mysterium, idcirco Missa dicitur: quia ad placationem, & solutionem inimicitarum, quæ erant inter Deum, & homines, sola valens & idonea missio est. Aliter Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 20. Hos etiam, inquit, post vltimum conuiuium, ab eis discessurus in cælum, benedixit, sicut & sacerdos populum cum oratione post communionem benedicit, videlicet iam cito discessurus ab eo, cui tamen prius, vt ipse discedat, per, Ite, Missa est, denunciat, in figuram angelorum, qui discipulis, discedente Domino ab eis, dixerunt, Viri Galilæi, quid statis, & reliqua. Quo audito, discipuli adorantes Dominum, reuersi sunt in Hierusalem cum gaudio magno, sicut & populus relata Deo gratiarum actione, ad propria cum gaudio reuertitur. vel, Missa est, id est perfecta, & finita pro nobis oblatio. Alcuin. dicto cap. de celebr. Missæ, quemadmodum in regula S. Benedicti, vbi de publicis precibus dicitur, finiantur, & cap. 10. & 13. compleantur, pro eo dicitur, cap. 17. Missæ sint, & fiant. Plane peractis, quæ ad Missæ mysterium pertinent, plebem in ipsis Ecclesiæ incunabulis dimitti, clamante Diacono consuetum, auctor est. S. Clemens lib. 8. constit. Apostolic. cap. 15. in hæc verba: Et Diaconus dicat, Ite in pace. Illudq. sollempne fuisse, innuit S. Cyprian. lib. de spectaculis, Ad spectaculum dimissus, & adhuc secum gerens, vt assolet, Eucharistiam, inter corpora obscœna metreticum tulit, plus damnationis meritis de spectaculi voluptate. Quibus verbis, ad spectaculum dimissus, alludere videtur ad illud vsitatum, I T E, M I S S A E S T. In vetustioribus Liturgijs Græcorum, peracto sacrificio, Diaconus dicere solebat.

B b 2

A 70-

Ἀπολόγητος ἐν εἰρήνῃ, Ite in pace. Quo verbo denunciat populo potestatem abeundi, ut nos dicimus, Ite, Missa est. Cetera, quæ ad hanc tractationem pertinent, petenda sunt ex c. 1. huius libri de nomine Missæ. Verum non semper in fine Missæ dicitur, Ite, Missa est. Quandoque enim dicit Sacerdos, Benedicamus Domino. Quandoque, ut in Missa pro defunctis, Requiescant in pace. Plene festis diebus, Ite, Missa est, dicimus: quia tunc, ait Microlog. de ecclesiast. obseruat. cap. 46. & 47. generalis conuentus celebrari solet, qui per huiusmodi denunciationem licentiam discedendi accipere solet. Aliam huiusce traditionis rationem profert Rupertus Tuitien. lib. 2. cap. 20. Profestis vero diebus dici solet, Benedicamus Domino: quoniam non generaliter ab omnibus, sed a religiosioribus, qui plus spiritalibus negotijs quàm sæcularibus inuigilant, qui & reliqua, dum licet, officia quotidie frequentant. Ergo conuenienter illis post Missam, ut non statim discedant, sed ut Dominum benedicant, denunciatur. Hæc Microlog. d. cap. 46. Additq. quod cum, Ite, Missa est, dicimus, ad populum conuertimur, quem discedere iubemus. Cum autem, Benedicamus Domino, dicimus, non ad populum, sed ad altare, id est ad Dominum vertimur. Ceterum, audita voce Diaconi, Ite, Missa est, vel, Benedicamus Domino, populus respondet, Deo gratias. S. Dionys. cap. 3. ecclesiast. hierarch. Participans autem, & tradens Thearchicam communionem in gratiarum actionem sacram definit cum omni Ecclesie sacra plenitudine. Vbi Lincolien. Peractis mysterijs, quorum prædictæ sunt theoriæ, & quorum vltimum est participatio, & traditio sacre communionis, Hierarcha circumstantibus complet hoc diuinum officium cum gratiarum actione. S. Chryso. in Matth. hom. 82. operis perfecti: Audite quicumque vltimam orationem non expectatis mysteriorum. Hoc enim illius orationis symbolum. Gratias egit antequam dedit discipulis suis, ut & nos gratias agamus. Gratias egit, & hymnum dicit, postquam dedit, ut & nos hoc ipsum faciamus. Augustinus item epist. 59. ad Paulinum quæstio. 5. Quibus peractis & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Quæ Augustini verba Amalar. Fortun. lib. 1. de ecclesiast. officijs cap. 34. exarauit.

DE BENEDICTIONE, QUAE DATVR in fine Missæ.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SEPTIMVM.

- 1 *Benedictionis vsus ad finem Missæ probatur Patrum testimonijs.*
- 2 *Populus ante sacerdotis benedictionem egredi non debet.*
- 3 *Benedictio populi in utroque testamento vsitata.*
- 4 *ברכה Quod Hebræis est benedicere, varia significat.*
- 5 *Altare osculatur Sacerdos, peracto Missæ sacrificio.*

Benedictionis vsus ad finem Missæ, probatur & sacris canonibus, & sanctorum Patrum testimonijs. S. August. epist. 59. quæst. 5. ad Paulinum: Interpellationes autem, siue, ut vestri codices habent, postulationes sunt, cum populus benedicatur. Tunc enim Antistites velut aduocati susceptos suos per manus impositionem misericordissime offerunt potestati. Quibus peractis, & participato tanto sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Quem locum de benedictione post communionem interpretatur Amalar. Fortun. præfat. altera ad libros de ecclesiast. officijs. S. Hieronymus epist. ad Rusticum Narbonensem. Si Presbyter, inquit, Christum consecrat, cum in altario Deisacramenta benedicit, benedicere populo non debet, qui Christum etiam meruit consecrare? Et postea: Hoc in Ecclesijs tuis faciant quod Romæ, siue quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hispania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis, vbi humilitas perseverat. Quem locum ad benedictionem nouissimam in sacro Missæ pertinere, scribit Micrologus de eccles. obseruat. cap. 21. In Concil. Agathen. can. 30. can. Conuenit, de consecrat. diffin. 5. Et in conclusione Matutina-

Matutinarum, vel Vespertinarum, & Missarum post hymnos capitula de Psalmis dicantur, & plebs collecta oratione ad Vesperam ab Episcopo cum benedictione mittatur. Et apertius can. 47. can. Missas, de consecrat. diffin. 1. Missas die Dominico sæcularibus totas audire speciali ordine præcipimus. Ita ut ante benedictionem Sacerdotis egredi populus non præsumat. Quod si fecerint, ab Episcopo confundantur. In Concil. Arelaten. 3. Cum ad celebrandas Missas in Dei nomine conuenitur, populus non ante discedat, quàm Missæ solemnitas compleatur, & vbi Episcopus non fuerit, benedictionem accipiat Sacerdotis. Apud Burcard. lib. 3. Decret. cap. 29. Et Iuon. par. 3. cap. 34. Hoc ipsum toridem verbis repetitum fuit Concil. Aurelianensi 2. can. 28. In eandem sententiam B. Cæsarius homil. 5. Rogo vos, fratres charissimi, & paterna pietate commoneo, ut quoties aut in die Dominico, aut alijs maioribus festiuitatibus Missæ fiunt, nullus de Ecclesia discedat, donec diuina mysteria compleantur. Et postea: Et ideo fratres, monete eos, qui nec orationem Dominicam dicere, nec benedictionem accipere volunt, & non desinite castigare dicentes eis, quia nihil prodest eis, quòd lectiones diuinas audiunt, si, antequam diuina mysteria compleantur, abscedant. Illis tamen, qui publicis necessitatibus occupantur, & eis, qui aliqua infirmitate prohibent expectare non possunt; imputare non possumus, nec debemus. Ipsi tamen videant in conscientia sua, vtrum eos necessitas retrahat, an voluntas, & quæ sequuntur. Item Isidorus lib. 1. de ecclesiast. offic. c. 17. benedictionem in populo dari a Sacerdote, antiqua per Moysen benedictio pandit, & comprobatur. Quia benedicere populo sub sacramento trinæ inuocationis iubetur. Ait enim ad Moysen Dominus Numerorum 6. Sic benedices populum meum, ut benedicam illos. Benedicat te Dominus &c. De eadem benedictione Micrologus de ecclesiast. obseruat. cap. 20. Communicatio populi typum illius conuiuuij gerit, quod non semel Dominus post resurrectionem suam cum discipulis inijsse legitur. Hos etiã post vltimum conuiuuium, ab eis discessurus in cælum, benedixit, sicut & Sacerdos populum cum oratione post communionem benedicit, videlicet iam cito discessurus ab eo, cui tamen prius, ut ipse discedat, per Ite Missa est, denunciat, in figuram angelorum qui discipulis discedente Domino ab eis, dixerunt, Viri Galilæi, quid statis aspicientes &c. Hoc loco obseruandum est, quod ברכה Beracha, id est, benedictio, varia significat apud Hebræos. Quod & Hieronymus ab oleastro ad caput 1. Genesios 24. vbi seruus Abraham dicit, Deum Domino suo benedixisse, id est diuitem eum fecisse. Cum vero de homine ad hominem, est, bona illi precari, aut desiderare. Luca 2. Benedixit illis Simeon, id est, bona illis precatus est a Domino. Hominis vero ad Deum, laudare significat. Dum vero prohibetur Concil. Agathensi can. 30. benedictionem super plebem in Ecclesia fundere, aut poenitentem in Ecclesia benedicere, de episcopali benedictione interpretatur Microlog. de ecclesiast. obseruat. capit. 21. Quæ utique benedictio iuxta canonem 18. Toletani Concilij, & Sanctum August. epist. ad Paulinum, ante communionem populo a solis Episcopis debet impendi. Addit Micrologus, quòd sententia Concilij provincialis generali Ecclesie consuetudini derogare non debet. Tandem sacro Missæ peracto, Sacerdos osculatur altare, dicens: Placeat tibi Domine sancta Trinitas. Deinde sacris vestibus se exuens cantat hymnum trium puerorum iuxta 13. canonem Concilij Toletani 4. Hæc Micrologus, de ecclesiast. obseruat. capit. 22. Nedum autem peracto Missæ sacro, Sacerdos osculatur altare, sed & quoties ad populum conuertitur. Cum autem altare Christum referat, qui & ipse est altare Dei, Sacerdos altare osculando meminisse debet desiderij, & amoris sponsæ, id est, Ecclesie, quæ suspirans dicit: Osculetur me osculo oris sui. Innocent. III. lib. 2. mysteriorum Missæ capit. 15. Rursus cum osculum sit nedum amoris signum, sed & reuerentiæ, vnde Esther Regina venerationis ergo osculabatur apicem virgæ Assueri Regis: caueat Sacerdos accedens ad osculandum altare, ne odio aliquo, atque dissidio a proximo diffideat, ne cum tanta animi impudentia appropinquans ad Dominum, & osculans altare, audiat cum Iuda vocem illam, Osculo filium hominis tradis? Vade reconciliare fratri tuo.

DE PANE BENEDICTO, QVI

ἁλογια, vel ἁγιδωον appellatur.

CAPVT QVINQVAGESIMVM OCT AVVM.

- 1 Communio quàm frequens fuerit initio Ecclesiæ.
- 2 Panis benedictus cur in Ecclesia institutus, & quo tempore.
- 3 Cathecumenis ἁλογια datur, non tamen Eucharistia.
- 4 Sacramenti nomen apud Augustinum, quo sensu ad panem benedictum, seu ἁλογια transferatur.
- 5 Panis benedicti complures ex Patribus meminerunt.
- 6 Augustini locus de catech. rud. ad Eucharistiæ sacramentum pertinet.
- 7 Panis benedictio quandoque fiebat post Missam.
- 8 Oratio, qua panis benedicebatur.

INITIO nascentis Ecclesiæ Christiani, qui celebrationi Missæ aderant, post pacem acceptam communicare solebant. Postea, crescente fidelium numero, eorumq. pietate frigescente, statutum fuit, singulis diebus Dominicis communicare. can. Non iste. can. Quotidie, de consecr. distinct. 5. Quod cum in defuerudinem abijisset, constitutum fuit, ter in anno fideles communicare, ac deinde semel saltem die Paschæ, vt plenius docui sup. cap. de communione. Vsu tamen receptum, vt pro communione, quæ fiebat singulis diebus Dominicis, daretur, auctore Duranto lib. 4. rationalis diuin. offic. cap. 53. iisdem diebus Dominicis panis benedictus, sanctæ communionis vicarius, qui ἁλογια dicitur. Duranti coniecturam confirmat Balsamon ad cano. 2. Synodi Antioch. his verbis: Puto autem ex hoc canone esse inuentam, & excogitatum Antidori distributionem, vt necesse haberent ij etiam, qui non possunt sanctorum, & viuificorum mysteriorum esse participes, ad finem vsque diuini ministerij perseuerare, & ipsum e manu Sacerdotis ad sanctificationem accipere. At panis benedicti vsus antiquior est. Pius enim, Papa XI. qui floruit Antonini temporibus, huiusce consuetudinis meminit in decreto, quod exaratum legimus, tum in Codice. 5. librorum lib. 2. cap. 117. & apud Burchardum lib. 5. cap. 27. & Iuon. par. 2. cap. 37. his verbis, Vt de oblationibus, quæ offeruntur a populo, & consecrationibus, quæ supersunt, vel de panibus, quos deferunt fideles ad Ecclesiam, vel certe de suis presbyter conuenienter partes incisas habeat in vase nitido, & conuenienti, vt post Missarum solemniam, qui communicare non fuerint parati, ἁλογια omni die Dominico, & in diebus festis exinde accipiant, quæ cum benedictione prius faciat. Greg. Nazianz. orat. 19. in laudem patris sui, se panes benedicere, ac cruce signare consueuisse, inquit, his verbis, ibi, Cum canistro, panibusq. in primis candidis pro meo more benedictis, atque cruce consignatis, &c. S. Aug. epist. 34. ad fin. Panis, quem misimus, vberior benedictio fiet dilectione accipientis vestræ benignitatis. Idem August. lib. 2. de peccator. meritis & remissio. capit. 26. Non vniuersi modi est sanctificatio, inquit. Nam & Cathecumenos secundum quendam modum suum per signum Christi, & orationem manus impositionis, puto sanctificari: & quod accipiunt, quamuis non sit corpus Christi, sanctorum est tamen, & sanctius, quàm cibi, quibus alimur. Qui locus patefacit, Cathecumenis Eulogiam dari tum consuetum: Eucharistiam vero denegatam, Quod & alibi August. docet lib. 1. de peccat. remissio. cap. 20. ibi, De sacramto sanctæ mensæ, quo nemo rite nisi baptizatus accedit. Et tract. 11. & 106. in Ioan. Plane idem August. cap. 26. de peccat. merit. & remiss. panem benedictum sacramentum appellat, sacramentum late pro quocumque mysterio, & signo rei sacræ accipiens. Panis etiam benedicti mentionem facit S. Paulinus Nolanus Episc. epist. 1. ad Seuerum. Panem, inquit, Campanum de cellula nostra tibi pro Eulogia misimus tantum meritis in Domino tuis freti, vt plena ad te perferendum sui gratia crederemus. Tu, licet vberioribus micis a Domini mensa iam saturatus sis, dignare & a peccatoribus acceptum in nomine Domini panem in Eulogiam vertere. Idem Paulin. in epist. ad Alipium, quæ est 25. inter epistolas Augustini, Panem vnū sanctitati tuæ vnitate gratia misimus. In quo etiam trinitatis soliditas continetur. hunc panem Eulogiam esse tu facies dignatione sumendi. Idem epist. ad Romanian. inter epistolas Augustini

Augustini 26. ne vacuum fraternæ humanitatis officium videretur, de buccellato Christianæ expeditionis, in cuius procinctu quotidie ad fragilitatis annonam militamus, panes quinque tibi pariter, & filio nostro Licentio misimus. Non enim potuimus a benedictione secernere, quem cupimus eadem nobis gratia penitus annectere. Rursus epist. 1. ad S. Aug. panem vnum, quem vnanimittatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus accipiendo benedicas. De eodem pane benedicto nonnulli interpretantur August. de Catheciz. rud. c. 26. De sacramto inquit, quod accepit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem diuinarum rerum esse visibilia, sed res ipsas inuisibiles in eis honorari: nec sic habendam illam speciem benedictione sanctificatâ, quemadmodum habetur in vsu quolibet. Verum ego locum illum de Eucharistiæ sacramto intelligo. In Concil. Florëtino, quod primum Ferrariæ inchoatum est sub Eugenio, legimus in ipsius exordio, proxima Dominica quindecim Græcos Sacerdotes Imperatoris iussu Missam solemniter celebrasse, ibidemq. Marchionem cum suis ciuibus adfuisse, & panem benedictum per Patriarchæ dexteram, more Græcorum, accepisse. Adhæc panis benedictio quandoque fiebat post Missam, auctore Honorio in gemmâ animæ cap. 67. Statutum est, ait Honorius, vt panis post Missam benediceretur, & populo pro benedictione communionis partiretur. Hoc & Eulogia dicebatur. in Concil. Mariceni cap. 9. apud Burchard. lib. 5. cap. 32. cautum est, finita Missa a presbytero oblationes accipere. Apud Græcos vt Cabasilla capit. 53. scriptum reliquit, Sacerdos, sacrificio peracto, oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa diuisum tradit fidelibus, vt qui sanctus sit, eo quod templo fuerit dedicatus, & oblatus. Illi autem, cum reuerentia suscipiunt, & dexteram deosculantur. Oratio verò qua panis benedicebatur, extat apud Burchard. cap. 28. Domine sancte Pater omnipotens, benedicere digneris hunc panem tua sancta, & spiritali benedictione, vt sit omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes morbos, & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum panem vitæ, qui de celo descendit, & dat vitam, & salutem mundo, & tecum viuunt, & regnat per &c.

FINIS LIBRI SECVNDI.



IOANNIS STEPHANI

DVRANTI

REGIS CONSILIARII AMPLISSIMIQ.

SENATVS TOLOSANI

PRIMI PRÆSIDIS,

DE RITIBVS ECCLESIAE

CATHOLICAE.

LIBER TERTIVS.

DE HORIS CANONICIS.



DE NOMINE, ET SIGNIFICATIONE

Horarum Canonicarum.

CAPVT PRIMVM.

- 1 Horarum canonicarum definitiones, & etymologia male a quibusdam tradita.
- 2 Hora unde dicta, & quid significet apud auctores etiam profanos.
- 3 Hora est vicesima quarta diei naturalis pars.
- 4 Canonice dictæ sunt horæ varijs de causis, quæ referuntur cumulate.
- 5 Canonici qui sint apud Pythagoram, qui mundum sensibilem ad harmoniam canere dicebat.

HORAS canonicas Zenzelinus Zabarella, Guillelmus, Ioannes de Lignano, Albertus de Ferrarijs, & plerique alij ad cap. 1. de celebrat. Missarum, & Clement. 1. cod. tit. varijs modis definiunt. Verum omnes eorum definitiones adeo ineptæ, & aniles sunt, vt in his refellendis otiosum fuerit immorari. Horas vero dici comminiscuntur ab orando, quia orando & contemplando celebrari debent, quod per quàm ridiculum est: Quid enim commune habet hora, adiecta ad inspirationis nota, cum oratione sine aspiratione?

2 Quare prætermisissis eorum nugis, obseruandum est horam nedum in profanis, sed & in sacris litteris quandoque vsurpari pro tempore. 1. Ioan. 2. nouissima hora est. S. August. lib. 1. exposit. epistolæ ad Gal. Et apud Terent. hora abiit. Quattuor anni tempora veteres horas appellabant, *ὥρὰ τῆς ὀπίστης*. Plato in Cratylo, Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 21. Et apud Greg. Nazianz. carmine de humana natura. Quandoque pro die. Cic. actione 3. in Verrem, vbi Asconius frequenter pro cuiusque rei maturitate. Ioan. 5. Venit hora, & nunc est, & 7. Nondum venerat hora eius. Vulgo hora pro 24. diei naturalis parte, Romano more. Romani siquidem diem a mediâ nocte ad mediâ noctem definiunt. Itaque quidquid in viginti quattuor horis actum est: perinde quasi quavis hora lucis actum esset, 1. More Romano. ff. de ferijs. cap. Consuluit. de offic. deleg. A. Gellius lib. 3. noct. attic. cap. 2. Isidorus, Beda, Anselmus, & alij innumeri. Dicuntur autem horæ æqualia 24. diei spatia, quibus dies noxq. conficitur, quia Sol, auctore Macrob. lib. 1. Saturnal. capit. 21. apud Ægyptios Florus vocatur. Fuere, qui horas dictas crediderunt a nomine Græco *ἔπος*, quod terminum, seu finem significat.

significat. Horis enim tamquam finibus distinguimus, ac terminamus spatium illud continuum temporis. Non desunt, qui horas a voce Græca *ἔπος* dictas prodiderunt, quæ quidem vox vrinam significat. Fingunt enim Hermetem Trimegistum horas primum notasse ex vrina cuiusdam animalis sacri apud Ægyptios, quod soli dicatum erat. Cum enim obseruasset animal illud duodecies nocte, totiesq. in die vrinam emittere æqualibus semper interuallis, credidit diem, noctemq. in totidem æqualia curricula distingui, quæ horæ ab vrina illius animalis nuncuparentur. Verum hæc nullum satis idoneum auctorem habent. hæc de horis. Canonice horæ, in quibus clerici diuina officia persoluunt, & celebrant, 4 canonicæ appellantur: vel quia per sacros canones institutæ sunt glos. pragmat. in tit. Quomodo diuinum officium sit celebrandum in voce, Canonicas. vel canonicæ hoc est ecclesiasticæ Nouel. Iustiniani 115. §. 38. apud Iulianum, ibi: Si de negotio ecclesiastico, id est canonico, causa emerferit. & nouell. 21. §. 9. apud eundem Iulianum, ibi: Nam si quid canonicum acciderit. Rursus canonicæ, id est, regulares, hoc est regula certi ordinis, clericorum scilicet, certi temporis, & certæ formæ præscriptæ, & constitutæ. Canon enim Græce, Latine, regula. Gratian. ex Isidor. canon. Can. regula, dist. 3. Dicuntur & horæ canonicæ siue regulares, quia a sanctis Patribus regulariter obseruatæ. De Turre crem. tract. 73. in regulam, sancti Benedicti. Cornelius Mussius, Bituntinus Episcopus sermone ad Synodum Bituntinâ de horis canonicis, conijcit horas inde canonicas dictas, quod in choris primitiuæ Ecclesiæ canorum quiddam iuxta harmoniam, quæ non tam auribus, quàm ratione, & mente digna iudicatur, splendere videbatur. Accedat quod Pythagoras hunc mundum sensibilem 5 existimabat ad harmoniam canere. Auctore Cicerone de natura deorum, cantoresq. illos, qui præ ceteris erant harmonici, vocabat canonicos, Cælius Rhodig. lib. 5. lect. antiq. c. 11. Verum etsi hæc plausibilia sint, a mente tamen Patrum, qui horas diuinis officijs dicatas, canonicas appellant, aliena existimo.

DE CERTARVM HORARVM

ad orationem antiquitate.

CAPVT SECVNDVM.

- 1 Messaliani heretici, quibusdam scripturæ locis freti dicebant semper orandum, eorumq. rationes refutantur.
- 2 Orandum esse semper aliqui docuerunt heretici, alij vero numquam ex præscripto, & definita lege seruatis horarum interuallis.
- 3 Hora orandi cur definita sint ab Ecclesia.
- 4 Horis certis orandi ratio ostenditur ex sacris litteris, & Patribus diligenter.
- 5 Horis certis orare, & laicis utile est, & a plerisque vsuatum, ac commendatum.
- 6 Oratio quo sensu debeat esse perpetua.
- 7 Horas canonicas ante tempora Hieronymi, & Gelasij in vsu fuisse.

INTER hæreticos, qui Ecclesiam Catholicam vexarunt, & perturbarunt, 1 fuere Messaliani, qui & Psalliani lingua Syra, Græca vero *Ευχίται* ab orando. Hi numquam non orandum affirmabant. Horum meminerunt Epiphanius hæresi 8. S. August. de hæresibus ad Quoduultdeum, hæresi 51. Theodore. lib. 4. hist. cap. 10. Et lib. 4. hæreticarum fabularum. Nitebantur vero tum præcepto Christi. Luc. 18. Oportet semper orare, & numquam deficere: tum auctoritate Apostoli 1. ad Thessal. 5. Sine intermissione orate. Fuere, 2 rursus, qui horarum canonem, & rationem in canendis diuinis laudibus, & precibus ad Deum fundendis penitus improbarunt, vt Pelagiani, apud S. August. de hæresibus cap. 88. Vuiclef Anglus, Taboritæ, & nonnulli ex Boemis apud Æneam Syluium lib. de orig. Boemorum cap. 35. Verum pia mater Ecclesia, quæ a Spiritu sancto ducitur, & gubernatur, 3 lam non vitæ partem opportunam habendam esse censet. Infirmi tamen humana: prospiciens certas horas tum diurnas, tum nocturnas, Ecclesiasticis indixit, quibus clerici tamquam ministri publici, orationi, & diuinis laudibus vacarent, immolantes pro omnibus vitulos laborum suorum: ita vt earum rationem & officium (ni si premat necessitas) prætermittere,

mittere, aut negligenter persolvere nefarium sit. Ea vero certis horis orandi institutio nedum Patrum testimonio, sed & sacræ scripturæ auctoritate fulcitur. Psal. 55. Vespere, & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Daniel tribus temporibus in die flecebat genua sua, & adorabat, & confitebatur coram Deo. Dan. 6. Vbi Hieron. tria tempora, quibus Deo flecebat genua, Tertiam horam, & Sextam, & Nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Inde S. Cypr. ad orationem Dominicam circa finem. In orationibus celebrandis inuenimus obseruasse cum Daniele, tres pueros in fide fortes, & in captiuitate victores, horam Tertiam, Sextam, & Nonam, sacramento, scilicet, Trinitatis, quæ in nouissimis temporibus manifestari habebat. Rursus Psal. 118. Media nocte surgebā ad confitendum tibi. Et eod. Psal. Septies in die laudem dixi tibi. Et Psal. 62. In matutinis meditabor in te. Psal. 87. Mane oratio mea præueniet te. Psal. 140. Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. In nouo item testamento Act. 2. Apostoli hora diei tertia orantes, accipiunt Spiritum sanctum. Act. 3. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis Nonam, vel vt vis sermonis Græci indicat, quod & Turrianus obseruauit, ad horam illam orationis, quæ erat Nona. *Ἐπὶ τῷ ὄραν τῆς ὀρθοῦς τῆς ἑννὰ ὥρας*. Expendenda enim est articuli repetitio. Philo Iudæus veterum Christianorum mores describens, lib. de vita contemplatiua: Quotidie, inquit, bis precari solent, mane, & sub vesperam, oriente Sole, petentes diem vere felicem, vtq. mentes eorum cælesti repleantur lumine. Occidente vero vt animā exonerata sensibus in totum, moleq. rerum sensibiliū, veritatem vestiget in consistorio domestico: Tertul. in Apol. c. 2. ex Plin. lib. 10. epist. 97. testatur, vetustiores Christianos cœtus antelucanos ad canendum Deo inire consueuisse. Extat Apostolica constitutio de horis Sacris, & Canonicis apud Clem. lib. 8. const. Apost. cap. 34. Precationes facite mane, Tertia hora, ac Sexta, & Nona, & Vespere, atque ad Gallicantum. S. Cypr. de orat. Dominica. Sed nobis fratres dilectissimi, præter horas antiquitus in veteri lege obseruatas, orandi nunc, & spatia, & sacramenta creuerunt. S. Athan. de virginis. seu de meditat. Oriens Sol videat librum in manibus tuis. Post Tertiam Synaxes conficies. Sexta hora absolues deprecationes tuas cum Psalmis, ploratu, & supplicationibus. Nona hora rursus in hymnis, & glorificationibus eris. Iulianus Apostata acerimus Christianorum hostis, Sacerdotes, & Lectores more nostro instituebat, nec non certas, certarum horarum, & dierum preces. Sozom. lib. 5. cap. 15. histor. tripart. lib. 6. cap. 29. Niceph. lib. 10. c. 21. Ad hæc S. Basil. serm. 1. de instit. monach. Cum autem ad orationem, nulla non vitæ pars oportuna habenda sit, quæ tamen datis quibusdam interuallis ab illa psalmodiæ, genuq. flexionis acri contentione nonnumquam est inter quiescendum, is est maxime horarum modus tenendus, qui a veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Idem Basil. in regulis fusiis disputatis, interrog. 37. Neque vero tamen quemquam assidue, atque adeo omnibus momentis adhiberi oportere gratiarum actionem, & lex ipsa præcepit, & nos eam vitæ nostræ necessariam esse, cum natura, tū ratione docuimus. Propterea illæ statis temporibus præscriptæ orationes negligendæ veniunt, quas obseruari in conuentibus solemne est, & quotidianum. Et postea: Atque utilis etiam meo quidem iudicio hæc in orationibus, & psalmorum decantationibus, quæ certis temporibus fiunt, diuersitas est, atque varietas: ob eam causam, quod in perpetua similitudine, & æqualitate rerum, animo nescio quomodo torpedo quædam oboritur, atque tedium, eaque aliud agens ad fuitiles, & vagas cogitationes aberrat. In vicissitudine autem atque varietate cum psalmodiæ, tum singularū horarum orationis, & studium ipsum renouatur, & attentio instauratur. S. Greg. Nazian. orat. 19. partim funebri in laudem patris: Quæ nā ieiunij & vigilijs carnem, magis attenuauit, aut nocturnis, aut diurnis psalmodijs columnæ instar se ipsam afflixit. S. Hieron. epist. 7. ad Lætiam, de instit. filiæ. Præponatur ei probæ fidei, ac morū pudicitie virgo veterana, quæ illā doceat, & assuescat exemplo ad orationes, & psalmos nocte cōsurgere, mane hymnos canere, Tertia, Sexta, Nona hora stare in acie, quasi belatricem Christi, accensaq. lucerna reddere sacrificium Vespertinum. S. Aug. ser. 1. feria 4. qui est 56. de tempore. Et ideo, ait, rogo vos fratres charissimi, ad vigilijs nocturnas surgite, ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam ante omnia conuenite. Et in regi. 3. cap. 7. & sequentibus orationibus, inquit, in statis horis, & temporibus constitutis. S. Epiph. lib. 3. aduer. hæres. hæres. 80. de seruis Dei agens, inquit, Versantur inter diu semper assiduis iuxta interuallum horis preces ad Deum irreprehensibiliter cum multa humilitate, & doloroso eiulatu sursum emittentes. Damasc. in vita SS. Barlaam, & Iosaphat circa finem: Inuenerunt, inquit, Iosaphat manus in celum extensas habentem, & orationem Sexta celebrantem horam.

Sunt

Sunt & alia innumera sanctorum Patrum testimonia. Nedum autem clerici sed & laici ipsi certis horis, orationibus, laudibus diuinis, & gratiarum actionibus incumbere debent. Præclare & grauius, S. Basil. hom. in martyrem Iuliam: Accumbens mensæ ora. esitans panem, largitori gratiā rependito. suffulciens, firmansq. infirmas corporis vires vino, eius fac memineris, qui hoc te dono impertiuit. Et paulo post, Tunicam indueris: gratias agito benigno datori. Amicitis pallio: fac in te augetur intentior erga Deum charitas. Et postea, Ipsa rursus nox alias ad orationem suggerere possit, conciliare ve occasiones. Etenim si quando in cælum suspexeris, quum in eximiam syderum pulchritudinem oculorū aciem defixeris pressius. horum visibilium supplica Domino, vniuersorum longe optimo artificum, procide Deo, & cole eum: qui cuncta hæc in sapientia condidit. Vbi omnigenū animantium naturam, in somnum resolutam ac depressam perspexeris, supplex procidens adora rursus eum, qui nos nec cogitantes, aut certe inuitos indulgentia soporis a continenti laborum assiduitate relaxat, & alleuat, perq. exiguæ quietis refocillationem vigorem addit corpori, viresq. instaurat. Idem S. Ambros. lib. 3. de virginib. circa principium, Oratio quoque nos Deo crebra commendet. Si enim propheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi, qui regni erat necessitatibus occupatus quid nos facere oportet, qui legimus: Vigilate & orate ne intretis in tentationem? Certe sollempnes orationes cum gratiarum actione sunt deferendæ, cum a somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergitur: sed etiam in ipso cubili volo psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriger: vt se in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberā diuina meditantē somnus inueniat. Et infra: Symbolum quoque specialiter debemus tamquam nostri signaculum cordis antelucanis horis quotidie recensere. Quæ vero hæretici illius sæculi obijciebant ex Luca cap. 18. Oportet semper orare. & Apostolo 1. ad Thessalonicenses 5. Sine intermissione orate, facile dilui possunt. Primum ex August. lib. de hæresib. ad Quoduultdeum hæres. 57. quem Nicolaus I. in respons. ad consulta Bulgarorum refert, & sequitur cap. 61. Ille dicitur semper, & sine intermissione orare, qui certa orandi tempora nullo die intermittit. S. Hiero. epist. 22. ad Eustochium: Quamquam Apostolus orare nos semper iubeat, & sanctis etiam ipse somnus sit oratio: tamen diuisas orandi horas debemus habere: & si forte aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat. S. Eligius homil. 11. in cena Domini: Quis autem potest semper orare, ac sine defectu & intermissione precibus insistere, vt nec alimentum sumendi, nec dormiendi tempus habeat? Cui ergo dicendum est, Oportet semper orare, & non deficere, nisi ei, qui canonicis horis quotidie iuxta ritum Ecclesiasticæ traditionis psalmodijs, precibusq. consuetis Dominū laudare, & rogare non desistit? Et hoc est quod ait Psalmista psal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Quod totidem fere verbis refert Beda in cap. 18. Lucæ. Hanc interpretationem iuuat, quod Act. 12. scriptum est, quod pro Petro in vincula coniecto, siebat oratio sine intermissione. Anna quoque lib. 1. Regum cap. 1. rogabat sine intermissione. Quibus tamen verbis non excluduntur temporis interualla ad edendum, dormiendum, & alia charitatis, aut naturæ officia implenda, vel auctore S. Thoma 2. 2. quæst. 83. artic. 14. oratio quoad causam eius, quæ est charitatis desiderium, quod perpetuum debet esse in homine actu vel habitu, perpetua esse debet. Quod vero pertinet ad propriam eius rationem, in se assidua esse non potest. Alijs enim actionibus, homo operam dare & inseruire cogitur. Hanc interpretationem refellere conatur Medina de orat. tract. 6. quæst. 11. Verum eam aperte confirmat S. August. epist. 121. cap. 9. & 10. in hæc verba: In ipsa ergo fide, spe, & charitate, continuato desiderio, semper oramus: sed ideo per certa interualla horarum & temporum, etiam verbis oramus Deum: vt illis rerū signis nos ipsos admoneamus, quantumq. in ipso desiderio profecerimus, nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agendum nos ipsos acrius excitemus. Dignior enim sequetur effectus, quem feruentior præcedit affectus. Ac per hoc, & quod ait Apostolus: Sine intermissione orate, quid est aliud, quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus & oremus semper: sed ideo ab alijs curis atque negotijs, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi, mentem reuocamus verbis orationis, nos ipsos admonentes, in id, quod desideramus, intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi frequentius inflammetur. Adde Rabam Maurum

Maurum lib. 2. de instit. cleric. cap. 1. Ille in omni loco orat Deum, qui per charitatis officia & per bona opera, ubique manus cordis mundus eleuare ad Deum satagit, &c. Præterea nonnullas alias horum locorum interpretationes, quas Alfonso Tostat. ad cap. 6. Matthæi, Alphonsus de Castro aduersus hæreses in voce, Oratio. & Medina d. quæst. 11. commemorant. Hoc loco eripiendus est error Polydori Virgilij, & quorundam recentiorum, qui horarum canonicarum institutionem acceptam ferunt, vel S. Hieronymo, vel Pelagio 1. aut 2. Longe enim ante S. Hieronymum vsus earum probatur ex S. Clemete, Basilio, & alijs Patribus, qui Hieronymum antecesserunt. Neque officit can. Eleutherius distin. 91. quem alij Pelagio, alij Gelasio attribuunt. Textus enim ille loquitur dumtaxat de quotidianis vigilijs. Deinde etsi Pelagius, vel Gelasius ab Eleutherio cautionem exegisset quotidie vigilijs celebrari in Ecclesia sua, non sequitur vigilijs tunc institutas fuisse, quin probabilius est longe ante institutas, earum vero celebrationem clericorum solertia intermissam.

DE HORARVM CANONICARVM numero.

CAPUT TERTIUM.

- 1 Horarum canonicarum octonarius numerus, & Patrum testimonijs, & nonnullis rationibus probatur.
- 2 Horas canonicas esse tantum septem, qui auctores affirmant.
- 3 Septenarius numerus familiaris est, & in sacris litteris vsuatus.
- 4 Horarum canonicarum numerus deceditur.

DE numero horarum canonicarum non omnes conueniunt. Quidam enim officium Ecclesiasticum in octo horas diuidunt, quattuor nocturnas & totidem diurnas. Diurnæ Prima, Tertia, Sexta, & Nona: nocturnæ, Vesperæ, Completorium, Nocturni, & Laudes. Beda lib. 3. in Esdras, cap. 28. Amalar. Fortunat. lib. 4. de Eccles. offic. cap. 7. Radulph. Tungrenf. de canonum obseruantia propos. 14. Archidiac. in can. presbyter distin. 91. Antoninus 2. parte cap. 12. §. 1. Glos. pragmat. tit. Qualiter horæ canon. sunt dicendæ extra chorum in verb. officium. Nauarr. lib. de orat. cap. 3. num. 27. & 28. Horum opinio iuuatur primum, quod Iudæi e Babylone reuersi, quater in die legebant in volumine legis Domini, & quater confitebantur & adorabant Dominum. Esdr. 2. cap. 9. Deinde Dauid psalm. 118. profitetur septies in die laudem dicere: antea vero eodem psalmo dixerat se media nocte surgere ad confitendum Deo, atque in ipsis diuinis laudibus videtur propheta distinxisse diem a nocte, octoq. vocibus Deum laudare consueuisse. forte vt hunc ipsum boni ominis numerum, hoc est ogdoada resurrectionis, quasi iudicem in ipsis horis designaret. Amplius in concil. Agathensi, & Nanetensi, can. Presbyter, distin. 91. & cap. 1. de celebr. Missæ præter septem horas, Matutinum scilicet, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, Vesperas, & Completorium, Nocturnarum vigiliarum mentio fit, laudaturq. illud Dauidis, Media nocte surgebam. Ad hæc ex sententia Nauarri, Laudes differunt a Nocturnis: quia initio earum dicimus, Deus in adiutorium meum intende: qui versus initio omnium horarum canonicarum dici solet. habentq. Laudes distinctos hymnos, olimq. tres Nocturni dicebantur in tribus vigilijs noctis, diuidendo eam in quattuor stationes & vigilijs more militari. Inde Laudes in quarta vigilia recitabantur. Isidor. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 19. Rursus nocte natiuitatis Domini separantur Nocturni a Laudibus: post Missam siquidem, quæ media nocte celebratur, Laudes dici consueuerunt. Microlog. de Ecclesiast. obseruat. cap. 34. Denique decebat, vt Christiana religio, quæ diuinarum personarum trinitatem, credit & colit ex viginti quattuor horis, tertiam partem, hoc est, octo horas singulis diebus diuino cultui dedicaret. At crebriori Patrum calculo receptum est, diuinum officium septem horis concludere: Beda in libel. de meditat. passionis Christi per septem dici horas. Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. offic. Raba. Maur. lib. 2. de instit. cleric. Rupert. Tuitiens. lib. 1. de diuinis

de diuinis offic. glossa, & doctores in cap. 1. de celebrat. Missarum. Quam sententiam aperte probat Concil. Cabilonense 2. sub Carolo Magno capit. 59. vbi septem dumtaxat horæ canonicæ numerantur: Matutina, prima, tertia, sexta, nona, vespertina, & completorium. Confirmant S. Basilius lib. 1. de institut. Monach. his verbis: Verum quoniam apud eundem Dauid Psal. 118. Septies in die laudem dixi tibi, super iudicia iustitiæ tuæ: tempora autem illa, quæ diximus, neutiquam septenarium orationis numerum conficiunt, bipartito diuidenda oratio meridiana est. Ita videlicet, vt pars vna cibum præcedat, altera subsequatur, quo perpetua nobis hæc formula sit, septies per singulas dierum conuersiones laudibus celebrandi. S. Ambr. lib. 7. in Lucam, in illud capit. 11. Quis vestrum habens amicū, Nam si ille Dauid scilicet tam sanctus, & qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem Domino dicebat, matutinis, & vespertinis sacrificijs semper intentus, quid nos facere oportet, qui eo amplius rogare debemus, quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus? S. Hieron. in exposit. Psal. 118. septem horas enumerat in hæc verba: Videte, quid dicat, hora tertia, sexta, nona lucernarium, medio noctis gallicinio, mane primo. Ecce septem horæ canonicæ. Cassian. item lib. 3. de instit. cenob. cap. 4. qui typus licet ex occasione videatur inuentus, & recenti memoria pro causa, quam diximus, statutus appareat: tamen illum numerum, quem designat B. Dauid, quamquam spiritalem habeat intellectum secundum litteram manifestissime supplet, Septies in die laudem dixi tibi. Hac enim adiecta solemnitate, septies, sine dubio spirituales hos conuentus in die facientes septies in ea laudes Domino dicere comprobamur. Apposite sane septem horarum numerus institutus fuit. Septem enim dona sunt Spiritus sancti Esai. cap. 11. can. peruenit. 30. quæst. 1. Septiformis spiritus gratiam in se demonstrat. S. Hieron. commēt. in Iob, cap. 38. Hostis ille antiquus septem spiritus assumit nequiores, aduersus quos præuolare non possumus, nisi septiformi Sancti spiritus gratia adiuti. Itaque ad impetrandam septiformem gratiam septies Deo sacrificium laudis offerri mandauit Ecclesia. Rursus septies in die peccata iustus. Prouerb. 24. Septem sunt peccata mortalia, quæ septem gentes Deuter. cap. 7. septem dæmonia. Mar. 18. & Luc. 8. septem nequitia, Prouerb. 26. appellatur. Quare ne quis in ea incidat, vel lapsus resurgat, septies Deum laudare, & veniam petere debet. Septem petitiones oratione Dominica Christus complexus est. Deus opus, quod fecerat, septimo die compleuit. Pro omnibus vero homo, in cuius gratiam omnia fuerunt condita, debet conditori laudem & gratiarum actionem. Hanc rationem hymni, qui per hebdomadam decantantur, confirmant. Amplius septenarius hic horarum numerus per septē tubas, quarum sonitu euerfi muri Hiericho, Iosua 6. adumbratus videtur. Adumbrarunt etiam hunc septem horarum numerum septenæ aspersiones. Leuit. 14. & 16. septem candelabra Ecclesiæ. Apocal. 1. septem lampades, seu lucernæ. Exod. 25. & Apocal. 4. Plura de septenario numero eiusq. mysterio, perfectione, laudibus, ac significatione. S. Basilius homil. 11. in hexameron diuini opificij. Gregor. Nazianz. orat. 94. in sanctam Pentecost. S. August. lib. 11. de ciuit. Dei cap. 31. & lib. 1. de Genesi cōtra Manich. S. Hieron. epist. de celebrati. Paschæ, & lib. 6. comment. in Hieremiam cap. 32. lib. 7. comment. in Esaiam, cap. 22. & lib. 2. comment. in Amos, cap. 5. Varro lib. 1. eorum, qui inscribuntur, hebdomades, quorum meminit A. Gell. lib. 3. noct. Attic. cap. 10. De eodem septenario numero. Galen. in libris decretorij. Plutarch. lib. de Ei apud Delphos. Calcidius in Timæum Platonis. Macrobius lib. 1. in somnum Scipionis, cap. 6. & alij innumeris. Huius dubitationis decisio pendet ab ea quæstione, an nocturni diuidantur a laudibus, seu matutino. Nam si nocturnos diuidamus a laudibus, plures sunt, quam septem horæ canonicæ. Aliter vero erunt dumtaxat septem. Quare existimo distinguenda tempora. Tum enim cum nocturnos media nocte separatim a laudibus recitabant, vel seorsum vnumquodque nocturnum in tribus noctis vigilijs ad instar militarium excubiarum pronuntiabant, erant proculdubio plures, quam septem horæ canonicæ. Vbi vero nocturni simul cum laudibus recitari coeperunt, quod hodie passim, & vbique fieri solet, adeo vt matutinum, & nocturnos, & laudes comprehendat, septem dumtaxat sunt horæ canonicæ. Atque ita concilianda sunt, & temperanda quæ in vtramque partem adducta fuere, quæ inf. cap. de matutino plenius explicabimus.

DE SACRIS VIGILIIS.

CAPVT QVARTVM.

- 1 *Christiani veteres partem non solum diurna, sed & nocturna quietis diuino cultui impertiebant.*
- 2 *Vigiliarum consuetudo inter Christianos antiquissima.*
- 3 *Athanasius dans operam pijs vigilijs liberatur ab hostibus.*
- 4 *Nox contemplationi diuinae legis, & orationibus apta.*
- 5 *Nocturna oratio veteris, & noui testamenti comprobatur testimonijs, & exemplo Christi.*
- 6 *Vigilias nocturnas improbantium error ostenditur: ubi de Vigilantio aliqua ex Hieron. deq. haereticis nostri temporis.*
- 7 *Vigiliae an fuerint aliquando in vlla ecclesia prohibita, inquiruntur vberissime.*
- 8 *Augustinus an sit auctor sermonis ad fratres in eremo.*
- 9 *Vitia, & morum corruptela, quae interdum subrepunt, non debent religioni bene instituta obesse.*
- 10 *Vigiliae a quibus hodie seruentur.*

SOLEBANT vetustiores Christiani partem non solum diurnae, sed & nocturnae quietis diuino cultui, sacrisque precibus impertiri, vt & dies, & nox, & sol, & luna testes essent cultus, quem Christiana religio exhibet Deo. Philo Iudaeus de vita contemplatiua, de prioribus Aegypti Christianis agens, inquit: Cenam vero sequitur sacrum priuilegium his ritibus, &c. Et postea: Itaque producta vsque ad Matutinum hac comestatione honestissima, &c. Plin. Secund. lib. 10. epist. 97. scribens ad Traianum de Christianis sui saeculi, narrat, eos solitos stato die ante lucem conuenire, carmenque CHRISTO secum dicere inuicem, hoc est in choros discretos. Huius epistolae meminerunt Tertull. in Apolog. cap. 2. Euseb. lib. 3. historiae, cap. 26. Oros. lib. 7. cap. 12. Niceph. lib. 3. cap. 17. Coetuum antelucanorum meminit idem Tertull. lib. de corona milit. cap. 3. Eucharistiae sacramentum, & in tempore victus & omnibus mandatum a Domino etiam antelucanis coetibus, nec de aliorum manu, quam praesidentium, sumimus. Idem Tertull. apolog. circa finem, de cena Christianorum agens, ait: Editur, quantum esurientes capiunt: bibitur, quantum pudicis est vtile: ita saturantur, vt qui meminerint etiam per noctem adorandum sibi Deum esse. Item lib. 2. ad uxorem cap. 5. Quis uxorem nocturnis conuocationibus, si ita oportuerit a latere suo eximi, libenter feret? Latebis ne tu cum lectulum, cum corpusculum tuum signas, cum aliquid immundum flatu exponis, cum etiam per noctem exurgis oratum, &c. S. Cypr. de orat. Dominica, ad finem: Sed nobis, fratres dilectissimi, praeter horas antiquitus obseruatas, orandi nunc & spatia, & sacramenta creauerunt. Nam & mane orandum est. Et paulo post: Recedente item sole, ac die cessante, necessario rursus orandum est. Et postea: Et quando mundi lege decurrens vicibus alterius nox resoluta succedit, nullum de nocturnis tenebris esse orantibus damnum potest: quia filijs lucis, & nocte dies est. Et rursus ad finem, Nulla sint horis nocturnis precum damna, nulla orationum pigra, & ignaua dispendia. S. Antonius orationis ergo excubare, totamque noctem peruigilare solitus erat. Sozom. lib. 1. hist. eccl. cap. 13. Cassiod. lib. 1. tripart. c. 11. Niceph. lib. 8. c. 40. S. Athan. Apolog. de fuga sua, circa finem commemorat, quod cum dux exercitus Syriacus cum quinque millibus ad eum intercipiendum in templum irrupisset, in quo multi ex populo ad proximam Synaxim peruigilabant, se diuina prouidentia manus inimicorum effugisse. Cuius historiae etiam meminerunt Sozom. lib. 3. c. 5. Socr. lib. 2. cap. 8. Theodor. lib. 2. c. 13. S. Basil. epist. 63. ad clericos Ecclesiae Neocesariae. Ad id vero, inquit, quod propter psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt: hoc habeo quod dicam, quod videlicet, qui iam obtinuerunt ritus omnibus Ecclesijs Dei concordēs sunt, & consoni. De nocte siquidem populus consurgens antelucano tempore domum precessionis petit, inq. labore, & tribulatione, ac lacrymis indefinentibus facta ad Deum confessione tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituntur. Greg. Naz. orat. 32. in praesentia centum quinquaginta Episcoporum, stationum nocturnarum mentionem facit. S. Hilar. in Psal. 118. Memor fui nocte nominis tui, Domine: Scit Propheta praecipue nocturno tempore diuini esse a nobis nominis recordandum: scit, tum maxime custodiam Dei legis a nobis esse retinendam, cum subrepunt animo impurae cupiditates, cum vitiorum

stimuli

stimuli per recens assumptum cibum corpus exagitant, tum Dei nomen recordandum est, tum custodienda lex eius est, pudicitiam, continentiam, timorem Dei statuens. Nouit hoc praecipue tempore Dominum orandum, deprecandum, promerendum, dicens alibi: Lauabo per singulas noctes lectum meum. Non est periculoso nocturnarum vigiliarum otio animus relaxandus, sed in orationibus, in deprecationibus, in confessionibus peccatorum occupandus est, vt cum maxime corporis vitijs oportunitas datur, tum praecipue eadem vitia diuinae legis recordatione frangantur. S. Ambros. in eiusdem Psal. 118. particulam, Memor fui nocte nominis tui, Hoc nomen IESU inuocetur diebus, ac noctibus. Nullum tempus praedicandi vacuum finat sancta deuotio praeterire. Si studetes igitur doctrinis secularibus perparum somno indulgent, quanto magis, qui Deum cupiunt cognoscere non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturae fatis est. Dauid per singulas noctes lectum suum lacrymis diluebat. Et paulo post: Cum somno & cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur, tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur, ac squalorem immunditiae non veretur, castitatis puritas non consideratur, pudicitiae gloria non recensetur. Nox erat quando Iudas prodidit, quando Petrus negauit. Illo igitur praecipue tempore iustificationes Dei animo retexendae sunt, relegenda mandata hortatoria. Et postea: Audi Ecclesiae vocem quaerentis etiam in noctibus CHRISTVM. In cubili, inquit, meo in noctibus quaesui, quem dilexit anima mea. Accipe secundum literam, quae sunt in noctibus orando, deprecando, etiam lacrymis deplorando. Idem Ambr. in eundem Psal. ser. 19. par. 3. enarrans verba illa, Praeueni in maturitate: Pernoctabat in oratione Dominus IESVS, non indigens precessionis auxilio, sed statuens tibi imitationis exemplum. Ille pro te rogans pernoctabat, vt tu disceres, quomodo pro te rogares. Redde igitur ei, quod pro te detuli: S. Chrys. hom. 42. ad pop. Antioch. & hom. 26. in Acta Apost. Naque non propter hoc est facta & nox, vt saepe dormiamus, & cessemus. Et hoc testantur manuales operarij, agrones, mercatores. Dei Ecclesia medijs consurgens noctibus, surge & tu. Vide stellarum choream, altum silentium, multam quietem, Domini, tui dispensationem admirare. Anima tunc est purior, leuior, & subtilior, magis sublimis & agilis. Ipsae tenebrae multumque silentium ad compunctionem inducere possunt. Et paulo post: Hic mihi sermo, & ad viros, & ad mulieres, Flecte genua, geme, Dominum tuum ora fieri tibi propitium. plus nocturnis placatur orationibus, cum quietis tempus, tu luctuum tempus facis. Regis memento, qualia verba dicebat: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo. Quantumcumque sis delicatus, non es illo delicatior, quantumcumque sis diues, non es ditior Dauide, qui rursus dicebat, Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustificationis tuae. Et postea: At, inquit, laboraui per diem multum, & non possum. praetextus & occasio sunt ista. Nam quantumcumque laboraueris, non laborabis quantum aetarius malleum tam grauem ex tanta demittens altitudine scintillas & fumum toto suscipiens corpore: & tamen maiorem noctis partem in hoc absumit. Item paulo post: Reuereamur si nihil aliud nocturnos custodes. Illi propter humanam legem in gelu circumueunt vehementer clamantes, & per vicos ambulantes madidi frequenter, glaciati, propter te tuamque salutem, & tuarum pecuniarum custodiam. Ille vero pro pecunijs tuis tantam gerit curam, tu neque pro anima tua? Et te quidem ipse sub dio circumire non cogo, sicut ille, neque vociferari & dirumpi, sed in ipsa permanens cella, in ipso cubiculo flecte genua, Dominum ora. Quare CHRISTVS ipse in monte pernoctabat, nonne vt nobis forma fieret? S. Hieron. epist. 7. ad Latam, de institutione filiae: Vigiliarum dies & solemnes pernoctationes sic virguncula nostra celebret, vt nec transuersum quidem vnguem a matre discedat. Et postea: Praeponatur probae fidei & morum, ac pudicitiae virgo veterana, quae illam doceat, & assuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte consurgere. Et epist. 10. ad Furiam: Ardentes diaboli sagittae ieiuniorum & vigiliarum rigore refringendae. & epist. 22. ad Eustoch. de custod. virginitatis: Ad orationem tibi de nocte surgenti non indigestio ructum faciat, sed inanitas. Et paulo post: Esto cicada noctium, laua per singulas noctes lectum tuum, vigila, & fias sicut passer in solitudine, psalle spiritu, psalle & sensu. & in cap. 4. Daniel, enarrans verba illa: Et ecce vigil & sanctus de caelo descendit, Pro vigili Theodotio ipsum Chaldaicum verbum posuit, Hir, quod per tres litteras Ain, Iod, & Res, scribitur. Significat autem Angelos, quod semper vigilent, & ad Dei imperium sunt parati: Vnde & nos crebris pernoctationibus imitamur Angelorum officia. Idem Hieron. epist. 53. ad Riparium: Quod dicis, Vigilantium vigilias execrari, facit hoc contra vocabulum suum, vt velit dormire Vigilantius, & non audiat Saluatorem dicentem:

Cc 2

Sic non

Sic non potuistis vna vigilare mecum? Vigilate & orate ne intretis in tentationem. Spiritus pròptus est, sed caro infirma. Et in alio loco Propheta decantat: Media nocte surgebam vt confiterer semper iudicia tua Domine. Dominum quoque in Euangelio pernoctasse legimus. Et Apostolos clausos carcere tota nocte vigilasse, vt illis psallentibus terra quateretur, eustos carceris crederet, magistratus & ciuitas terrerentur. Loquitur Paulus: Orationi insiſtite vigilantes in ea. Et in alio loco, In vigilijs frequenter. Dormiat itaque Vigilantius, & ab exterminatore Ægypti cum Ægyptijs dormiens suffocetur. Et lib. aduersus Vigilant. cap. 1. Exortus est subito Vigilantius, seu potius Dormitatus, qui immundo spiritu pugnat contra Christi spiritum, & damandas dicit esse vigilias. Rursus autem eod. lib. cap. 4. de vigilijs & pernoctationibus in basilicis Martyrũ sepe celebrandis: In altera epistola, quam ferme ante biennium Sancto Ripario presbytero scripserat, respondi breuiter, & quæ sequuntur. Item in psalmum 118. Memor fui nocte. Oportet, inquit, fragilitatem humanam, & cum semper, impensius tamen nocturno tempore, memoriam facere Domini nominis, cum aut recordatione diuitiarum premitur, aut concupiscentiæ igne torquetur, & præcipue hoc exorare, vt si legem Dei custodire coepit, ne ab eadem in aliquo diuellatur. Item epist. 48. ad Sabinianum cap. 3. Tota Ecclesia nocturnis vigilijs personabat Christum Dominum, & in diuersarum gentium linguis vnus in laudibus Dei spiritus concinebat. S. August. serm. 56. de tempore ad finem, Si infirmitas non prohibet quotidie ieiunare, ad vigilias alacri & feruenti deuotione confurgite propter id, quod scriptum est: De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus. Et iterum: Ad te orabo Domine, mane exaudies vocem meam. Et postea: Ad quam rem etiã Dominus & Saluator in Euangelio hortatur, & admonet, dicens: Vigilate & orate. Et serm. 251. Veniat ergo, cuiuscumque possibile sit, ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, & oret ibi in conuentu Ecclesiæ pro peccatis suis Deum. Idem August. in lib. homil. quinquaginta, hom. 26. Et quia non toti viri vel mulieres valuerunt hodie ad vigilias conuenire, rogo vos filij, vel filia, vt ea, quæ vobis dicta sunt, illis, qui absentes fuerunt, fidelissime referatis, vt non solum de vestra, sed & de aliorum correctione mercedem habere possitis. Præterea S. Gregor. lib. 4. epist. 12. Ioannem Climacum cap. 19. Cassian. lib. 2. & 3. de institutione coenobiorum, Sanctum Patrem Antiochum: homil. 104. Bedam, Bernardum, Rupertum, Alcuinum, Rabanum, Amalar. Fortun. atque alios innumeros. Præterea etiam Concilium Matifconense 2. cap. 1. & Carthaginense 4. cap. 49. Antiqua est, ait Concilium Aquisgranense, c. 130. ex Isidoro, vigiliarum deuotio, familiare bonum omnibus sanctis. Esaias denique Propheta clamat ad Dominum, dicens: De nocte vigilat spiritus meus. In eandem sententiam extant illustria veteris & noui testamenti testimonia. I. Reg. 15. Contristatus Samuel clamauit ad Dominum tota nocte. Isaias 26. Anima mea desiderauit te in nocte, sed & in spiritu meo de mane vigilabo ad te. Iudith. 6. Conuocatus est populus per totam noctem in Ecclesiam. Psal. 21. Deus meus clamabo per diem & non exaudies, & nocte & non ad insipientiam mihi. Psal. 76. Et meditatus sum nocte, cum corde meo exercitabar. Psal. 101. Vigilauit sicut passer solitarius in tecto. Psal. 118. Memor fui nocte nominis tui. Et iterum: Media nocte surgebam. Et Psal. 133. In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. In nouo item testamento CHRISTVS nedum verbis docuit vigilias, sed & confirmauit exemplo. Erat IESVS pernoctans in orat. Luc. 6. Item Luc. 2. Et hæc vidua, Anna scilicet, vsque ad annos octoginta quattuor, quæ non discedebat de templo ieiunijs & obsecrationibus seruens nocte ac die. S. Paul. 2. ad Cor. 6. In omnibus exhibeamus nosmet ipsos, sicut Dei ministros. Et Paulo post: In vigilijs. Inuenies, ait de Turre Crem. quod non sit verus Dei minister, qui refugit sacras vigilias. Item 1. ad Cor. 5. Quæ autem vere vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet obsecrationibus, & orationibus nocte & die. S. Petrus 1. cap. 4. Vigilate in orationibus. Quibus plane & aperte arguitur error eorum, qui nocturnas vigilias improbant. Damnabat nocturnas vigilias Vigilantius, cuius temeritatem & somniculosum errorem, pluribus verbis infestatur S. Hieron. epist. 53. ad Riparium. Fuere hæretici qui nocturnas vigilias, nedum vanas, sed & in Deum (qui noctem ad somnum & quietem fecerit) iniurias affirmabant. Hi Nyctages appellantur, apud Isidor. lib. 1. de offic. ecclesiast. cap. 22. & lib. 8. etymolog. cap. 5. Raba. Maurum lib. 2. de instit. cleric. cap. 9. Et in Concilio Aquisgranensi cap. 130. Eundem errorem, pene intermortuum Vuiclessita ac nouissime Huguenoti renouarunt. Sane nonnulli ex Catholicis nocturnas peruigilationes laicorum, quia dissolutæ cantiuinculæ, pro sacris hymnis, concinebantur, & honesta religionis specie, turpes & secretæ libidines committebantur, antiquatas existimauerunt.

Quidam.

Quidam ex Concilio Elibertino, can. 35. Prohiberi placuit, ne femina in cœmeterio peruigilent, eo quod sæpe sub obtentu orationis scelera latenter committantur. Alij ab Ambrosio, quorum opinio niti videretur Augustini testimonio, ser. 25. ad fratres in eremo: Sed scitote, inquit, fratres mei, quod antiquitus patres nostri fideles, ieiunare consueuerunt, in vigilijs magnarum solemnitarum, vsque ad noctem: quod laudandum erat, & non bonum. Sed hoc non solum, sed etiam vigilabant per noctem, & ad Ecclesiam ludendo, & chorizando conueniebant: quod detestabile erat, & malum. Tales non solum Romani erant, non solum Papienses, & Rauennates, sed etiam Mediolanenses. De qua turpi consuetudine dolebat Mediolani, mater illa, quæ me carne, & spiritu in Christo regenerauit. Et institutum est, ipsa instigante, a patre nostro sancto Ambrosio, vt vigiliæ cassarentur, vel cessarent, a cunctis, & vt homicidia & fornicationes a fidelibus deponerentur. Alij rursus Bonifacium primum vigilias quidem nocturnas abrogasse, at ieiunia loco vigiliarum retinuisse prodiderunt: mansisseque diem vigiliarum, id est officij, nomen. Sane in Concilio Antiochodoren. can. 5. vigiliæ prorsus vetitæ videntur. Ego vero sacras nocturnas vigilias, nusquam ab Ambrosio, vel Bonifacio, aut aliquo Ecclesiæ decreto abrogatas, vel vetitas fuisse, varijs Sanctorum Patrum testimonijs euincam. Primum, Ambrosius ipse nocturnas vigilias, nedum non improbat, quin & valde probat, serm. 60. de festo Pentecostes, can. Missæ dist. 76. ibi: Tunc enim, sicut modo fecimus, ieiunauimus, vigilias Sabbato celebrauimus, orationibus pernoctantes institimus. Idem Ambros. epist. 85. ad Sororem, affirmat in inuentione corporum SS. Geruasij & Prothasij Martyrum vigilias, tota nocte celebratas. Paulinus, in vita eiusdem Ambrosij, Hoc in tempore, inquit, primum antiphonæ, hymni, ac vigiliæ, in Ecclesia Mediolanensi, celebrari coeperunt. Cuius (addit Paulinus) celebratitatis deuotio, vsque in hodiernum diem, non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes occidentis partes manet. Amplius, post tempora Bonifacij, vigilias vsitatas fuisse probat aperte S. Leo, qui aliquot annis sedit post Bonifacium, serm. 1. 2. 4. 5. 6. 7. & 8. de ieiunio decimi mensis. Item serm. 4. de ieiunio Pentecostes, & ser. 1. 3. 4. 5. 7. & 8. de ieiunio septimi mensis. Flavianum, & Diodorum ad sepulchra martyrum prouocantes, vigilias cum populo celebrare solitos, scribit Theodor. lib. 2. c. 24. histor. tripar. lib. 6. cap. 32. Quod vero pertinet ad sermonem Augustini 25. ad fratres in eremo, conijcio sermonem illum alterius esse, quàm Augustini, tum ex verbo, cassarentur, quod barbarum est, & quod sermo ille phrasim Augustini minime redoleat, tum quod alibi idem August. lib. 9. confess. cap. 7. Mediolani populum vigilias celebrare consueuisse, ipsiusque matrem vigiliarum primas partes tenuisse scribat: Excubabat, inquit, pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, seruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, sollicitudinis & vigiliarum primas partes tenens, orationibus viuabat, tunc hymni, & psalmi, vt canerentur secundum morem orientalium partium, ne populus maroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum. Hæc longe multumque dissident, atque discordant, Augustini matre instigante vigilias abrogatas, & Augustini matrem vigiliarum primas partes tenuisse, idque Mediolani, vbi Ambrosius sedebat Archiepiscopus. Accedat quod Ambrosius ipse, quem auctor sermonis illius vigilias cassasse prodidit, vbiq; vigilias probat: quod & ipsius, & Paulini testimonio iam probatum est. Concilium vero Elibertinum, non hominum, sed mulierum dumtaxat vigilias vetat. Deinde Concilium illud prouinciale est. Quanta item sit eius auctoritas docui lib. 1. cap. de imaginum vsu, & veneratione. Ceterum quod prætexunt, ideo antiquatas nocturnas vigilias, quod in nocturnis cœtibus, religionis specie, stupra, adulteria, lenocinia, & omnis generis corruptelæ fieri cœpissent, quo nomine apud profanos & Bacchanalia, & omnia nocturna sacra sublata atque vetita, Liuius, Cicero, & complures alij prodiderunt. Considerandum est, quod & S. Hiero. monuit aduers. Vigilantium c. 4. errorem & culpam iuuenum, vilissimarumque mulierum, qui per noctem sæpe deprehenditur, non esse religiosi hominibus imputandum. Quia, addit Hieron. & in vigilijs Paschæ tale quid fieri plerumque conuincitur: & tamen paucorum culpa non præiudicat religioni, qui & absque vigilijs possunt errare, vel in suis, vel in alienis domibus. Apostolorum fidem Iudæ proditio non destruxit, & nostras ergo vigilias malæ aliorum vigiliæ destruent? Quin potius pudicitia vigilare cogantur, qui libidini dormiunt. Quod enim semel fecisse bonum est, non potest malum esse, si frequenter fiat: aut si aliqua culpa vitanda est, non ex eo, quod sæpe, sed ex eo quod fit aliquando culpabile est. Non vigilemus itaque diebus Paschæ, ne expectata diu adulterorum desideria compleantur, ne occasionem peccandi, vxor inueniat, ne maritali non possit recludi clauem.

Ardentius appetitur quidquid est rarius. Ad hæc Concilium Antifiodorense can. 5. non prohibet vigiliis, quæ fiunt in Ecclesia: verum eas improbat, quæ anili superstitione fiunt in honorem Domini. Quam interpretationem confirmant capita, quæ antecedunt, nec non verba ipsius capituli 5. Et inter supradictas conditiones, quibus satis superq. probatum est, nusquam Ecclesiæ decreto domi, vel in templis vigiliis vetitas, non me latet, pietate frigente, vigiliis nocturnas laicorum, in ecclesijs vbique fere in desuetudinem abiisse, Belet
10 in explicat. diuinorum offic. cap. 11. Durantus in Rationali lib. 6. cap. 7. Has tamen instaurari pijsimum votum est, plane quoad sacris initiatos, vel beneficium Ecclesiasticum pacifice possidentes, qui peccata populi comedentes, nedum pro se ipsis, sed etiam pro populo, vt inquit Apostolus, studiose ac deuote orationi incubere obstringuntur, nec non quoad religiosos choro mancipatos, vigiliæ permanserunt.

DE NOCTURNIS.

CAPVT QVINTVM.

- 1 *Vigilia quattuor erant, in quas diuidebatur ad clepsidram nox apud veteres.*
- 2 *Φυλακή Græcis quid sit.*
- 3 *Ecclesia velut acies castrorum ordinata instituit, clericis agendas excubias, & pias vigiliis.*
- 4 *Nocturni antiquitus separatim in singulis vigilijs recitabantur.*
- 5 *Nocturnis recitandis probabilis est semper interfuisse omnes sacris initiatos.*
- 6 *Nocturni tandem ad vnam vigiliam, & semel cum laudibus cur cæperunt recitari.*

NOCTVM, atque testatum est, veteres noctem in quattuor vigiliis, quarum singulæ ternas horas continebant, distribuisse. Modestus in libro de vocab. rei militaris. Et quia, inquit, impossibile videbatur, in speculis vigilantes singulos permanere: ideo in quattuor partes ad clepsidram sunt diuisa vigilia, vt non amplius quàm tribus horis nocturnis necesse sit vigilare. Hæc totidem verbis Vegetius lib. 3. de re militari capit. 8. Suidas in voce *φουλακή*. In quattuor, inquit, vigiliis distribuitur nox, quarum singulæ ternas horas continent. Hieron. epist. 139. ad Cyprianum, Nox in quattuor vigiliis distribuitur, quæ singulæ trium horarum spatio supputantur. Idem Hieron. in Psalmum 89. Debemus secundum historiam scire, quia nox in quattuor vigiliis distribuitur. Denique in Euangelio dicitur: In quarta autem vigilia. Vna ergo vigilia tres horæ sunt. Nox igitur diuiditur in quattuor vigiliis. Denique milites quattuor stationes habent, quando vigilant, & excubant, & seruiunt. De eadem noctis in quattuor partes diuisione idem Hieron. in cap. 14. Matth. 35. Job. & in
2 Psal. 89. S. August. super Numeros cap. 5. Quas *φυλακάς* Græcus dixit, has nostri interpretes alij custodias, alij excubias interpretati sunt. Sed mirum, nisi vigiliæ melius dicantur, quæ solent in castris ternarum horarum obseruationem habere. Vnde scriptum est Matth. 14. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans super mare, hoc est post horam nonam noctis, post tres videlicet vigiliis. Alibi serm. 14. de verbis Domini, Vigilia vna tres horas habet, ac per hoc nox quattuor vigiliis habet, ternis horis per singulas vigiliis distributis. Euthymius ad Psal. 129. Custodias antiqui certas noctis partes appellabant, eo quod milites exercitibus noctem solent in quattuor partes diuidere, quibus alternatim vigilantes reliquum exercitum ab hostium insidijs custodiunt. Isidor. lib. 1. de Ecclesiast. offic. capit. 19. Siquidem & in nocte stationes, & vigiliæ militares in quattuor partes diuisæ, ternis horarum spatijs fecernuntur. Has vero quattuor noctis partes veteres primam vigiliam, secundam, tertiam, & quartam appellabant. Censorinus de die natali cap. 23. ad finem. Primæ vigiliæ mentio fit Threnorum 2. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. Apud Liuium lib. 1. decad. 3. Delige centenos viros ex omni pedite, atque equite, cum quibus ad me vigilia prima venias. Secundæ, & tertiæ Luc. 12. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia venerit. De vtraque Lucan. lib. 5.

Tertia iam vigiles commouerat hora secundos.

Quartæ autem, quæ & matutina, & vltima appellatur. 1. Reg. 11. Matth. 14. Mar. 6. Plin. lib. 10. cap. 21. Has quattuor noctis partes Christus ipse alijs nominibus distinguit. Mar. 13. Nescitis

Nescitis enim quando Dominus veniet, sero an media nocte, an galli cætu, an mane. Quare, inquit Arnobius in psalmū 129. prima custodia a vespere incipit, secunda ad medium noctis attingit, tertia pullorum cantus transit, quarta est vigilia matutina, quæ in ortum luminis adimpletur. Harum excubiarum militarium argumento Ecclesia velut castrorum 3 acies ordinata, Cant. 6. cui ab hoste communi perpetuo tenduntur insidiæ, excubias clericis agendas instituit, idq. nocte. Eo enim præsertim tempore, auctore Hilario ad psal. 118. in ea verba, Memor fui nocte nominis tui, subrepunt animo impuræ cupiditates, & vitiorum stimuli per recens assumptum cibū corpus exagitant, ac maxime corporis vitijs oportunitas datur. Multa in illo tempore, ait Ambros. tentamenta proserpunt. Tunc feruet carnis illecebra, tunc tentator illudit. Idem Ambr. lib. 7. in Lucam ad ea verba cap. 11. Quis vestrum habet amicum, Nec solum, inquit, media nocte Dominus, sed omnibus prope docet, vigilandum esse momentis. Venit enim & vespertina, & secunda, & tertia vigilia, & pulsare consuevit. Quo loci primam vigiliam vespertinam appellat. De his nocturnis Amalar. Fortun. lib. de ordine antiphonarum cap. 4. Armiductores constituerunt in militia sua dormientibus militibus castra tueri per vigiliis in nocte. Quarta autem est in matutinali tempore, quando nos matutinos cantamus. In memoratis tribus vigilijs, vigiles constituti sunt, qui custodiunt militum dormientium corpora, & suppellectilem eorum. In militia sæculari vicissim dormiunt milites, & vicissim vigilant. In Christianorum vero militia dictum est in Euangelio Marci, Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Ceterum 4 antiquitus nocturni separatim in singulis noctis vigilijs, tribus distinctis temporibus recitabantur. Primus nocturnus prima vigilia, secundus secunda vigilia, tertius tertia vigilia. Belet in explicatione diuinorum offic. cap. 20. & sequen. Guillelmus Durantus in Rationali lib. 5. cap. 3. S. Thom. in cap. 14. prioris ad Corinth. Gloss. pragmat. qualiter horæ. Quod & S. Hierony. non obscure indicat epist. 22. ad Eustochium ibi: Noctibus, bis, terq. surgendum. Nonnulli coniungunt, non omnes initiatos singulis nocturnis adfuisse: verum quosdam ad 5 primum, alios ad secundum, reliquos ad tertium: ad quartum vero, seu laudes matutinas omnem initiatorum cœcum conuenisse. Dominic. de Soro lib. vlt. de iustit. & iur. quæst. vlt. At probabilis est, omnes initiatos singulis nocturnis interfuisse. Diuinum enim officium clerici recitare perfecte debent. Præterea etsi ad singulas noctis vigiliis surgere, & ad recitandos nocturnos conuenire cogentur: non tamen per totam vigiliam excubare, & in vigilia manere. Recitatis enim, quæ singulis nocturnis dicenda sunt, liberum erat eis, se iterum somno, & quieti tradere, atque somnum repetere vsque ad proximam vigiliam. Dein Ecclesia imbecillitati humani generis consulens, Nocturnos dicere vna cum laudibus 6 ad vnam noctis vigiliam indulgit. Cassia. lib. de instit. Monac. cap. 4. testatur, iam suo sæculo matutinam (ea vero laudes complectitur) quæ solebat in Galliæ monasterijs, recitatis Nocturnis, paulo post celebrari, in suo monasterio cum quotidianis vigilijs perfici, & consummari. Amalarius item in Apologo antiphonarum commemorat, se edoctum a Theodoro Archidiacono sanctæ Romanæ Ecclesiæ, idq. iussu Romani Pontificis, Romanos nihil recitare solitos inter nocturnale, & matutinale officium. Eaq. ratione Hugo de sancto Victore lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 2. docet, nocturnum officium non concludi oratione, sicut diurnum. Officium enim nocturnum, ait ille, simul cum laudibus dici consuevit.

DE HORA RECITANDI NOCTURNOS
cum Laudibus.

CAPVT SEXTVM.

- 1 *Nocturni, quæ nunc hora recitari debeant, non omnes conueniunt.*
- 2 *Noctem mediam præ ceteris noctis partibus, & commendatiorem, & aptiorem orationi, ostenditur auctoritate, & præclaris exemplis.*
- 3 *Media nocte Christum resurrexisse Græci veteres crediderunt.*
- 4 *Nocturnos alij asserunt recitandos esse sub finem tertiæ vigiliæ, quod obseruatur in quibusdam Ecclesijs.*
- 5 *Resurrectionis Dominica tempus exquisitur.*

- 6 *Nocturnos media nocte recitari congruentius est.*
 7 *Nocte media leguntur in scripturis patrata permulta.*
 8 *Nocturnum recitantes ante auroram non peccant.*

I R C A horam dicendi nocturnos cum laudibus, posteaquam simul recitari coeperunt, nihil ab Ecclesia certum, ac definitum habemus. Plerique media nocte nocturnos, ac laudes recitari debere, contendunt. Ceteris enim noctis partibus illa commendatior est. S. Dionys. epist. ad Demophilum agens de B. Carpo ait, Circa vero mediam noctem, quo tempore consueuerat ipse semper apud se ad diuinos euigilare hymnos, expurgatur quidem, & surgit. S. Athanas. lib. de uirginit. circa finem, Media nocte surgito, & laudato Dominum Deum tuum. In hac enim hora surrexit Dominus noster a mortuis, & laudibus celebravit patrem, propter hoc in hac hora praecipit nobis laudare Deum. S. Basil. in regulis fufius disputatis interrogat. 37. De tempore autem dimidia noctis, quod id ad orationem necessarium sit, traditum nobis est a Paulo, & Sila in actis. Scriptum est enim sic, Circiter autem mediam noctem Paulus, & Silas laudabant Deum. Atque hoc etiam concentor psalmorum confirmat dicens, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Idem Basil. epist. 1. ad Gregorium Theologum, Budaeo interprete, ad finem: At qui quod alijs diluculum, id nox ijs dimidiata est, qui se colendae pietatis studio deuouerint. Tum enim praecipue orium animae largitur nocturnum conticinium, cum neque oculi aspectus importunos, neque aures auditus obturbatores intro ad cor admittunt. Et psal. 114. in ipso principio, iam inde ab usque nocte media, quum hoc dicatum martyribus templum subieritis, ipsorum martyrum Deum hymnicis laudibus placabilem uobis reddetes, ac propitium. S. Hilarius in psal. 118. in ea uerba, Media nocte surgebam, Non vacat totis noctibus somno, nec otiosus lecto continetur: ad confitendum Deo non solum nocte, sed etiam media nocte consurgit. Meminit hoc esse tempus, quo primitiae Aegyptiorum meritissima impietate oblationis clade percussae sunt. His ergo horis non laxatur in somnum, ne gladio Aegypti admisceatur. hoc noctis tempore, introeunte sponso, sapientes uirgines in nuptias cum lampadibus introibunt. Vigilat ergo, ne cum stultis mereatur excludi. hoc tempore psallentibus Paulo, & Sila Apostolis catenae, & vincula resoluuntur. Non dormit itaque, ne uinctus sit, nec habet eum nocturni temporis somnus, nec ei obliuio officij sui requie mediae noctis obrepit. surgit enim ad confitendum Deo. Confessio uero non solum ad peccata referenda est: uerum etiam in Dei laudibus intelligenda. At S. Ambros. serm. 8. in eadem uerba psal. 118. Media nocte surgebam: Non satis est dies ad deprecandum: surgendum est & nocte, & media nocte. Ipse Dominus pernoctauit in oratione, ut te proprio ad deprecandum inuaret exemplo. Idem Ambros. serm. 19. in eundem psal. in ea uerba, Praeueni in maturitate, & clamaui, Audi supra dicentem prophetam, Media nocte surgebam, ad confitendum tibi. Et tu surge uel media nocte, si non potes tota semper nocte uigilare, ut dum oras nocte, ueri solis pectori tui splendor irradiet: quia omnis anima, quae Christum cogitat, in lumine semper est. Idem Ambros. lib. 7. Lucae 11. enarrans uerba illa, Quis uestrum habens amicum, petijt ab hoc media nocte panes? Dauid, petijt, & accepit. Petijt enim quando dicebat, Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ideo meruit hos panes, quos apposuit nobis edendos. S. Hieronym. epist. 8. ad Demetriadem cap. 8. Praeter psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, & nona, ad uesperam, media nocte, & mane semper est exercendum. & epist. 27. cap. 10. Mane hora tertia, sexta, nona, uespere, noctis medio per ordinem in monasterio Paulae psalterium canebant. S. Chrysost. homil. 42. ad populum Antioch. & 26. in Acta Apostolorum. Ecclesia medijs surgit noctibus, surge & tu. Accedat, quod Christum media nocte resurrexisse, ueteres Graeci Patres crediderunt. S. Athanas. de uirginitate circa finem. Gregorius Nyssenus orat. 1. & 2. de resurrec. Domini. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Ioannem cap. 44. Euthymius ad cap. 23. Matthaei. Niceph. lib. 1. cap. 31. Ex Latinis Ambrosius ad cap. 14. Luc. S. Hieron. epist. 150. ad Edibiam quaest. 4. Vnde idem Hieron. in 25. cap. Matthaei can. 55. putat, Apostolicam traditionem permansisse, ut in die uigiliarum Paschae, ante noctis dimidium populos dimittere non liceat expectantes. S. Gregor. homil. 21. in Euangelium, ubi de Samone, qui media nocte ciuitatis portas abstulit. Praeterea Rupertum, & nonnullos alios. Non desunt, qui & nocturnos, & matutinum recitari debere, affirmant, in sine tertiae uigiliae inter abscessum

scissum tenebrarum, & aurorae aduentum: idque usu receptum in plerisque Ecclesijs Antoninus 3. par. tit. 13. cap. 4. §. 4. Albertus de Ferrarijs, & Nicolaus Ploue in tractatu de horis canonicis, gloss. pragmatic. in tit. Qualiter horae sunt dicendae, in uerbo, officium. Plane in regula S. Benedicti, cap. 8. constitutum legitur, hiemis tempore surgendum esse ad uigilias octaua hora noctis, ut modice amplius de media nocte pausetur. Haec Benedictus. Romana quoque id usu receptum, indicat Amalar. Fortunat. in lib. de ordine antiphon. cap. 4. Sancta, inquit, Romana Ecclesia hoc speciatim nobis insinuat per suam consuetudinem. Ipsa enim quocumque ordine, uel numero lectionum uiderit matutinam procedere, ut audiui, dimittit nocturnale officium, & incipit matutinale. Periculosum est enim transgredi terminos patrum, hoc est nisi aut in maturitate iuxta auctoritatem prophetae Dauid, surgamus, aut iuxta consuetudinem nostrae fragilitatis in gallicinio. Quae uerba proculdubio de gallicino secundo interpretanda sunt. Ad haec Latinorum concursus est sententia, Christum non media nocte, uerum mane in aurora, canentibus uice gallorum Angelis, deuicta morte, & confractis portis inferi, surrexisse. Vnde matutinae laudes cum ingenti iubilo eadem hora decantari debent. Cyprian. de orat. Dominic. ad finem: Nam & mane orandum est, ut resurrexio Domini matutina oratione celebretur. Christum item mane in aurora resurrexisse consentiunt S. August. lib. 4. de Trinit. cap. 6. & in dialog. ad Oros. cap. 26. Beda in uigilia Paschae. Nicolaus de Lyra, Marci ult. Alex. de Ales par. 3. quaest. 20. memb. 3. artic. 2. & 3. S. Thomas 3. parte quaest. 51. artic. 4. & quaest. 52. artic. 4. & quaest. 53. artic. 2. Guillelmus Durantus in Rational. lib. 6. cap. 72. Plene & luculenter Francolinus de tempore horarum canonicarum, cap. 46. His uero, quae de media nocte adduximus, facile occurri potest. Nam, auctore S. Thoma part. 3. quaest. 51. artic. 4. uersic. ad 2. ex S. Gregorio homil. 21. in Euangelium Ioannis, aliquid dicitur fieri media nocte, non quidem diuisa nocte in duas partes aequales, sed infra noctem. Illud enim diluculum, ait Thomas, & pars noctis, & pars diei dici potest, propter conuenientiam, quam cum utroque habet. uel ex Cardinali de Turre cremata tract. 73. ad regulam S. Benedicti. Medium inter aliqua dicitur, aut per aequalem distantiam terminorum, aut per interpositionem. Media nox apud Dauidem psal. 118. dicitur per interpositionem inter partes extremas noctis, secundum quam medijs rationem, cum octaua hora surgimus, media nocte surgere dicimur. Haec de Turre cremata. Sane congruentius, & religiosius uidetur, media nocte nocturnos, & laudes recitare. Quod & religiosi in monasterijs, & Ecclesia Parisiensis studiose haecenus obseruarunt gloss. pragmat. in tit. Qualiter horae sint dicendae, in uerbo, officium. ubi Probus, Tum quod durius sit ea hora e somno suscitari, grauior enim tum somnus nos complectitur: tum quod ea hora multis gloriae insignibus illustretur. Media nocte percussit Angelus Aegyptum. Exod. 11. Media nocte prudentes uirgines ducuntur ad sponsum, Matth. 25. Christum media nocte natum credit Ecclesia ex cap. 18. Sapientiae, Dum quietum silentium tenerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine exiliens de caelo a regalibus sedibus uenit. Extant & alia complura, ait Hieronymus ad psal. 118. in ea uerba, Media nocte surgebam, de insignibus mediae noctis, testimonia. Non tamen damnandos iudico canonicos saeculares cathedralium uel collegiatarum Ecclesiarum, qui ubique fere nocturnos, & laudes recitant, ante auroram, cum & auctoritate & consuetudine nitantur, neque Ecclesiae inutile sit ab his ante auroram, ab alijs media nocte matutinum decantari. Tum quod utriusque horis Deum laudantibus diuina Maiestas omni fere hora laudetur, sitque quodammodo laus perennis. Tum quod auctore Nauarro lib. de oratione, cap. 3. num. 39. & 40. Laici campanae sonitu moniti, media nocte, nec non ante auroram, uel e lecto surgentes, uel etiam iacentes Deum varijs horis collaudant.

D E P R I M A.

C A P V T S E P T I M V M.

- 1 *Hora prima colitur, summa religione, ab Ecclesia varijs rationibus.*
 2 *Prima diei hora, laudes Deo referenda, ante omnem corporum curam, primiq. membrorum manus Deo consecrandi.*

- 3 Prima canonicarum hora an sit in memoriam resurrectionis instituta.
 4 Prima horæ institutionem quidam referunt, sed male, ad tempora Cassiani.
 5 Prima quo maxime tempore diei, celebranda.
 6 Mane unde sit dictum, & quam diei partem proprie designet.
 7 Symbolum quo vocis tenore profertur solitum, tum in prima, tum etiam in Missa.

PRAM primam summa religione colit, & obseruat Ecclesia varijs rationibus. Prima ex Rabano, lib. 2. de instit. cleric. cap. 3. quia in exortu diei, quando sol ab oriente primum apparet, solem iustitiæ oriri nobis postulare debemus, vt in illius lumine ambulantes, peccatorum tenebras, & laqueos mortis effugiamus. Vnde Ioan. 12. Ambulate dum lucem habetis, ne forte tenebræ vos comprehendant. Deinde ex Amalario Fortunato lib. 4. de Ecclesiast. offic. cap. 2. Sicut ouibus, quæ nocte custodiuntur in ouilibus, & post matutinam custodiam de vico exeuntibus ad pascua in latitudinem corporum, necesse est, vt illico habeant opilionem, qui eas defendat a lupis irruentibus: ita nobis necesse est, primo diluculo surgentibus ad mandata Domini, vt habeamus pastorem & doctorem, qui nos introducat ad eadem mandata, & defendat a lupis, de quibus legitur apud Ioannem: Et lupus rapit & dispergit oues. Et paulo post, Propter suprascriptas feras dicit opilio noster, Deus in adiutorium meum intende, &c. Item ex Ruperto lib. 1. de diuinis offic. cap. 2. Prima hora Creatori nostro laudes referre debemus, ante omnem curam corporis: qua scilicet hora Dominus noster iam consputus est, & illusus, atque alapis cæsus, Pilato propter nos ligatus astitit. Item rediuius stans in littore, cum in captura piscium, a quibus retia rupta non sunt, significasset Ecclesiam, qualis futura est in resurrectione. addo quod sicut primitias frugum, Deus sibi offerri iubebat, sic sacerdotes & clerici, diuino quodam iure, per singulos dies, ante omnes huius mortalis vitæ curas, & cogitationes, primam diei horam, velut lucis primitias, offerre debent, primosq. animi ac mentis motus, vt S. Basil. in regulis fusius disput. interrog. 37. loquitur, Deo consecrare, ac primum quære regnum Dei, & iustitiam eius. Præclare S. Ambros. in Examer. lib. 5. cap. 12. & 24. & ferm. 43. de aibus agens, quæ surgente & occidente sole, æthera cantu mulcere solent: Quis, inquit, sensum hominis gerens, non erubescat sine psalmorum celebritate diē claudere, & adoriri, cum etiam aues sollempni deuotione & dulci carmine ortus dierum ac noctium profequantur? Non desunt, qui horam primam celebrari ab Ecclesia scripserint, in honorem & memoriam Dominicæ resurrectionis, quasi ea hora Dominus resurrexerit. Canonistæ in cap. 1. de celebr. Missar. At Patrum omnium fides est, Christum vel media nocte, vel saltem ante auroram resurrexisse. quod pluribus tractauimus, proximo cap. Inde consequens est, laudes non vere primam Dominicæ resurrectionis memoriam repræsentare, quod Isidorus lib. 1. de Ecclesiast. offic. cap. 3. Rabanus lib. 2. de instit. cleric. cap. 2. Hugo de S. Victore, lib. 2. de Ecclesiast. offic. cap. 10. Belet, & Durantus probare videntur. nisi dixerimus, Primam repræsentare memoriam resurrectionis, non quidem in ipso momento, quo accidit, sed quo mulieribus ab Angelis nunciata est, orto iam sole. quod & Hugo de sancto Victore in speculo Ecclesiæ, cap. 3. innuit. Huius autem primæ horæ institutionem, plerique sæculo Cassiani acceptam ferunt, neque ante illud sæculum cognitam, idq. ex Cassiano lib. 3. cap. 4. ibi: Sciendum tamen est hanc matutinam (de prima hora proculdubio loquitur) quæ nunc obseruatur in occiduis vel maxime regionibus, canonicam functionem nostro tempore, in nostro quoque monasterio, Bethleem scilicet, primitus institutam. Dominus noster Iesus Christus, natus ex virgine, humanæ infantie suscipere incrementa dignatus est, &c. Primam, & Completorium, post aliarum horarum institutionem additas, scribit Radulph. Tungrenf. de canon. obseruantia propof. 14. At verius est, longe ante Cassianum horam primam institutam fuisse: quod ex S. Clemente & alijs Patribus, qui Cassianum antecesserunt, colligere licet. Clemens lib. 8. constit. Apostol. cap. 40. Preces vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere, & in gallicantu, diluculo gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus, expulsa nocte & inducto die. Ecce celebrationem primæ horæ, ac causam. S. Athanas. de virginitate: Oriens sol videat librum in manibus tuis, post tertiam, &c. S. Basil. in reg. fusius disput. interrog. 37. Ac matutinum quidem, vt primi animi ac mentis nostræ motus consecrentur Deo, neque vilius rei curæ ante aditum ad nos demus, quam nos in cogitatione de Deo oblectauerimus, sicut scriptum est,

Memor

Memor fui Dei & delectatus sum: neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quam illud fecerimus quod dictum est: Orabo ad te Domine mane exaudies vocem meam, mane astabo tibi, quo loci matutinum a laudibus secernit. Nam paulo post de media nocte rursus: Post anteuertendum diluculum est, & ad orationem surgendum, caendumq. ne dies nos in lectulo dormientes opprimat, & ille imitandus qui dixit, Præueniunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua. S. Hieron. epist. 7. ad Lætam, Affuescat exemplo ad orationes & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere, tertia, sexta, nona hora, &c. Vbi Victorius mane, horam primam interpretatur. Ceterum quæ diei hora, prima celebrari debeat, non omnes conueniunt. Nonnulli ante solis ortum in crepusculo matutino. Hostiensis, Ioannes Andreas, Antonius de Butrio, Panormitanus, & ceteri in cap. 1. de celebr. Missæ, quibus fauere videtur. S. Hieron. in 2. exposit. ad psal. 119. ad ea verba, Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus. Vbi enumerans septem horas canonicas addit: Videte quid dicat hora tertia, sexta, nona, lucernarium, medio noctis gallicinio, mane primo, quasi mane primum sit, ante ortum solis. Iudic. cap. 9. Primo mane oriente sole. quæ verba enarrans August. lib. 7. quæst. super Iudic. cap. 46. ait, Additum est autem simul vt oritur sol, vt exprimeretur, non iam orto sole faciendum, sed vbi fulgor apparuerit solis orientis. Non enim aliunde albescit diluculum, nisi cœperit partem cæli, quam videmus ab oriente, lux solis ad eam redeuntis attingere. hoc etsi ad hæc tempora existimem, probabilius tamen videtur horam primam recitandam oriente sole, vel paulo post: cum præsertim Clemens diluculum proxime ante tertiam constituat: Diluculo, inquit, gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus expulsa nocte, & inducto die. Ad hæc S. Hierony. epist. ad Lætam, de institut. filia, cap. 5. horas canonicas enumerans, ait, Quæ illam doceat, & affuescat exemplo ad orationes, & psalmos nocte consurgere, mane hymnos canere. Et epist. 8. ad Demetriad. cap. 8. Præter psalmorum, & orationis ordinem, quod tibi hora tertia, sexta, nona, ad vespere, media nocte, & mane semper est exercendum. & epist. 27. cap. 10. Mane, hora tertia, &c. quibus locis expendenda est vox, mane. Dicitur enim mane, cum lux videtur solis. Cenforin. de die natali cap. 27. 6 Manum, vnde mane, inquit Nonius Marcellus, dicitur clarum, vel auctore Paulo apud Festum, manare solem, solebant antiqui dicere, cum solis orientis radij splendorem iacere cœpissent, atque ideo primum diei tempus mane dictum. Mane ab ortu solis interpretantur Beda de diuisionibus temporum, & Anselmus lib. 2. de imagine mundi, cap. 3. Cur 7 vero tres psalmi, cum symbolo Athanasij dicantur in prima, quidve indicent, Durantus in Rationali. Illud vero obseruandum, initium symboli Apostolorum dici tacite, finem vero elata voce, quia, ait Durantus, corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Rursus in prima, symbolum dicitur summissa voce, in Missa vero, pleniore voce: quia auctore S. Thoma 2. 2. quæst. 1. artic. 9. ad sextum, symbolum Patrum, quod symbolum Apostolorum declarat, fuit conditum fide iam manifestata, & Ecclesia pacem habente, qua ratione publice in Missa cantatur: Symbolum vero Apostolorum, quod tempore persecutionis editum fuit, fide nondum publicata occulte dicitur, in prima, & completorio quasi contra tenebras præteritorum, & futurorum.

DE TERTIA.

CAPVT OCTAVVM.

- 1 Hora diei tertia, cur a quibusdam aurea, ab alijs sacra sit dicta.
 2 Hora tertia Christus sententiam accepit.
 3 Hora tertia Apostoli Spiritu sancto initiati.

HORA diei tertia, vulgo apud Italos aurea hora appellatur, in iure vero hora sacra can. fin. distin. 44. ex concilio Martini Papa can. 61. & 66. Sacra vero, vt conijcio, appellatur, quia sacris Missarum solemnibus dicata est. Inde opportune, inquit, Rupert. lib. 10. de diuin. offic. cap. 18. Spiritus sanctus hora tertia, super Apostolos adueniens, viuificis eandem horam dedicauit mysterijs. Post tertiam, ait Athanas. de virginit. seu de exercitatione synaxes conficies, quoniam ea

niam ea hora defixum est lignum crucis, de quo plura lib. 2. cap. de tempo. celebrat. Missæ. De eadem hora tertia S. Clemens lib. 8. constituit. Apostolic. cap. 40. Preces etiam vestras facite hora tertia: quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit. Quod & S. Ignatius scribit epist. 8. ad Trallianos: Hora tertia, inquit, sententiam Christum accepit a Pilato, Tertullian. lib. de ieiunio aduersus Psychicos cap. 10. Tertiam, sextam, & nonam horas insigniores in rebus humanis, quæ diem distribuunt, quæ negotia distinguunt, quæ publice resonant, ita & sollemniores fuisse in orationibus diuinis commemorat, horaq. tertia Apostolos Spiritu sancto initiatos. S. Cypr. de orat. Dominica: Nam super discipulos hora tertia descendit Spiritus sanctus, qui gratiam repromissionis impleuit. S. Basil. serm. 1. de institut. Monach. Quin & Spiritus sancti aduentus, circiter horam diei tertiam fuit, sicut ex Actis accepimus: quo tempore, cum propter variam linguarum efficaciam vim, Pharisei discipulos iriderent, negauit Petrus eos ebrios esse, quia ea loquerentur. Siquidem horam illam tertiam fuisse. Idem Basil. in regul. fusius disputatis interrog. 37. Tertia vero hora, vt in ea ad orationem surgatur, fratresq. omnes in vnum congregentur, licet diuersis in locis, alij in alijs operibus sint occupati, idq. ea re, vt admoniti doni spiritus, quod circiter hanc horam Apostolis datum fuit, vno eodemq. animo, cuncti illum venerentur, ab eoq. petant, vt & ipsi digni sint, qui sanctificationem suscipiant simulq. vt salutaris cibi doctrinæ, & recti itineris dux esse, & auctor velit, illum imitantes, qui dixit: Cor mundum crea in me Deus, & spiritu rectum innoua in visceribus meis, &c. S. Hieron. in cap. 6. Daniel. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Isido. de Ecclesiast. offic. lib. 1. cap. 19. Illud etiam occurrit ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est suo loco, & numero, & tempore descendit ad terras, impleturus gratiam, quam Christus promissit. Quæ verba exarata leguntur in concilio Aquisgranensi sub Ludouico Pio, cap. 126. Raban. Maur. lib. 2. de instit. cleric. cap. 4. Tertiæ horæ officium ideo fit, quia tertia hora Christi passio coepit, cum per Iudæorum linguas iam tunc Dominus crucifixus est. Et post resurrectionem eius, in die Pentecostes tertia hora Spiritus sanctus super Apostolos descendit. Rupert. Tuitiens. lib. 1. de diu. offic. cap. 3. Hora tertia duplici ratione splendet insignis. Namque hac hora Dominus Iesus spinis coronatus, & linguis Iudæorum crucifixus est, iuxta illud: Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum, gladius acutus: videlicet, quia Pilato iudicante illum, firmauerunt sibi sermonem nequam, pertinaciter clamando: Crucifige, crucifige: & Spiritus sanctus, qui in remissionem peccatorum non fuerat datus, antequam Iesus esset glorificatus, super nascentem Ecclesiam, in igneis linguis effusus est, & est impletum discipulis promissum Domini dicentis: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

D E S E X T A .

C A P V T N O N V M .

- 1 Sextam horam Christiani varias ob causas obseruant.
- 2 Locus Actorum 10. de Petro, qui ascenderit in cenaculum hora sexta, explicatur.
- 3 Christus hora sexta crucifixus est.
- 4 Homo secundum Origenem conditus hora sexta, eademq. hora de ligno comeditur dicitur.
- 5 Hora tertia Christum cruci affixum nonnulli contendunt.
- 6 Marci locus de hora tertia accurate expenditur.
- 7 Hora sexta præclara ex Anastasio Sinaita commendatio, sex varijs Christi figuris petita.

SEXTAM horam colimus, & obseruamus, quod auctore Basilio in regul. fusius disputatis interrog. 37. ea hora oratio necessaria sit, sanctorum exemplo psal. 54. Vespere & mane, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. In qua etiã vt liberemur ab incurfu, & dæmonio meridiano, nonagesimus psalmus, ait Basil. recitetur. legimus Act. 10. Petrum ascendisse, vt oraret circa horam sextam; Sexta, ait Hieron. ad cap. 6. Dan. volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cenaculum. Illud obseruandum est, quod & Turrianus monuit: non esse scriptum, Petrum in superiora ascendisse circa horam sextam, vt oraret, quod recto quidem ordine dicendum erat, si tempus ascensus notare voluisset,

ac non

ac non potius tempus orationis, quod erat sexta hora, hoc enim significat illud *πρὸς ἕκτην ὥραν*: Qui igitur dixit ascendisse, vt oraret circa sextam horam, plane significat obseruatum fuisse tempus sextæ horæ ad orandum. Ad hæc Petrus, inquit Cypr. de orat. Dom. hora sexta, in rectum superius ascendens signo pariter, & voce Dei monētis instructus est, vt omnes ad gratiam salutis admitteret, cum de emundandis gentilibus ante dubitaret. Amplius sextam horam colimus, quia ea hora Christus est exaltatus tamquam serpens in crucem. S. Clem. lib. 8. constit. A post. cap. 40. ibi: Sexta quoniam tunc crucifixus est. Cypria. de orat. Dom. Et Dominus hora sexta crucifixus. S. Athanas. de virginit. Sexta hora celebrato preces cum psalmis, ploratu, & supplicationibus, quoniam hac hora filius Dei sublatu est in cruce. Hominem die 4 sexta, horaq. sexta conditum probat Origen. tract. 35. in Matth. ad ea verba, A sexta autem hora tenebræ factæ sunt. Eadem sexta primum hominem de ligno comeditur scribit Theophylactus ad eadem Matthæi verba, A sexta autem hora. Qua igitur hora Deus hominem condidit, eadem & lapsum curauit. Præclare Cyril. Hierosol. catechesi 14. Quo tempore, inquit, euerio fuit, eodem rursus facta reparatio. Ex quibus perspicuum est Christum hora sexta crucifixum: quod plane, & aperte probat S. Ioannes cap. 19. Erat autem parasceue paschæ hora quasi sexta, & dixit Pilatus Iudæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Et paulo post: Tunc dimisit eum illis, vt crucifigeretur. hanc sententiam probarunt præter superiores. S. Ignatius epist. ad Trallianos, Isidorus, & alij innumeri, eamq. Ecclesia in crucis officio, & precibus confirmat. Non desunt tamen, qui Christum hora tertia 5 cruci affixum fuisse contendunt. Telephorus Papa, epistola decretali, can. Nocte de consec. dist. 1. Damas. in pontificali cap. 9. Cyril. Hierosolym. catechesi 13. Victor Antiochenus, & Theophylactus, S. Hieron. (si modo commentarij in Marcum sunt Hieronymi) in cap. 15. Marci. Nituntur vero aperte, & lucido Marci testimonio dicto cap. 15. Erat autem hora tertia, 6 & crucifixerunt eum. Qui locus veterum, & recentiorum ingenia exercuit. S. Aug. lib. 3. de consensu Euangelistarum, cap. 13. & lib. quæstionum veteris, & noui testamenti, quæst. 65. & ad psal. 63. & tract. 117. in Ioannem can. Periculose de poenit. dist. 1. Docet Christum a Iudæis hora tertia, lingua crucifixum; hora enim tertia dixerunt, Crucifige eum: hora vero sexta crucifixum fuisse militum manibus. Manifestauit igitur Marcus, eodem Augustino auctore, non iudicis sententia Saluatorem esse crucifixum, sed Iudæorum. Hanc vero sententiam tertia hora datam vult intelligi, in qua assiduis vocibus perdurantes Iudæi cum interuallo horarum fere trium, quibus itum, & reditum est ab Herode, crucifixerunt Saluatorem. Sane hi vel maxime Christum crucifixerunt, quod & Petrus Actor. 4. illis exprobat. Neque refragatur quod Marcus antequam mentionem faciat horæ tertiæ, affirmat Pilatum tradidisse Iesum, vt crucifigeretur. Nam vt Chrysost. & Theophylactus obseruarunt, nequaquam tunc eum plane tradidit. Exhinc enim ab vxore admonitus, post impositam coronam spineam, & indutum purpureum vestimentum Pilatus produxit illum populo, de quo eo liberando multis verbis contendit. Itaque cum clamore populi, & Cæsaris metu victus pro tribunali sedisset, poterat esse quasi hora sexta. Euthym. vero ad cap. Marci 15. aliter interpretatur hæc verba. Erat autem hora tertia, vt ea verba non trahantur ad id, quod additur, Et crucifixerunt eum, sed referantur ad principium eorum, quæ passus est Saluator. Erat, inquit hora tertia, quando videlicet, pati coepit a militibus Pilati. Deinde quod sequitur per se legendum est: Et crucifixerunt eum, sexta videlicet hora. Nonnulli vt Victor, Albertus Magnus, Nicolaus de Lyra, & quidam alij conijciunt, Christum intra horam tertiam, & sextam crucifixum, & ab utroque extremo, quemadmodum media solent, horam mortis Christi esse nominatam a Marco tertiam, a Ioanne vero sextam, non simpliciter, sed cum determinatione, quasi sexta. hanc improbat Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 18. Verum hanc tueretur, & confirmat Francolinus, de tempore horarum canonicarum, cap. 22. Fuere, qui post Hierony. ad psal. 77. & Theophylactum ad dict. cap. affirmant Marcum ita scripsisse *ἕκτην ὥραν*, id est erat autem hora sexta. Verum errore scriptorum *ἕκτην ὥραν* Græcum ε, quod nota est senarij mutatum in litteram γ, quæ nota est ternarij. huius sententiæ meminit S. Thomas 3. parte quæst. 46. artic. 9. ad secundum, & in catena aurea super quattuor Euangelia, ad cap. 19. Ioannis. Sunt etiam, qui horas maiores, a minoribus distinguunt, & Marci verba de tertia maiori hora, quæ eadem est, ac sexta minor. Beroald. lib. 1. chronicon. His addendum censo, quæ S. Anastasius Sinaita lib. 7. commentar. in Hexameron præclare, & grauius in commendationem horæ sextæ commemorat. Christus, inquit, in sua imagine, & Ecclesiæ, visus est hora sexta Abraham, in quercu

D d

Mambre.

Mambre. Meridies autem, rursus & vespera erat, & hora sexta, quando Ioseph in Christi imaginem pransus est simul cū fratribus, & Christi pascha admirabiliter præfigurauit, ac descripsit, & tunc cisternam habitauit, ante indicās, ac significans Christum, qui post illam cenā iaciendus erat in cisternam sepulchri. Hora sexta erat etiā illa quando Ruth admiranda, tamquam formosa Ecclesia, cum ad ipsum Boos in agro, tāquam ad Christum appropinquasset, esuriens ab eo est nutrita, & eius facta est coniux. Quam pulchre imitata gentilis illa Ecclesia sapientissima Samaritana; quæ quærens quemadmodum Deus sit adorāndus, sexta hora ad Christum accessit iampridem sedentem super puteum piscinæ & lauari, quando eam liberauit a seruitute, & ab aqua ferenda alienigenis simulachris. Has autem omnes vespere sextæ horæ facit Christus propter illum hominē, qui a paradiso euerfus fuerat in illa vespera, in illo paradiso. Nam propter protoplastum Adam in hortum Golgota, seu Caluariæ, vespere, & sexta hora in crucem ascendit sexto die sæculi, in sexta hora eiusdem millenarij, & sexta hora hebdomadis; & sexta hora sexti diei: quam aperte præfigurauit, & descripsit nobis ad enarrandum, propositus sextus dies creationis sex dierum. hæc tenus Anastasius.

D E N O N A.

C A P V T D E C I M V M.

- 1 Nona hora observatio ostenditur ex Actis Apost. & Basilio.
- 2 Nona cur inter horas orationis numeretur cause afferuntur, ex Clemente, Cypriano, & alijs.
- 3 Nona hora orant Petrus, Ioannes, Cornelius, & Christus orando spiritum patri commendat.
- 4 Tentatio quando vexat, simul ostendit homini, quam sit ad lapsum facilis.

NONAM horam orationi consecratam, Lucas aperte indicat, Actor. 3. Petrus autem, & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam: Græce *ἔτι τῆν ὥραν τῆς ὀρθῆς*. Hoc est, quod & Turrianus obseruauit, ad horam illam orationis, quæ erat nona: hoc enim significat repetitio illa articuli Græci, quæ & nonam orationis horam esse, & alias esse orationis horas, præter nonā aperte demonstrat. De nona S. Basil. in regul. fufius disputatis interrog. 37. Quod ea, inquit, ad orationē nobis necessaria sit, id Apostoli ipsi declararunt in Actis, in quibus est quod Petrus, & Ioannes ascendebant in templum, ad horam orationis nonam. Nonam vero celebramus ex sententia Clemē. lib. 8. constit. Apostol. cap. 34. quod tum omnia mota, & tremefacta sunt Domino crucifixo: quia horerent audaciam impiorum Iudæorum, & contumeliā Domini ferre non possent. S. Cyprianus de orat. Domin. Et Dominus hora sexta crucifixus, ad nonam peccata nostra sanguine suo abluit: & vt redimere & viuificare nos posset, tunc victoriam suam passione perfecit. S. Athanasius lib. de virginit. seu de meditatione: Nona hora rursus in hymnis, & glorificationibus eris, cum lacrymis, & confessione peccatorum tuorum, Deo supplicabis, quoniam hac hora Dominus in cruce pendens reddidit spiritum suum. S. Basil. serm. 1. de inuit. monach. Porro nona Dominicæ passionis memoriam refert illius, quæ vitæ nostræ causa suscepta est. S. Hieron. in cap. 6. Daniel. Tria, inquit, sunt tempora, quibus Deo flectēda sunt genua, Tertiā horam, sextam, & nonam Ecclesiastica traditio intelligit. Denique tertia hora descendit Spiritus sanctus super Apostolos. Sextā volens Petrus comedere, ad orationem ascendit in cenaculū. Nona Petrus, & Ioannes pergebant ad templum. Cassian. lib. 3. inuit. monach. cap. 3. Hora nona Christus inferna penetrans, & c. Eadem quoque hora Cornelius Centurio, in precibus solita deuotione persistens, & c. Raban. Maur. lib. 2. de inuit. clericor. cap. 6. Nona itaque hora inde consecratur, quia in ea Dominus pro inimicis postulās, in manus patris spiritum commendauit: quia videlicet fideles quosque oportet, vt se Deo commendēt cum deuota oratione, qua caput suum cognoscant propriam animā patri suo commēdasse, vt in eius corpus coadunati cū ipso regnum possint intrare perpetuū. Ruper. Tuitiens. lib. 1. de diu. offic. cap. 5. Nona quoque hora iure in laudē Dei clamamus, quando clamās Dominus Iesus voce magna, emisit spiritū, latrone admissio in paradysum, & venia, quāuis sero, veraciter penitentibus & contentibus dedicata. Tunc etiā latere eius perforato formandę Ecclesię proflexerūt sacramēta, sanguis quo redimimur, aqua qua abluimur. Illud

Illud vero considerandum monet Amalar. Fortunat. lib. 4. de Eccles. offic. cap. 6. quod statutus temporis, quando nona celebratur, designat feruorē studiorum, quem exercebat mens in altitudine virtutum, aliquantulum tepefactum esse propter tentationes accidentes. Vnde Gregor. in Moralib. Iob: Vitia dum nos tentant, proficientes nos in virtutes humiliant. Sicut tunc sol descendit a centro ad inferiores partes: ita mens quando tentatur descendit ab altitudine intimi gaudij, ad considerandum suam naturam atque fragilitatem, & videt, quā sit facilis ad occasum. Hæc Fortunat. quem totidem verbis sequitur Guillelmus Durantus in Rationali lib. 5. cap. de Nona.

D E V E S P E R I S.

C A P V T V N D E C I M V M.

- 1 Vesperarum officium multorum Patrum testimonijs approbatur.
- 2 Vespertinam orandi horam cur colit Ecclesia.
- 3 Vesperarum hora Christus de cruce depositus.
- 4 Vespera, qua hora decantanda.
- 5 Vespertinum officium Hieronymus lucernarium appellat.
- 6 Lucernaria hora antiqui meminerunt Patres præter Hierony.
- 7 Vespera hora duodecima recitabantur.
- 8 Vesperarum hora, cur ab Ecclesia fuerit mutata.
- 9 Vesper an semper designet tempus post solis occasum.
- 10 Vespera in quadragesima ante cenam recitanda.
- 11 Hora orandi diuersa pro temporum & regionum diuersitate.

NVMBRANTI vespera, clerici quā deuotissime officium vesperarum celebrare debent. huius vespertinæ horæ meminerunt præter S. Clem. & Basil. vbi supra, Synodus Laodicensis can. 18. Idem precum ministeriū omnimodo debet fieri in nonis & vesperis. Chrysof. hom. 59. ad pop. Antioch. Tertiā, sextam, nonam, & vespertinas orationes celebrant. S. Ambros. lib. 3. epist. 11. Inter legendum, cum paululum requieuissem animo, quā lucubratione destiteram, versiculum illum cœpi mecum voluere, quo vesperi in vigilijs vsi fueramus. Hieron. ad Eustoch. de custo. virgin. Horam tertiā, sextam, nonam, diluculum quoque, & vesperam nemo est qui nesciat. Et epist. 27. de epitaph. Paulæ. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio per ordinem psalterium cantabant. Eam vero horam colimus in memoriam tum sacrificij vespertini antiquæ legis. Hoc enim tēpore, ait Isid. lib. 1. de Eccles. offic. cap. 20. Veterū sacrificia offerri, adoleriq. altario aromata, thuraq. mos erat. Psal. 140. Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo Domine: eleuatio manuum mearum, sacrificium vespertinum. Tum etiam mysticæ cenæ, quam vespere Dominus noster Iesus Christus cum sanctis Apostolis celebravit, ex pane carnem suam, & ex vino suum sanguinem admirabili potestate conficiens. Inde idem Isid. in nouo quoque testamento vespere Dominus & Saluator noster, cenantibus Apostolis, mysteriū sui corporis & sanguinis in initio tradidit, vt tēpus ipsum sacrificij, vesperū ostenderet sæculi. Greg. Nazian. orat. 42. in pasch. In sæculorum fine Christi passio contigit, vespere quoque, peccati videlicet caliginem discutiens, discipulis sacramentū impertit. Proinde, addit Rabanus, in honorē, ac memoriā tantorum sacramentorum in his tēporibus adesse nos decet Dei conspectibus, & personare in eius cultibus orationū nostrarū, illi sacrificium offerentes, atque in eius laudibus pariter exultantes. Quæ totidē verbis refert Raban. lib. 2. de inuit. cler. c. 7. Addo quod eadē hora Christus de cruce depositus fuit. Glos. in c. 1. de celeb. Miss. Guillel. Durāt. in Rationali lib. 5. c. 9. Et in officio S. Crucis, De cruce deponitur hora vespertina. quod quidē officium adeo sollempne est, vt his, qui illud religiose recitant Ioan. XXII. 40. dies indulgentiarum indulserit, auctore Antonino 3. par. tit. 13. cap. 4. Ceterū, qua hora vesperæ decantandæ sint, 4 dubium controuersumq. est. Videtur siquidē post solis occasum vesperas decantandas. Primum a nomine: dicuntur enim vesperæ a sidere, quod vesper nuncupatur & decedente sole exoritur Isid. de Eccl. offic. c. 22. & lib. 6. etymol. c. vlt. Vespera fit, quando sol occidit, auctore

- Aug. in psal. 29. ad ea verba : Ad vesperū demorabitur fletus. Deut. 16. Immolabis phasē vespere ad solis occasum. Mar. 1. Vespere autē factō, cum occidisset sol, afferebāt ad eū omnes male habentes. Vesper finit diem, vespera mater noctis Chrysol. 74. & 75. Deinde vespertinum officium, lucernarium appellatur. S. Hieron. 2. exposit. ad psal. 118. hora tertia oramus, hora sexta oramus, nona lucernarium facimus, media nocte consurgimus, vbi videtur lucernarium pro vesperis vsurpasse. Horæ lucernariæ meminerunt Aug. serm. 1. ad fratres in eremo. Operentur ergo in nomine Domini, sacrum ordinē non habentes vsque ad horā lucernariam. Et Cassian. lib. 3. de instit. monac. c. 3. ad fin. Radulph. Tungr. lib. de can. obser. propof. 12. Lucernaliū sermonum & orationum mentionē facit. Epiph. contra hæres. lib. 3. in compendiaria verā doctrina circa fin. legimus preces lucernarij semel atque iterū apud Philoteum in libro, qui ordo instituendi diaconū inscribitur. Lucernalis vero hora dicitur, quōd tum lucernæ accendi solebant. S. Hieron. epist. ad Latam, Discat lucerna accensa reddere sacrificium vespertinum. Cassiod. lib. 9. Tripar. cap. 38. Socrat. lib. 5. hist. Eccles. cap. 21. & Niceph. lib. 1. cap. 24. commemorant in Hellade, Hierosolymis, & in Thessalia preces ad tempus vespertinum, dum accenduntur lucernæ, fieri consueuisse. Radulph. Tungr. de can. obseruant. propof. 12. ad principium, testatur sanctos Patres antiquitus, hora lucernari ad vespertas conuenire solitos. Ad hæc vesperæ hora duodecima recitabantur, quōd tū ex concil. Turon. 2. can. 14. ibi, Ad duodecimam duodecim psalmi. quæ verba obiter necessario referri ad horam vespertinam conijcio. Cassia. lib. 2. de instit. monach. cap. 4. & 5. Tum etiam ex Athanas. lib. de virginit. dum enim ibi duodecimæ horæ mentionem facit, vesperam proculdubio intelligit. Tum denique ex Beda lib. 3. in Efdram, cap. 28. dum vesperam inter horas nocturnas collocat, eamq. hora vicesima quarta celebrari scribit. Verū Ecclesia Romana vesperam post nonam, ante solis occasum celebrat: idq. vsu receptum innuit Amalar. Fortun. lib. de ordine antiphonarij. Ante solis occasum vespertinos hymnos Deo oblatos indicat Theodoret. in historia sanctorum Patrum cap. 2. Omnes, inquit, vnde- quaque in antrum conueniebant, & hymnos vespertinos simul Domino offerebāt, quæ vero præcedunt ibi, ante solis autem occasum, hymnos illos vespertinos ante solis occasum offerri aperte demonstrant Antiphonarij cap. 16. & cap. 70. Et si idem Amalar. Fortun. lib. 4. de Eccles. offi. cap. 7. Vespertinas inter quattuor noctis vigiliis numeret: ego existimo antiquitus vesperas post solis occasum ad finem diei decantari consuetum, quod præter ea, quæ iam adduximus, probatur ex Chrysof. homil. 19. ad pop. Antioch. & hom. 14. in 1. ad Tim. Tertiam, inquit, sextam, nonam, & vespertinas orationes celebrant, de monachis agit. Et in quattuor partes diem dispartiri, dum singulæ partes implentur, & psalmodijs, & hymnis Deum venerantur. Quibus verbis vespertina oratio postremæ diei parti ascribitur. Posthac Ecclesia, quo plures adesse possent vesperarum celebrationi constituit, vesperas post nonam decantari. Dicuntur autem vesperæ, etsi non amplius recitentur vesperi ἀναφορῆς, qua voce iurisconsultus vtitur. Item prætor, §. 1. ff. de suis & legitimis hered. quemadmodum insula dicitur, quæ aliquando fuit insula, licet amplius non sit insula, l. in insula. ff. de acquir. rer. dom. in fine. Idem in hereditate, quæ etsi adita non fuerit, quādoque tamen hereditas appellatur l. 1. §. si pars adita. ff. ad Tertul. l. filiusfamil. ff. ad l. Falcid. vel etsi proprie vesper significet tempus quod currit post solis occasum, quandoque tamen & tempus illud, quod est ante solis occasum, notat: Matth. 14. Vespere factō accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, Desertus est locus, & hora iam præterijt. Dimitte turbas, vt eant in Castella, & emant sibi escas: postea commemorat miraculum quinque panum, & duorum piscium. Deinde ait: Et dimissa turba, ascendit Iesus in montem solus orare: Vespere autem factō, solus erat ibi. Bis dicitur vespere factō, & priori quidem vespere intelligitur tempus ante solis occasum, lucente siquidem sole discubuit turba: dies enim coeperat declinare. Lucæ cap. 9. vel iam multa hora erat Marc. cap. 6. Posteriori vero tempore intelligitur tempus post solis occasum. Nam & Marcus ait, Et cum sero esset, quod & obseruauit Iansenius in concord. Euangelic. cap. 57. Accedant quæ de duabus vesperis adnotarunt Hieronymus ab Oleastro in cap. 1. Geneseos, & cap. 12. & 16. Exodi, Iansenius in Concord. Euangelic. cap. 129. Francolin. de tempore horarum canonicarum, cap. 20. Sane in quadragesima vesperæ ante cenam recitandæ sunt can. solent de consecrat. distinct. 1. quod de publica recitatione in Ecclesia intelligendum est. Priuatim enim post cenam recitari possunt.
- 11 Syluester in summa in voce, hora, quæst. 9. Caiet. in summa in voce horarum. Addam pro coronide in diuinis officijs, maximam intercessisse varietatem pro diuersitate gentium, ac tem-

ac temporum. Quod & Vualaf. Strabo diligenter notat de rebus eccles. cap. 25. Socrat. item lib. 5. hist. eccles. lib. 5. cap. 21. cum varios retulisset precandi ritus in diuersis Ecclesijs, quæ tamen in eadem fide consentiunt, addit ad summam: Apud omnes religionum & sectarum nusquam reperire poteris duas, quæ in precandi more inter se consentiant, quod fere totidem verbis repetit Niceph. lib. 12. cap. 34.

DE HORA COMPLETORII.

CAPVT DVODECIMVM.

- 1 Completorij meminerunt Patres permulti.
- 2 Completorij oratio est, vt quies inoffensa sit, & vitio libera.
- 3 Completorium qua potissimum hora celebrandum.
- 4 Lux in hymno completorij quid significet.
- 5 Completorium nunc quidem ante finem diei peragitur, cum ob alias causas, tum in memoriam Dominicæ sepulture.
- 6 Completorio interesse debent Christiani varias ob causas.
- 7 Hymnus, Nunc dimittis, cur recitetur in completorio.
- 8 Completorij tempore reuocanda est mens ab externis negotijs ad interiora.
- 9 Diabolus nocte vehementius tentando infestat.
- 10 Virginis Dei genitricis inuocatio quam sit salutaris, & ab omnibus studiosissime retinenda.
- 11 Conscientia vespertina discussio & plurimum fructuosa est, & ad bene viuendum in primis necessaria.

DE hora completorij. Isidor. lib. 1. de offic. eccles. cap. 21. & ex Isido. Conci-
lium Aquigranense, cap. 128. Id etiam, inquit, Isidor. in Patrum inueni-
tur exemplis, Dauid Propheta dicente: Si ascendero in lectum strati mei,
si dederō somnum oculis meis. Et postea: Quis non stupeat tantam in Dei
amore animi deuotionem, vt somnum sibi, sine quo vtique corpora hu-
mana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum Domino
fabricandum in pectore suo Rex & Propheta reperiret? De eadem hora aperi-
tius S. Basil. in regul. fusius disput. interrog. 37. Tum autem primis se iam noctis intēdentibus tenebris se-
quetur petitio, vt quies, quam sumus capturi, inoffensa, & ab omni perturbatione ac vitio
libera sit, qua etiam hora necessario recitari debet nonagesimus psalmus, Qui habitat in-
adiutorio. Ad eandem horam pertinere arbitror, quæ Cypri. scribit de orat. Dominica ad fin.
Recedente item sole, inquit, ac die cessante necessario rursus orādum est. Nam quia CHRIS-
TVS sol verus, & dies est verus sole ac die recedente sæculi, quando oramus & petimus, vt
super nos lux denuo veniat CHRISTI, precamur aduentum lucis æternæ gratiam præbi-
turum. Quæ item Clemens Alexandr. lib. 2. pædagogi cap. 4. Postremo, inquit, antequam
somnus inuadat, piū, & sanctum est Deo gratias agere: vt qui eius benignitatem & gra-
tiam fuerimus consecuti, ita vt cum diuino quodam afflatu nos ad somnum conferamus:
& confiteri ei in canticis labiorum. Qua vero diei parte completorium celebrari debeat,
laborant recentiores. Ego antiquitus completorium prima noctis vigilia, antequam cubi-
tum iretur, celebrari consueuisse conijcio, tum ex Basilio & Isidoro, quos iam laudauimus, tum
etiam ex S. Benedicto in regula cap. 42. vt post completorium nemo loquatur. Quo loci Si-
naragdus: Ideo factis completorijs mox inter fratres custodiatur silentium, & sic se suis col-
locet lectis, vt nemo alteri loquatur. Ideo post completorium tacere debemus, vt merito in
nocturnis primo dicamus, Domine labia mea aperies &c. Tum ex psalmis, qui hora cōple-
torij recitantur, in quibus noctis mentio fit psal. Cum inuocarem &c. In pace in idipsum
dormiam & requiescam psal. Qui habitat, non timebis a timore nocturno, psal. Ecce nunc
benedicite. In noctibus extollite manus vestras. Nec non ex hymno, Te lucis ante terminū.
Vbi obiter lucis vox auctore Clichtouēo in expositione illius hymni pro luce crepusculi, non
vero pro luce corporis solaris vsurpatur, ac denique ex antiphona, Salua nos Domine vigi-
lantes, custodi nos dormientes. Accedat quod vesperæ decantari consueuerāt hora diei duo-
decima, vt supra notauimus ex Concil. Turonico, Athanasio, & Amalario Fortun. vel vltima
diei parte ex Chrysof. Neque his aduersatur quod completorij hora in memoriam Domi-
nicæ

nica sepulturae instituta fuerit: inde in officio sanctae crucis, hora completorii datur sepulturae. Corpus vero CHRISTI mandatum fuit sepulturae ante solis discessum. S. Clemens lib. 5. constit. Apostol. cap. 16. S. Ignatius epist. ad Trallianos. Officium enim illud etsi religiosissimum ab hinc quingentis annis compositum fuit. Porro Ecclesia sanctissime, & prudentissime ab hinc aliquot annis constituit completorium ante finem diei decantari, quo & plures ex laicis intersint, & occurratur periculis multis, quae noctu accidere solent: in memoria quoque Dominicae sepulturae, qua proculdubio ante solis occasum Christus affectus est. De his plura Doctores in capit. i. de celebrat. Missar. Francof. de horis canonicis cap. 17. 18. & sequentibus. Multis sane de causis solliciti esse debemus interesse completorio, quas pluribus verbis percenset de Turre crem. ad regulam S. Benedicti tract. 107. Ego praecipuas breuiter, strictimq. attingam. Prima, quia hora illa completorii, de labore vitae actiuae, quae pluribus agitur, atque turbatur periculis, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima, transitur ad quietem vitae contemplatiuae, quae pacem, & tranquillitatem secum habet. Vnde recitatur Simeonis canticum: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace. Secunda, quia eadem hora animalia, quae foras exierant ad pastum capeffendum, reuerti solent: ita ipsa hora reuocandus est spiritus ab externis ad interiora. Vnde initio completorii dicitur: Conuertere nos Deus salutaris noster. Tertia, hac hora parandus est locus, in quo spiritus cum Deo quiescat. Locus autem eius est pax & tranquillitas: In pace factus est locus eius psal. 75. & psal. 131. Si dederō somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationē, donec inueniam locum Domino. Quarta, hac hora Christiani munire se debent contra diaboli fraudes, omnesq. insidiarum vias intercludere. Nocte enim diabolus in nos vehementius insultat. Quare in praefatione completorii dicitur: Fratres sobrii estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus &c. & in fine in oratione: Visita quaesumus Domine habitationem istam, & omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Quinta, in illa hora aspergimur a qua benedicta, quae hostes inuisibiles fugat. Accedat etiam praelati benedictio, quae maximi est momenti & ponderis, Ecclesiast. 3. Benedictio patris firmat domos filiorum. Sexta, quod illa hora S. Mariae Virginis auxilium solemniter imploramus, & exposcimus. Ea vero sollemniter imploratio fructuosissima est. Vnde, inquit, ille Magister Iordanus vir grauis, & sanctus, quondam Magister ordinis Praedicatorum narrabat se accepisse a quodam viro religioso, quod fratribus dicentibus in completorio: Eia ergo aduocata nostra, videbat S. Virginem flexis genibus commendantem filio suo ordinem. Quare ait de Turre cremata, pium atque fructuosum est completorio interesse. Sane eadem hora saltem priusquam somnum capiamus, decet eorum, quae per diem vel diximus, vel gessimus a nobis rationes exigere. S. Chrysost. ferm. de poenitent. & confessione. Igitur, inquit, seruorum mane rationem facere consueuimus, operum autem post cenam & vesperam ipsam in lecto iacentes, nullo interurbante, nullo obstrepente omnium eorum, quae per diem facta, & dicta, rationes a nobis exigamus. Etsi viderimus quid peccatum esse, puniamus nosmetipsos, increpemus mentem & conscientiam, compungamus rationem tanto impetu, vt non audeat vltra exurgere, & in idem peccatorum profundum nos inducere, memores vespertinae plagae, & quod tempus hoc huic rationi accommodatius, audi Prophe tam dicentem: Quae dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini.

DE PSALMIS.

CAPVT DECIMUM TERTIVM.

- 1 Psalmorum recitandorum & canendorum vsus in Ecclesia antiquissimus est.
- 2 Psalmorum canendorum consuetudo tempore Athanasij & Iuliani.
- 3 Chrysostomi praclarum testimonium de psalmorum cantu in Ecclesijs.
- 4 Psalmorum cantus cur institutus.
- 5 Psalmorum David recitatio vberissimos fructus praebet.
- 6 Psalmos alternatim canere diuiso in duas partes choro recens non est.
- 7 Psalmi stando canuntur.

8 Psalmi

8 Psalmi an vlli alij, praeter Davidicos, sine in Ecclesia recitandi, & quid de psalmis vulgari-
ribus.

9 Psalmos etiam canunt haeretici ad imitationem Ecclesiae.



ORIS tam diurnis quam nocturnis recitantur psalmi, hymni, cantica, antiphonae, lectiones, responsoria, versus, & collectae: de quibus singulis agendum est. Psalmorum recitandorum & canendorum vsus in Ecclesia antiquissimus est. 1. ad Corinth. 14. Cum conuenitis quisque vestrum psallam habet. ad Ephes. 5. Implemini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in psalmis, hymnis, & canticis. Quod totidem verbis repetit idem Paul. ad Coloss. 3. Dionys. Areopagita de Eccles. hierar. cap. 3. *ὅτι τῶν ἱερολογίων συνιστάμεθα ὡς αἱ ἐν τοῖς ἱεραρχοῖς μυστηρίοις ἐν ἡμετέροις ἀπληροῦν τῶν ἱεραρχικῶν ὡνείτων.* Psalmorum sancta modulatio, quae, inquit, omnibus fere sacerdotalibus mysterijs iniungitur, & substantiae ratione cohaeret, summo omnium principalique mysterio (Missae videlicet) deesse non debuit. Tertul. lib. 2. ad uxorem in fine: Sonat inter duos psalmi & hymni, & mutuo prouocant quis melius Deo suo canet. Talia Christus videns & audiens gaudet. Idem Tertul. de veland. virginib. ad finem: Quam autem castigationem merebatur, etiam illa quae inter psalmos, vel in quacumque Dei mentione recte perseverant. vbi Rhenanus. S. Athanas. apolog. de fuga sua, ad finem, psalmodiam in Ecclesia celebrari consuetum indicat. Enarrans enim quomodo irruptione Arrianorum militum in Ecclesiam facta vt caperetur, manus inimicorum effugisset, ait: Manebam in cathedra, diacono iusso, vt psallam recitaret, Quoniam in seculum misericordia eius: & post recitationem quisque domum abiret, &c. Hanc ipsam historiam, quae praclarissima est, pluribus verbis commemorant Socrates lib. 2. hist. Ecclesiast. cap. 8. Theodoret. lib. 2. cap. 13. Sozomen. lib. 3. cap. 5. Niceph. lib. 9. cap. 6. Psalmorum item cantum probat Ruffin. lib. 1. hist. Eccles. cap. 35. Iulianus Apostata, inquit, transferre sepulcrum Babylonae martyris iubet. Quare Ecclesia vniuersa conueniens, matres & viri, virgines, iuuenesq. immensa exultatione succincti trahebant longo agmine arcam martyris psallentes summis clamoribus, & cum exultatione dicentes, Confundantur omnes, qui adorant sculptilia. Greg. Turon. lib. 1. historiae Francor. de B. Aphrodisio agens: Biturgias, inquit, ciuitatem aggressus salutare omnium Christum populis nunciauit. Ex his ergo pauci admodum credentes clerici ordinati, ritum psallendi suscipiunt, & qualiter Ecclesiam construant, vel omnipotenti Deo sollempnia celebrare debeant, instituntur. Legimus in pontificali, Damasum constituisse psalmos die, nocteque decantari per omnes Ecclesias. S. Chrys. hom. 6. de poenitent. querit, & admiratur, quare praeter ceteris veteris instrumenti, nouique scripturis, librum psalmorum Dauid, Christiani omnes sic adamarunt, atque hunc solum ore versari voluerunt. In Ecclesijs, inquit, pernoctantibus, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. Diluculo quaeruntur hymnorum modulationes, & primus, & medius, & nouissimus est Dauid. Si pompae in funeralibus defunctorum, primus, & medius, & nouissimus est. Et postea: In monasterijs sanctis, choris angelicarum acierum, & primus, & medius, & nouissimus Dauid. In coenobijs virginum greges Mariam imitantium, & primus, & medius, & nouissimus est. In desertis viri crucifixi colloquentes Deo, & primus, & medius, & nouissimus Dauid, &c. S. Ambros. lib. 7. in Lucam, cap. 15. Haec est, inquit, symphonia, quando concinit in Ecclesia diuersarum aetatum atque virtutum, velut variarum chordarum indiscreta concordia: Psalmus respondetur, Amen dicitur. Haec est symphonia, quam sciuit & Paulus, & ideo ait, Psallam spiritu, psallam & mente. S. Hieron. epist. 4. ad Rusticum, cap. 7. Dicas psallam in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quaeritur, dicente Apostolo, Psallam spiritu, psallam & mente. & epist. 17. ad Marcellam cap. 6. Hierosolymis vox quidem dissona, sed religio vna, tot pene psallentium chori, quot gentium diuersitates. Coenobitae in commune habitantes post horam nonam concurrunt, psalmi resonant, scripturae recitantur ex more. Idem Hieron. in epitaph. Paulae cap. 10. Mane, hora tertia, sexta, nona, vespere, noctis medio, per ordinem psalterium cantabant. Nec licebat cuiquam sororum ignorare psalmos. Et in psal. 115. Sicut martyres laudant Dominum in regione viuorum, ita monachi, qui die & noctu psallunt Domino, debent habere eandem pietatem. Martyrum siquidem ipsi martyres sunt. Quod enim faciunt Angeli in caelis, hoc monachi faciunt in terris. S. Augustin. libro 9. confess. cap. 6. & 7. Tunc hymni atque psalmi vt canerentur, secundum morem Orientalium partium, ut populus maioris radio contabesceret,

ret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum, multis iam, ac pene omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus. & epist. 119. ad Ianuarium, cap. 18. Sicut de hymnis & psalmis canendis, cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta. Idem Augustinus in lib. ad monitionum, qui, secunda regula, dicitur cap. 1. Psalmos certo numero secundum anni tempus decet decantari. Qui tamen modus, non est in usu, auctore Radulpho Tungrensi. de can. obser. propof. 8. Cassian. lib. 2. & 3. de instit. Monach. totus est in recensendis psalmis, qui dum horæ canonicæ celebrantur, recitari debent. Sane psalmodiarum David recitatio vberissimos & iucundissimos fructus præbet. Psalmus, ait Basil. in psal. 1. animarum est tranquillitas, arbiter ineundæ pacis, cuius annutu, exundantes ac tumultuariæ cogitationes se contrahunt & conquiescunt. Et postea: Psalmus amicitiae conciliator, vniio dissidentium, pacis inter hostes constabiliendæ sequester. Et paulo post: Psalmus est profligandis dæmonibus & depellendis quoddam amuletum, angelicæ tutelæ conciliator, &c. Isid. lib. 3. de summo bono. cap. 7. psallendi utilitas tristitia corda consolatur, gratiores mentes facit, fastidiosos oblectat, inertes exuscitat, peccatores ad lamenta inuitat. Nam quamuis dura sint carnalium corda, statim ut psalmi dulcedo infonuerit, ad affectum pietatis animum eorum inflectit. Plane psalmos, diuiso in duas partes choro, alternatim canere, recens non est. Dionys. Areopag. de eccles. hierar. cap. 3. indicat morem canendi hymnos ad alterutrum, quasi vna concordia & consona sacrarum rerum choro. Niceph. lib. 13. cap. 8. hoc institutum videtur ascribere S. Chrysof. Platina vero in vita Damasi papæ, Damasio: alij, Flauiano & Diodoro, Constantio imperante acceptum ferunt. Theodoret. lib. 2. histor. eccles. cap. 24. Tripart. lib. 5. cap. 32. plene Radulph. Tungrensi. propof. 8. At longe ante Damasum, nec non ante Chrysofomum, & Flavianum, & Diodorum, usu receptum erat, psalmos alternatim canere, ut iam ex Dionys. docui, S. item Basil. epist. 63. ad clericos Neocæsarienses, psallentes bifariam diuisos alterna vicissitudine inter se psallere, tum consueuisse testatur. Dum vero cantamus psalmos, stantes esse solemus, ut ex statu corporis demonstramus affectum mentis nostræ, hoc est paratos nos esse siue ad domandam carnem nostram, seu exercitium corporis in causa nostra, & fratrum. hæc Amalar. Fortun. lib. 4. de eccles. offic. cap. 3. Ceterum studiosè cauendum est, ne præter centum & quinquaginta psalmos David, alij in Ecclesia legantur. In concil. Laodicensi can. 59. constitutum legimus, non oportere iduotum plebeios, vel ut alij vertunt priuatos, & vulgares aliquos psalmos legi in Ecclesia. Item in concil. Bracarense primo can. 30. extra psalmos veteris testamenti, aliquid poetice compositum in Ecclesia canere vetatur. Quæ tamen constitutio interpretanda est ex concil. Laodiceno, ut non oporteat psalmos compositos, & vulgares in Ecclesia recitare. Eamque interpretationem confirmat Martinus Bracarensis can. 68. Porro hæreticorum mos fuit, ad Ecclesiæ imitationem psalmos componere, & cantare. Tertul. lib. de carne Christi. Remisso, inquit, Alexandro cum suis syllogismis, quos in argumentationibus torquet, etiam psalmos Valentini, &c. Epiphanius hæres. 67. scribit Hieracem hæresiarum edidisse psalmos, eosque psallere, & cantare discipulos suos edocuisse. S. August. epist. 119. cap. 18. Donatistæ, inquit, nos reprehendunt, quod sobrie psallimus in Ecclesia diuina cantica prophetarum, cum ipsi ebrietates suas ad canticum psalmodiarum humano ingenio compositorum, quasi tubas exhortationis inflamment.

D E H Y M N I S.

CAPVT DECIMUM QVARTVM.

- 1 Hymni Ecclesiastici qui dicendi sunt ex Augustino, & alijs.
- 2 Hymnorum in Ecclesia antiquitas probatur.
- 3 Apostoli, & qui deinceps secuti sunt duces Ecclesiæ hymnos canebant.
- 4 Paulus Samosatenus explodens Ecclesiasticos hymnos, damnatur in concilio Antiocheno.
- 5 Hymnorum quorundam auctor Ambrosius.
- 6 Hymni matutini, & vespertini.
- 7 Arriani conati sunt suum dogma, hymnorum cantu commendare populo.
- 8 Hymnos Ecclesiasticos, qui Patres scripserint.

HYMNI



Y M N I laudes sunt Dei cum cantico. August. ad Psal. 72. Hymni, inquit, cantus sunt continentes laudes Dei, si sit laus, & non sit Dei, non est hymnus: si sit & laus, & Dei laus, & non cantetur, non est hymnus. Oportet ergo, ut si sit hymnus, habeat hæc tria, & laudem, & Dei laudem, & canticum. S. Greg. Nazianz. carmine iambico. 15.

Modulata laus est hymnus, ut quidem arbitror.

Cum cantione psalmus est psalmodia.

Isidorus lib. 5. Etymolog. cap. 19. Hymnus est canticum laudantium, quod de Græco in Latinum laus interpretatur, pro eo quod sit carmen lætitiæ, & laudis. Proprie autem hymni sunt continentes laudes Dei. Hymnorum in Ecclesia antiquitas probatur, tum Pauli testimonio, ad Coloss. 3. & ad Ephes. 5. Tum Christi exemplo: post sacram siquidem cenam, Christum hymnum dixisse testantur Marth. 26. & Marc. 14. S. Chrysof. homil. 83. in Matth. enarrans verba illa Matthæi: Et hymno dicto, exierunt in montem Oliuarum. Gratiarum, inquit, egit posteaquam dedit, & hymnum cecinit, ut nos quoque similiter faciamus. Et homil. 27. in epist. 1. ad Corinth. Considera, inquit, cum sacras illas cenas Apostoli accipiebant, quid tum faciebant. Nonne in preces conuertebantur, & hymnos? Philo Iudæus in lib. de supplicum virtutibus, primos illos Christianos hymnos cecinisse prodidit. Non solum, inquit, contemplantur, sed etiam cantica, & hymnos in Dei laudem componunt vario metrorum carminumque genere, rithmis concinnatos, in Augustiorem, ac religiosam speciem. Et postea: Tum ille assurgens hymnum in laudem Dei primus canit, aut recens a se compositum, aut desumptum ab aliquo veterum. Extant enim eius generis carmina prisca versus Trimetro, & hymni cum suis accentibus, inter sacra canendi ante altaria. Quæ Philonis verba summam exscribit Euseb. lib. 2. histor. eccl. cap. 16. Dionys. Areopag. de diuinis nominibus cap. 4. complura refert ex hymnis Hieronimi Doctoris sui. Sacratissimum corpus B. Virginis Mariæ cum hymnis delatum scribit. Niceph. lib. 2. cap. 22. Telesphor. Papa epist. decretali ad omnes, iubet omnes clericos septem hebdomadibus ante Pascha hymnis, & vigilijs, atque orationibus, die, noctuque. Domino inhærere. In Concilio Antiocheno, ante annos mille, & trecentos damnatum fuisse Paulum Samosatenum, quia psalmos, & hymnos, quos Christiani illius sæculi in honorè Christi decantabant, tamquam recentiores, & a viris memoriæ recentioris compositos exploderet & eiecerat. Apparet ex epistola Episcoporum, qui huic Concilio interfuerunt, apud Euseb. lib. 7. cap. 24. Auctor ille vetus, cuius meminit Euseb. lib. 5. histor. eccl. cap. 27. contra Artemonem, cuius hæresim Paulus Samosatenus instaurauerat, obijcit tot psalmos, tot hymnos, a fratribus fidelibus antiquitus perscriptos, qui CHRISTVM verbum Dei, verum Deum esse concentu quodam concelebrant. S. Hilarius, librum hymnorum ecclesiasticorum edidisse, auctores sunt Hieron. in catal. librorum ecclesiastic. Raban. Maur. lib. 2. de instit. clericor. cap. 49. Idem Hilarius ad principium psal. 65. Audiatur, inquit, orantis populi confitens quis extra Ecclesiam vocem expectet celebres hymnorum sonitus, & inter diuinorum quoque sacramentorum officia, responsionem deuotæ confessionis accipiat. Hymnorum S. Ambrosii passim mentionem facit, ad Virginem lapsam: Aures tuas non penetrabat hymnorum spiritualium cantus. Eundem Ambrosii auctorem fuisse complurium hymnorum docet S. August. lib. 1. retract. cap. 21. Qui sensus, inquit, cantatur ore multorum in versibus Beatissimi Ambrosij: vbi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipso Petra Ecclesia canente culpam diluit. Ipse quoque Ambrosius hymnorum suorum meminit oratione in Auxentium de Basil. non tradendis. Hymnorum quoque meorum, inquit, carminibus deceptum populum ferunt, Arriani scilicet. Horum quoque hymnorum Ambrosij mentionem faciunt. S. Benedictus in regula. Strabo de rebus ecclesiastic. cap. 25. Beruo de Missa cap. 2. Hymnorum item & Hilarij, & Ambrosij meminit Concil. Tolet. 4. cap. 12. A nonnullis, inquit, hymni magno studio in laudem Dei, atque Apostolorum, & Martyrum triumphos, compositi esse noscuntur, sicut sunt hi, quos Beatissimi Doctores Hilarius, atque Ambrosius ediderunt. Ad hæc S. Hieron. in comment. ad Psal. 64. Matutinis, Vespertinisque hymnis ecclesiæ delectatur Deus, per animam fidelem, quæ relicto inanum superstitionum ritu, eum deuote laudauerit. S. Chrysof. primus auxit in nocturnis hymnis orationes. Ob hanc, vel maxime causam Arriani, extra ciuitatem collectas agebat. Sabbato autem, atque Dominica intra portas, & porticus congregati hymnos, & antiphonas, ex Arriano dogmate compositas, decantabant. Et hoc maxima noctis parte facientes, diluculo, cum ipsis antiphonis per mediam ciuitatem

ciuitatem egressi portam, ad suam ecclesiam concurrebant. Cumq. hoc crebro, quasi ad vituperationem orthodoxorum facere non cessarent. Frequenter enim etiam hoc cantabant, Vbi sunt qui dicunt tria virtute vnum? Tum Ioannes metuens, ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suū populum, vt & ipsi nocturnis occuparentur hymnis, vt & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Hæc Socrates lib. 6. cap. 8. histor. tripar. lib. 10. cap. 8. S. August. de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. Victoriana villa dicitur. Et postea: Ad vespertinos illuc hymnos, & orationes cum ancillis suis, & quibusdam sanctimonialibus ex more Dominicæ passionis intrauit, atque hymnos cantare cœperunt. Idem August. serm. 55. de tempore. Inter hæc Hilarius quidam vir Tribunitius Laicus Catholicus, nescio vnde aduersus Dei ministros, vt fieri assolet, irritatus morem, qui tunc esse apud Carthaginem cœperat, vt hymni ad altare dicerentur &c. Hymnos laudesq. Dei in Ecclesia deperijisse propter immanitatem Vuandalorum dolet Aug. vt Possidonius in eius vita cap. 28. scriptum reliquit. Amplius hymnorum vsus probatur Concil. Turon. 2. can. 24. Et licet Ambrosianos habeamus hymnos in canone, tamē quoniā reliquorum sunt aliqui, qui digni sunt forma, cantare volumus libenter, & amplecti eos præter ea, quorum auctorum nomina non fuerint in limine prænotata. Item Conc. Tolet. 4. can. 12. can. de hymnis, de consecrat. dist. 1. De hymnis & psalmis etiam canendis &c. Extant innumeri Sanctorum Patrum hymni Synesij Cyrenæi, Theophanis, Marci Episcopi Hadruntis, Cosmæ Hierosolymitani, & aliorum Græcorum Patrum. Theodos. Iunior princeps religiosissimus, cuius (vt aiunt Socrates & ceteri) regia non dissimilis erat a monasterio, primo diluculo hymnos alternos recitabat. Socrates lib. 7. cap. 22. tripart. lib. 11. cap. 17. Niceph. lib. 14. cap. 13.

DE HYMNO, GLORIA PATRI ET FILIO,
& Spiritui sancto.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

- 1 Gloria Patri & Filio, &c. quando & quas ob causas cantari cœperit.
- 2 Hymnus, Gloria Patri, Nicene fidei consonat, & in fine psalmorum canitur.
- 3 Gloria Patri & Filio, in fine psalmorum vario cantatur ritu.
- 4 Gloria Patri quando in Ecclesia cantari soleat, & quando recitari.

CONSTANTIO imperante cum Catholici ad finem hymnorum patrem & filium pari gloria & honore efferrent. ex Arrianis vero nonnulli patrem in filio præpositione interiecta obscurius secundas partes filio tribuerent: alij gloria Patri per Filium in Spiritu sancto: quidam gloria Patri & Filio in Spiritu sancto dicendum affirmarent. Primum omnium Flavianum Antiochenum, Monachorum coacta caterua, clara voce accinuisse: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, memoriæ mandarunt Sozomen. lib. 3. capit. 19. Theodoret. lib. 2. cap. 24. Tripar. lib. 4. cap. 35. Idq. Flavianum iuuante Chrysostomo fecisse scribit Niceph. lib. 18. cap. 51. Quod deinde in Ecclesia vsu receptum fuit, Niceph. lib. 9. c. 22. Verum ante Flavianum hymnum istum legimus apud Athanasium de virginit. siue de meditatione, ibi, Miserator & misericors Dominus, escam dedit timentibus se. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto, &c. Non desunt qui hymnum istum sacrum Niceno Concilio acceptum ferunt. Strabo de rebus eccles. cap. 25. Etsi enim hymnus iste in Concilio Niceno minime expressus sit: fides tamen coæternæ Trinitatis, quam sacer hymnus continet, Concilio Niceno plane & aperte continetur. Quod & S. Hieron. indicat epist. ad Damasum, quæ extat tomo 1. conciliorum: Istud, inquit, carmen laudis omni psalmo coniungi præcipias, vt fides trecentorum octodecim Episcoporum Niceni Concilij in vestro ore pari consortio declaretur. Quo loci Hieron. postulat a Damaso hunc sacrum hymnum in fine cuiuslibet psalmi coniungi. Hanc vero S. Hieron. epistolam probant Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Amalar. Fortun. lib. 4. de ecclesiast. offic. cap. 19. & 20. Sane Vigilij Papæ sæculo ab omnibus Catholicis ex more dicebatur in fine psalmorum: Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Vigil. epist. ad Eutherum capit. 2. Ceterum ex Concilio Toletano 4. can. 12. & 14. can.

& 14. can. de hymnis, de consecrat. dist. 1. Hispani hunc hymnum recitabant hac formula, Gloria & honor Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Quod amplius apparet ex Missa Leandri Hispalensis, siue Mozarabum, qua vsa est Hispania vsque ad tempora Alfonsi Sexti. Græci vero vocem, honor, prætermittentes, adiiciunt, Et nunc & semper & in sæcula sæculorum. Prætereuntes, auctore Strabone, hanc clausulā, Sicut erat in principio, qua nos Latini agnoscimus & confitemur sempiternitatem Patris, & Filij, & Spiritus sancti. At verius est, Græcos, quemadmodum & Latinos hac clausula vti, quod plane & aperte, probat Concilium Vasense can. 7. his verbis: Quia vero non solum in Sede Apostolica, sed etiam per totum Orientem, & totam Aphricam propter hæreticorum astutiam, qua Dei filium non semper cum patre fuisse, sed a tempore cœpisse blasphemant, in omnibus clausulis post Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto: dicatur etiam, Sicut erat in principio, nunc & semper in sæcula sæculorum. Et nos in vniuersis ecclesijs nostris hoc ita dicendum esse decreuimus. Ad hæc Cassiani sæculo per Gallias vno cantante in clausula psalmi omnes affantes concinebant cum clamore, Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto &c. Per Orientē verō secus. Cassian. lib. 2. de instit. coenobiorum, cap. 8. Amplius sacer iste hymnus nedum in fine psalmorum dicitur, sed & sine responsorium, dum de lætis agitur. In tristioribus enim repetitur principium, Conc. Tolet. 4. can. 15. Dicitur & iste hymnus singulis diebus cap. 2. de ferijs, maxime in sacro Missæ. Alcuin. de diuinis offic. cap. de celebrat. Missæ. Radulph. Tungrenf. de canonum obseruan. propos. 12. Intermittitur tamen in responsorijs a Dominica passionis per vndecim dies. Amal. Fortun. lib. 4. de ecclesiast. offic. cap. 20. A nocte vero cenæ Domini vsque ad Sabbatum sanctum nedum in responsorijs, sed & in psalmis, & alijs ecclesiæ officijs hymnus iste recitur. Alcuin. de diuin. offic. cap. Feria quarta hebdomadæ, & cap. seq. de cena Domini. Amalar. Fortunat. lib. 1. cap. 12. & lib. 4. cap. 21. Prætermittitur etiam ad psalmum, Benedicite in laudibus. In eodem enim dicitur, Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto spiritu. Amalar. Fortunat. lib. 4. cap. 10.

DE CANTICIS.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

- 1 Psalmus & canticum quomodo distinguantur secundum Hilarium.
- 2 Canticum, psalmi, & psalmus cantici quid denotent.
- 3 Canticorum a psalmis, & hymnis distinctio, secundum Hieron. & alios.
- 4 Cantica & psalmi quando cœperint.
- 5 Cantica an sint habenda alia, quam qua in sacra scriptura inueniuntur, eaq. numerantur.
- 6 Canticum, Te Deum laudamus, a quo compositum, quantaq. sit auctoritatis.

CANTICVM a psalmo fecernit S. Hilarius, in prologo expositionis psalmorum. Psalmus est, inquit, cum, cessante voce, pulsus tantum organi continens exauditur. Canticum vero, cum cantantium chorus, libertate sua vtens, neque in consonum organi adstrictus obsequium, hymno canoræ tantum vocis, exultat. Canticum psalmi, cum organo præinente subsequens, & æmula organo vox chori canentis auditur, modum psalterij, modulis vocis imitata. Psalmus vero cantici est, cum choro ante canente, humanæ cantiovis hymno, ars organi consonantis aptatur. Et paulo post: In eo psalmo in quo tantum psalmus inscribitur, fidelium operum & religiosorum gestorum aut doctrina, aut confessio continetur. At vero cum canticum tantum in titulo ponitur, scientia in eo spiritualis & intelligentia cælestis arcana, quam quis per cognitionem sapientiæ consequitur, existit: cum non commemoratis fidei operibus, solam doctrinam perfectæ de Deo cognitionis ostendit. Canticum psalmi cum bonorum operum efficientiæ scientia & doctrina coniungitur. Vbi autem est psalmus cantici, illuc per cognitionis scientiam, vsus boni operis tractatur: cum desideratam nobis fidelium gestorum efficientiam, præstet anterior de Deo ad præta cognitio. Paulo aliter ex S. Hieron. ad cap. 5. epist. ad Ephesios, quid intersit inter psalmum, & hymnum, & canticum in psalterio plenissime discimus. Nunc autem breuiter hymnos

hymnos esse, dicendum, qui fortitudinem & maiestatem prædicant Dei, & eiusdem semper vel beneficia, vel facta mirantur. Quod omnes psalmi continent, quibus Alleluia, vel præpositum, vel subiectum est. Psalmi autem proprie ad Ethicum locum pertinent, ut per organum corporis, quid faciendum, & quid vitandum sit, nouerimus. Qui vero de superioribus disputat & concentum mundi, omniumq. creaturarum ordinem, atque concordiam subtilis disputator edisserit, iste spirituale canticum canit, vel certe (ut propter simpliciore manifestius, quod volumus, eloquamur) psalmus ad corpus, canticum referatur ad mentem. Et canere igitur & psallere, & laudare Dominum magis animo, quam voce debemus. Hoc est quippe quod dicitur, Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. vel & breuius, auctore Euthymio, in præfatione ad psalmos: Psalmus proprie, est illud carmen quod simul cum psalterij instrumento, suauiter profertur. Ode seu canticum, vox quædam est musica, cum harmonia solo ore prolata, quamquam improprie ipsum etiam canticum sæpenumero psalmus dicitur. Est autem canticum psalmo antiquius, Moyses quippe cantici auctor fuit, illiusq. usus vsque ad B. David tempora, perseverauit, qui primus omnium cœpit psalmos conscribere. Nam etsi antea psalterij instrumento vteretur, illius usus, & sine arte vlla erat, & admodum vulgaris. Ad solos enim greges mulcendos pulsabatur. David ergo huiusmodi instrumentum sapientius coaptauit, & illius usum ad Deum transtulit. Hymnus vero est diuinæ gloriæ extēsiō, atque amplior quædam laus. Nam cum laudis nomen simpliciter dicimus, vulgatiore & breuiore laude significamus. His addo, quod Isidor. lib. 6. Etymol. cap. 19. notat: Canticum esse vocem cantantis in lætitia, psalmum autem dici, quia cantatur ad psalterium. Quo usum esse David Prophetam in magno mysterio prodit historia. Canticum psalmi est, cum id quod organū modulatur, vox postea cantantis eloquitur. Psalmus vero cantici, quod humana vox præloquitur, ars organi modulantis imitatur. Plura de discrimine psalmorum & cantici. Amal. Fortun. lib. 4. de eccles. offic. cap. 3. & 12. Cantica solum appellamus, quæ sunt prophetarū, & in sacris scripturis continentur, puta Moysis, Ezechiae, Zachariae, Esaiæ, trium puerorum. S. Mariæ Virginis, & Simeonis, quibus annumeratur canticum illud S. Ambrosij, & Augustini, Te Deum laudamus, quod etsi non extet in sacris libris, veteris, vel noui testamenti, diuinitus tamen compositum fuit. De eo cantico S. Dacius Episcopus Mediolanensis, in suo chronico lib. 1. c. 10. scribit in hæc verba. A B. Ambrosio cunctis fidelibus vrbs astantibus, & vidētibus, in nomine sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Augustinus baptizatus & confirmatus est, in quibus fontibus, prout Spiritus sanctus dabat eloqui illis, Te Deum laudamus cāntantes, cunctis qui aderant audientibus & videntibus ediderunt, quod ab vniuersa Ecclesia Catholica, vsque hodie tenetur, & religiose decantatur. Hactenus Dacius. cuius meminit S. Greg. lib. 4. dial. c. 4. Huius item cātici, Te Deum laudamus, meminit S. Benedict. in reg. c. 11.

DE ANTIPHONIS.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

- 1 Antiphona quid sit ex Isidoro, & alijs.
- 2 Antiphonarum originem, aliqui ad Esaiam referunt.
- 3 Antiphonarum primus auctor, tum apud Græcos, tum apud Latinos.
- 4 Cantum alterna vice primus in Occidente, ad imitationem Orientalium, instituit Ambrosius.
- 5 Psalmorum cantus qui alternatim edi solet, an recte ad Tertullianum, Damasum, & Cælestinum, ut eius rei auctores, referatur.
- 6 Antiphona que nunc dicantur.

1 **A**NTIPHONA Græce interpretatur vox reciproca, duobus scilicet choris alternatim psallentibus, ordine commutato, siue de vno ad vnum. Isidor. lib. 6. Etymol. cap. 19. Alcuinus de diuinis offic. cap. de celebrat. Missar. Raban. Maur. lib. 1. de instit. cleric. cap. 33. Antiphonarum originem nonnulli repetunt ab eo quod Esaiæ cap. 6. duo seraphim clamabant, alter ad alterum & dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum. Vbi auctore Hieron. Hebræi habent, iste ad istum, id est, vnus ad vnum, inuicem se ad laudes Domini

Domini cohortantur. Inde Isidor. lib. 1. de eccles. offic. cap. 7. de Antiphonis agens, duobus choris alternatim concinentibus, quasi duo Seraphim Isaiæ 6. Auctor vero Antiphonarum apud Græcos primus creditur S. Ignatius S. Ioannis discipulus, sæpe ac diu congressus cum Apostolis: is cum visio Angelorum sanctam Trinitatem, hymnis alterna vice decantatis, collaudantium, obiecta fuisset, formam illam, alterna vice canendi Ecclesiæ Antiochenæ tradidit: quæ tandem in omnes Orientis Ecclesias propagata est. Georg. Patriarcha Alexandrinus in vita S. Ioannis Chrysof. Socrat. lib. 6. cap. 8. Tripart. lib. 10. cap. 9. Nicephor. lib. 13. cap. 8. Amalar. Fortunat. de ecclesiast. offic. lib. 4. cap. 7. Vualafri. S. rra de rebus ecclesiast. cap. 28. Radulph. Tungrenf. de canonum obseruant. propof. 12. Hunc ritum vsu receptum in Oriente Basilij sæculo docet ipse Basil. epist. 63. ad Cleric. Neocæsar. De nocte, inquit, populus confurgens antelucano tempore domum precatationis petit, inq. labore, & tribulatione, ac lacrymis indefinentibus facta ad Deum confessione, tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidem in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt. Quibus conuincitur Theodoretus, quem Sigebertus, Radulph. Tungrenf. & alij nonnulli sequuntur, dum lib. 2. cap. 24. & apud Cassiod. lib. 5. Tripart. c. 32. prodidit Flavianum, & Diodorum primos apud Antiochiam, psallentium choro in duas partes diuiso, hymnos Dauidicos alternis canendos tradidisse. Longe enim ante Diodorum, & Flavianum ritus ille canendi alterna voce Antiochiæ ex instituto Ignatij inoleuerat. Non me latet nonnullos monachos quandoque in Aegypto, & Oriente aliter psalmos cecinisse. Cassian. lib. 2. de instit. monach. cap. 5. 8. & 11. Verum, ut supra cap. de vesperis ex Socrate, & Nicephoro monui, apud omnes religionum, & sectarum formas, nusquam duæ fere reperiri potuerunt, quæ in precandi more inter se consentiant. Hactenus de Græcis, quod ad Latinos pertinet: S. Ambrosius primus Antiphonas Mediolani instituit, Græcos imitatus. Ex hinc Antiphonarum vsus in ceteris Occidentis regionibus increbuit. Isidor. lib. 1. de ecclesiasticis officijs cap. 7. Sigebertus ad annum 338. Hoc tempore, ait Paulinus, in vita S. Ambrosij, primum Antiphonæ, hymni, ac vigiliæ in Ecclesia Mediolanensi celebrari cœperunt, cuius celebritatis deuotio non solum in eadem Ecclesia, verum per omnes pene Occidentis prouincias manet. Hoc ipsum institutum Augustinus acceperunt fert S. Ambrosio lib. 9. confessionum. Tunc, inquit, hymni, & psalmi ut canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, ex illo in hodiernum retentum multis iam, ac pene omnibus gregibus tuis, & per cetera orbis imitantibus. Non desunt qui & apud Latinos, morem canendi psalmos alternatim longe ante S. Ambros. inoleuisse crediderunt, ex Tertulliano lib. 2. ad uxorem in fine. Sonant, inquit, inter duos psalmi, & hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet. Verum locus ille intelligi potest de alternatione in diuersis psalmis, ut vnus vnum psalmum, alter alterum canat, non vero in vno eodemq. psalmo. Deinde probabilius est Tertullianum eo loci minime agere de canendis psalmis, alternis versibus, immo de cantu psalmorum, & hymnorum a marito, & vxore simul. Ex his arguitur error eorum, qui Damasum Papam auctorem esse, psalmos alterne canendi, prodiderunt. Damasus quidem constituerat, psalmos die noctuq. cani: at ut alternatim canerentur, non Damasus, sed Ambrosius, sedente Damaso, instituit: verisimile tamen est Damasum id probasse, & vbique fieri præcepisse. Arguitur item eorum incitia, qui Cælestinum primum instituisse psalmos alternis versibus cantari cōmenti sunt. Cælestinus quidem psalmos dici antiphonatim in Missæ sacro instituit, ut in introitu Missæ diximus: at in alijs diuinis officijs longe antea illud institutum fuerat. Porro sententia, quæ psalmum antecedit, nunc Antiphona appellatur: quia auctore Amalario Fortun. lib. 4. de eccles. offic. c. 7. ad eius symphoniam psalmus cantatur per duos choros, ipsaq. Antiphona coniunguntur simul duo chori.

DE LECTIONIBVS ET CAPITVLIS.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

- 1 Lectiones, quæ in diuinis officijs, differunt a lectionibus, quæ fiunt in sacro Missæ.
- 2 Lectiones in diuinis officijs recitare antiquissima institutio.
- 3 Legi quæ debeant in Ecclesia.
- 4 Lectiones in nocturnis quales.

- 5 Capitula leguntur in diuinis officijs.
 6 Lectionem nocturnam lecturus, benedictionem postulat, dicens, Iube Domine benedicere.
 7 Silentium iubetur ante lectionem.
 8 Lectionem audituri, crucis signo frontem terere debent.
 9 Lector in fine lectionum dicere solet: Tu autem Domine miserere nostri.
 10 Monachi dum hominibus occurrunt, solent dicere: Deo gratias.

DE lectionum usu, & antiquitate complura scripsimus lib. de Missa, cap. de epist. Lectiones enim, nedum in diuinis officijs, sed & in sacro Missae celebrantur. Hoc autem interest inter lectionem, quae fit in diuinis officijs, & eam, quae fit in sacro Missae, quod est inter domesticam admonitionem, & illam, quae ad concionem agitur: illam enim, quam ad Missam agimus, ex gradu solemus proferre, vt omnis populus eam audiat. Hae Amalar. Fortunat. lib. 4. de ecclesiast. offic. cap. 3. Lectiones in diuinis officijs recitare antiquitus institutum probat Raban. Maur. lib. 2. de institut. clericor. cap. 52. additq. post Isidor. lib. 1. de ecclesiast. offic. cap. 10. Iudaeos, ex veteri patrum institutione legitimis, praefinitisq. diebus ex lege, & Prophetis lectiones recitare consueuisse. S. August. initio exposition. ad primam Ioannis epistolam, meminit lectionum, quae in Ecclesia certis diebus recitari solebant: Quae, inquit, ita sunt annuae, vt aliae esse non possint. De ordine vero, numero, & tempore lectionum plura Gelasius Papa can. Sacrosancta, dist. 15. Gregor. 7. in concil. generali, can. In die, de consecrat. dist. 5. & latissime Radulphus Tungrens. de canonum obseruantia, propof. 10. & 11. Plane concilio Chartaginensi diligenter vetitum extat, legere in Ecclesia sub nomine diuinarum scripturarum, praeter scripturas canonicas, & passiones martyrum, cum anniuersarij dies eorum celebrantur. Ceterum moris quondam fuit, loco lectionis recitare libellum, qui contineret aliquod insigne miraculum. S. Augustin. de ciuitate Dei lib. 22. cap. 8. Sequenti itaque die post sermonem, redditum narrationis eius libellum in crastinum populo recitandum promisi. Quod cum ex Dominico Pasche die tertio fieret, in gradibus exedrae, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres, cum eorum legeretur libellus. Quod totidem verbis refert idem Augustinus serm. 7. de S. Stephano. Porro in nocturno officio leguntur lectiones, partim ex sacris libris veteris, vel noui testamenti, partim ex homilijs, & gestis Sanctorum: in diurno vero officio, loco lectionum leguntur capitula, hoc est, breues lectiones. De quibus capitulis mentio fit in concilio Agath. can. 21. can. Conuenit, de consecrat. dist. 5. Et quia conuenit ordinem Ecclesiae aequaliter ab omnibus custodiri. Et paulo post, Et in conclusione matutinarum, vel vespertinarum, & Missarum post hymnos, capitula de psalmis dicantur, & plebs, collecta oratione ad vesperam ab Episcopo cum benedictione dimittatur. De eisdem capitulis agit Radulph. Tungrens. de can. obser. propof. 13. in haec verba: Sicut ad vigilijs noctis leguntur lectiones magnae: ita ad laudes, & vespertas, & ad quinque paruas horas dicuntur paruae lectiones, quas Benedictus appellat in sua regula lectiones: communi tamen usu saeculari, ait Radulph. appellantur capitula. Idem Radulph. propof. 8. In lectionibus, inquit, tam maioribus, quae in nocturnis vigilijs leguntur, quam paruulis, quae dicuntur ad alias horas, & capitula appellantur, laudem Dei agimus, & pronunciamus. Ad haec lecturus lectionem, benedictionem postulat dicens, Iube Domine benedicere, can. Denique, vbi gloss. & in can. Placuit, dist. 77. Quibus verbis significat, auctore Ruperto lib. 1. de diuinis offic. cap. 12. quod nemo sine permisso officium praedicandi usurpare debet. Quo modo praedicabunt nisi mittantur? ad Rom. 10. In eandem sententiam Petrus Damianus in lib. qui inscribitur, Dominus vobiscum, cap. 2. lecturus, inquit, magnae humilitatis gratia non a sacerdote, sed ab eo, cui sacerdos iusserit, se postulat benedici, dicens, Iube Domine benedicere. Sacerdos autem, vt tantae humilitati vicem reddat, non subiecto cuiquam delegat benedicendi officium, non per semetipsum benedictionem dare praesumit, sed potius a Deo qui est super omnia benedictus, praerogatur, exposcit. In lectionibus tamen diurnis non petitur benedictio a maiore: quoniam superior, qui vicem Christi gerit, eas recitat. Hae Amalar. Fortunatus lib. 4. de ecclesiasticis officijs cap. 3. Amplius ante lectionem Diaconus voce clara silentium fieri iubet, vt dum psallitur, aut lectio recitatur, ab omnibus vnitas conferuetur. Isidorus libro 1. de ecclesiasticis officijs cap. 10. Cum lectio, ait, legitur, factio silentio, audiatur a cunctis. Et paulo post: Ideo & Diaconus clara

clara voce silentium admonet, vt siue dum psallitur, siue dum lectio pronuncietur, ab omnibus vnitas conferuetur. S. Ambros. in praefat. ad psalmos: Quantum laboratur in ecclesia, vt fiat silentium, cum lectiones leguntur. S. August. de ciuit. Dei lib. 22. cap. 8. Facto tadem, inquit, silentio, scripturarum sunt lecta diuina solemnia. Audituri item lectiones frontem crucis signaculo exornare debent. Isidor. d. cap. 10. Cum lectio legitur, factio silentio, aequae audiatur a cunctis. Nam etsi tunc superueniat quisque, cum lectio celebratur, adoret Deum, & praesignata fronte aurem solite accommodet. Rursus, quando lectio celebratur, solemus sedere more antiquorum, vel silendo stare. Amalar. Fortun. lib. 3. de eccl. offic. cap. 11. & lib. 4. cap. 3. Deinde in fine lectionum lector dicere solet: Tu autem Domine miserere nostri. Quibus verbis, ait Rupert. lib. 1. de diuinis offic. cap. 13. indicat, ne ipsum quidem bonum officium praedicandi, sine alicuius vel leuis culpae puluere peragi posse: Nam, auctore S. August. verbum praedicationis securius auditur, quam dicitur. Praedicator quippe cum bene dicere se sentit, difficile nimis est, vt non quantumcumque spiritu elationis tangatur. Et quia quasi per terram ambulat, & pedes eius aliquo puluere fordidantur: idcirco misericordia Dei indiget, vt in hac parte lauetur, etiam si mundus sit torus. Tandem Chorus succinit, Deo gratias. Quod, eodem Ruperto auctore capit. 14. non ad ultimam precem lectoris, sed ad totam lectionem spectat. Gratias namque agimus Deo, quod doctrinae suae panem nobis frangere dignatur, ne fame audiendi verbum Dei pereamus. Hoc loco obiter obseruandum est, Monachos iam tum Augustini saeculo cum hominibus 10 occurrebant, Deo gratias dicere consueuisse. S. August. ad Psal. 132. Hi, scilicet Donatistae, inquit, insultare nobis audent, quia fratres cum vident homines, Deo gratias dicunt. Quid est, inquiunt, Deo gratias? Ita ne surdus es, vt nescias quid sit, Deo gratias? Qui dicit, Deo gratias, agit gratias Deo. Vide, si non debet frater Deo gratias agere, quando videt fratrem suum. Non enim est locus gratulationis, quando se inuicem vident, qui habitant in Christo. Et tamen vos Deo gratias nostrum ridetis.

DE RESPONSORIIS.

CAPVT DECIMUM NONVM.

- 1 Responsoria cur post lectiones recitentur.
 2 Gloria patri quandoque in fine responsiorum.
 3 Responsoria ab Antiphonis in quo differant.

QUID responforium, & quare appelletur responforium, & complura alia, quae ad responsoria pertinent, tractamus in lib. de Missae sacro cap. de graduale, & responforio. Hoc loco addendum est, responsoria recitari post lectiones: idque propter disciplinam ecclesiasticam, quae non tantum auditores legis exoptat, sed etiam factores. Per lectiones enim doctrina, per responsoria bona opera significantur. Hae Amalar. Fortun. lib. de ordine Antiphonarij cap. 4. & de Turre crem. ad regulam sancti Benedicti tractat. 66. Sunt quidam, qui in fine responsiorum, Gloria patri, non dicunt, propter quod interdum 2 incondite resonat. Sed haec est discretio, vt in laetis sequatur gloria, in tristioribus repetatur principium. Hae Concil. Tolet. 4. cap. 15. Ceterum responsoria hodie post lectionem matutinalem, & eam, quae fit ad vespertas minime recitantur: Nam, auctore Amalario Fortun. lib. 4. de eccl. offic. cap. 7. Sicut hymnus Zachariae excludit responforium post matutinalem lectionem: ita & hymnus, Magnificat anima mea Dominum, post vespertinalem. Antiquitus tamen post vtramque lectionem responsoria decantabantur. Amalar. Fortun. lib. de ordine Antiphonarij, cap. vlt. Inter responsoria, & antiphonas hoc interest, quod in 3 responsorijs vnus dicit versum: in antiphonis autem alternant versibus chori. Hae Raban. lib. 1. de institut. clericor. cap. 33.

DE VERSV.

CAPVT VIGESIMVM.

- 1 *Versus quid significet.*
- 2 *Versus excitat corda cantantium.*
- 3 *Deus in adiutorium meum intende, ante preces canonicas dici consuevit.*
- 4 *Versiculi, Deus in adiutorium, fructus vberissimi ex Cassiano.*
- 5 *Versiculi, Conuerte nos Deus saluaris noster, & Domine labia mea aperies.*

VERSVM a vertendo dictum scribit Alcuin. de diuinis offic. cap. de celebr. Missæ. Versus vero auctore Amalario Fortun. lib. de ordine Antiphonarij, dicitur ille cantus, per quem reuertitur intentio mentis in aliam intentionem, quasi quædam compositio officialis disponens iter mentis suauis cantilena de vno affectu, ad alterum, verbi gratia, de psalmodia ad lectionem, de sollicitudine omnium Ecclesiarum ad propriam conscientiam, quæ conuersio addiscitur in responforijs. Et postea: In multis ecclesijs, in principio cætus, qui vocatur versus, vertit se chorus ad altare. Et alibi cap. 52. Versu commonemur ad aliquam mutationem, & renouationem mentis continentem habitum orationis. Versus, inquit, idem Amalar. Fortunat. lib. 4. de offic. ecclesiast. cap. 12. post lectionem per quotidianas noctes illud tempus ad memoriam reducit, quando merces remunerabitur post laborem præsentis sæculi iustis a Domino. Idem eod. lib. cap. 45. Versus hoc habet singulare, vt excitet corda cantantium ad requirendum faciem Domini in oratione. Ideo sæpissime ante orationem præcedit. Et postea: Ante hymnos, Magnificat, & Benedictus præcedit versus: quia sic debemus esse vigilantes, & intenti ad verba hymnorum memoratorum, vt in oratione. Versus in nocturnali officio præcedit lectionem, in ceteris sequitur. Amalar. lib. 4. cap. 9. Versus cantatur nedum in nocturno officio, sed & in matutino. Amalar. Fortunat. de ordine Antiphonarij cap. 2. cantatur & ad primam, & ad vespas, & ad completorium. Idem Amalar. eod. lib. de ord. antiph. cap. 6. & in diebus Paschalibus prætermittitur. Idem Amalar. eod. lib. cap. 7. Versuum vero præcipuus est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Qui ante preces canonicas dici consuevit: quia, vt inquit glos. ad psalmum 69. Cum orationi incumbimus, tentare nos præcipue nititur diabolus, vt muscæ orientes suauitatem vnguenti depellant. Quare contra illius incurfiones, & impetus ante omnia diuinum auxilium implorare, & flagitare debemus. Omnia enim in Dei nomine facienda sunt. 1. ad Cor. 10. Nec sine eo aliquid impleri potest. Ioan. 15. ea. q. ratione S. Benedictus cap. 9. regulæ, iubet initio diuini officij hunc versic. recitari, idq. in nocturnis horis ante versiculū. Domine labia mea aperies. quia auctore Ioāne de Turre. crem. ad dictam Benedicti regulam, sine Dei adiutorio neque cor, neque labia ad ipsius laudem aperiri possunt. De eodem versu præclare, & grauiter Cassian. coll. 10. cap. 10. In hæc verba: Erit itaque ad perpetuam Dei memoriam possidendam hæc inseparabilis proposita vobis formula pietatis: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Hic namq. versiculus non immerito de toto est excerptus instrumēto. Recepit enim omnes affectus, quicumque inferri humanæ possunt naturæ, & ad omnem statum, atque vniuersos incurfus proprie satis, & competenter aptatur. Habet siquidē aduersus vniuersa discrimina inuocationē Dei, habet humilitatē piæ confessionis, habet sollicitudinis, ac timoris perpetui vigilantiam, habet considerationem fragilitatis suæ, exauditionis fiduciam, confidentiam præsentis semperq. adstantis præsidij. Qui enim iugiter suum inuocat protectorem, certus est eum esse semper præsentem: habet amoris, & charitatis ardorem, habet insidiarum contemplationem, inimicorumq. formidinem, quibus prospiciens semetipsum die, noctuq. vallatum confitetur se non posse sine sui defensoris auxilio liberari. Hic versiculus omnibus infestatione dæmonum laborantibus inexpugnabilis murus est, & impenetrabilis lorica, ac munitissimus clypeus. Iste in acedia, & anxietate animi collocatos sui, tristitia, vel cogitationibus quibuscumque depressos salutis remedia desperare non pati-

tur, ostendens illum, quem inuocat inspicere iugiter nostra certamina, atque a suis supplicibus non abesse. Iste nos in spiritalibus successibus cordisq. lætitia constitutos admonet extolli penitus non debere, nec inflari de prospero statu, quem sine protectore Deo retineri non posse testatur, dum non solum eum semper, sed etiam velociter, vt sibi auxilietur improbat. Iste, inquam, versiculus vnicuique nostrum in qualibet qualitate degenti necessarius & utilis inuenitur. Nam qui se semper, & in omnibus desiderat adiuuari, manifestat, quod non tantum in rebus duris ac tristibus, sed etiam in secundis ac lætis pari modo Deo egeat adiutore: vt quemadmodum ex illis erui, ita in istis eum faciat immorari, in neutro sciens humanam fragilitatem sine illius opitulatione subsistere. Gastrimargiæ passione perstringor, cibos, quos eremus ignorat, inquirō, & in squalida solitudine ingeruntur mihi odores regalium ferculorum, atque ad illorum desideria sentio me inuitissimum trahi, dicendum proinde mihi est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Anticipare horam statutæ refectiois instigor, seu modum iustæ ac solitæ parcitatis retinere cum magno cordis mei dolore contendo, cum gemitu mihi est proclamandum: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ieiunij me ob impugnationem carnis districtioribus indigentem stomachi prohibet lassitudo, seu ventris ariditas, constrictioq. deterret, vt effectus meo desiderio tribuatur: vel certe, vt æstus carnalis concupiscentiæ absque temperamento districtioris ieiunij conquiescat, orandum mihi est: Deus in adiutorium meum intende. Accedens ad refectioem hora legitima suggerente perceptionem panis exhorreo, atque ab omni esu naturalis necessitatis excludor, cum eiulatu proclamandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Volentem me ob stabilitatem cordis insistere lectioni: interpellans capitis prohibet dolor, horaq. tertia faciem meam ad sacram paginam somnus allidit, ac deputatum quieti tempus vel transgredi, vel præuenire compello, ipsum denique canonicum synaxeos psalmodumq. modum interciderem me grauissima somni cogit impressio, humiliter proclamandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Sublato ab oculis meis sopore multis me noctibus diabolicis insomnijs video fatigatum omnemq. a palpebris meis refectioem nocturnæ quietis exclusam, cum suspirijs orandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Ad huc me in colluctatione positum vitiorum titillatio carnis repente compungit, & ad consensum pertrahere dormientem blanda oblectatione conatur, ne ignis alienus exstans vrat suaue olentes flosculos castitatis, clamandum mihi est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Exincta sentio libidinis incentiua, & gentilem membris meis intepuisse feruorem, vt parta hæc virtus, immo gratia Dei in me diutius vel perpetuo perseueret, intente dicendum est mihi: Deus in adiutorium meum intende. Iræ, philargyriæ, tristitiæ stimulis inquietor, cogorq. propositum atque amicam mihi interrompere benignitatem, ne in amaritudinem fellis perturbatione furoris abducatur, cum summo mihi gemitu proclamandum est: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Acediæ, cenodoxiæ, superbiæ elatione perentor, ac de aliorum negligentia vel tepore quiddam sibi mens subtili cogitatione blanditur, ne in me præualeat hæc inimici perniciofa suggestio, cum omni contritione cordis orandum est mihi: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Humilitatis ac simplicitatis gratiam superbiæ tumore deposito, iugi compunctione spiritus acquisiui, ne rursus veniat mihi pes superbiæ, & manus peccatoris moueat me, grauiusq. de victoriæ meæ elatione confodiar, totis mihi proclamandum est viribus: Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuuandum me festina. Et paulo post: Huius igitur versiculi oratio, in aduersis, vt eruamur, in prosperis, vt seruemur, ne extollamur, incessabili iugitate fundenda est. Huius inquam versiculi meditatio in tuo pectore indrupta voluatur. Hunc in opere quolibet, seu ministerio, vel in itinere constitutus, decantare non desinas. Hunc & dormiens, & reficiens, & in vltimis naturæ necessitatibus meditare. Hæc volutatio cordis, velut formula tibi salutaris effecta, non solum illæsum ab omni dæmonum incurfione custodiet, sed etiam cunctis te vitijs terrenæ contagionis expurgans, ad illas inuisibiles theorias, cælestesq. producet, atque ad illum ineffabilem, ac perpaucis expertum prouehet orationis ardorem. Hunc versiculum meditati tibi somnus irrepit: donec incessabili eius exercitatione formatus etiam per-

soporem eum decantare consuecas. hic tibi expergesto primus occurrat. Is te euigilante cogitationes anticipet vniuersas. Iste te, de tuo surgentem cubili; curuationi genuū tradat, atque illinc deinceps ad omne opus, actusq; deducat. hic te omni tempore profuatur, hunc meditaberis secundum præcepta legislatoris, sedens in domo, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens. hunc scribes in limine, & ianuis oris tui. hunc in parietibus domus tuæ, ac penetralibus tui pectoris collocabis: ita vt hæc ad orationem procumbenti sit tibi accliuus decantatio, & exinde confurgenti, atque ad omnes vsus vitæ necessarios incedenti fiat erecta, & iugis oratio. Hactenus Cassia. Ceterum, dum sacerdos dicit: Deus in adiutorium meum intende, singuli in choro assistentes, signo crucis se muniant, ad effugandam illius virtute versutiã diaboli, & potestati. De huius signi virtute plenissime egimus lib. de Missa, cap. de signo crucis. Sunt & alij duo versus, quos Ecclesia quotidie in diuinis officijs repetit. Alter: Domine labia mea aperies. Alter: Conuertere nos Deus salutaris noster. De quibus de Turre crem. ad regul. S. Benedicti in hæc verba: Conuenit, inquit, tribus modis peccare, corde, ore, & opere. Ideoque, vt dicitur, in rationali diuinorum officiorum lib. 5. capit. 2. horæ canonicæ inchoantur, Completorium versu illo: Conuertere nos Deus, contra peccatum cordis. Nocturnæ horæ versu isto: Domine labia mea aperies, contra peccatum oris. Ceteræ vero hoc versu: Deus in adiutorium contra peccatum operis: Et quoniam in peccato cordis, & oris est aliquid operis, in omnibus horis tam diurnis quam nocturnis dicitur: Deus in adiutorium meum intende.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

- 1 *Vsus cantandi in Ecclesia psalmos, hymnos, & cantica antiquissimus est.*
- 2 *Cantus in Ecclesia probatur veterum Patrum testimonijs.*
- 3 *Theodosius frequenter hymnos decantabat.*
- 4 *Vsus canendi psalmos, & hymnos sacre scriptura testimonijs confirmatur.*
- 5 *Cantus Ecclesiasticus, magnos fructus præbet.*
- 6 *Cantum Ecclesiasticum in diuinis officijs Ecclesia Orientalis probat.*
- 7 *Cantorum in Ecclesia institutio vetustissima.*
- 8 *Argumenta eorum, qui cantus Ecclesiasticos improbant, recensentur, & refelluntur.*
- 9 *Cantores qui eligendi.*
- 10 *Cantus, & soni pijs, graues, & distincti esse debent.*
- 11 *Cantorum huius sæculi vitia notantur.*
- 12 *Cantica, ne fracta, scenica, & turpia misceantur.*

VSUS psallendi, & cantandi in Ecclesia Dei psalmos, hymnos, & cantica antiquissimus est. Exod. 15. 1. Paralip. 5. 2. Reg. 7. Dauid, auctore Augustino de ciuit. Dei lib. 17. cap. 14. erat vir in canticis eruditus: qui harmoniam musicam, non vulgari voluptate, sed fidei voluntate dilexerat, eaq; Deo suo, qui verus est, mystica rei magnæ figuracione seruiens, & diuersorum nomine sonorum rationales, moderatosq; concentus concordari varietate compactam bene ordinatæ ciuitatis vnitatem insinuat. Is cantores instituerat, qui coram arca fœderis Domini, musicis instrumentis, & modulatis vocibus decantarent. 1. Paralip. 6. Isidor. lib. 2. cap. 22. Amalar. Fortun. lib. 3. de eccles. offic. capit. 3. Innocent. III. lib. 1. mysteriorum Euangelicæ legis cap. 2. de lyra plenissime. In nouo quoque testamento, cantus in Ecclesia probatur. Luc. 19. Cum appropinquaret iam ad descensum montis Oliueti, cœperunt omnes turbæ descendentium gaudentes, laudare Deum voce magna dicentes: Benedictus Rex, qui venit in nomine Domini. Philo Iudæus lib. de vita contemplatiua enarrans ecclesiasticæ institutionis initia, Non solum (inquit de prioribus Christianis agens) subtilius intelligunt hymnos veterum: sed ipsi faciunt nouos in Deum, omnibus eos & metris, & sonis honesta satis, & suauis compage modulantes. Et postea: Vnus ex omnibus confurgens, in medio psalmum honestis modulis &c. hæc ex Philone Iudæo. Nicephor. lib. 2. cap. 6. Dionys. cap. 3. ecclesiast. hierar. Demum Pontifex ad sanctum altare, iterum

iterum rediens sacros psalmos canere incipit, canuntq; cum eo omnes ecclesiastici ordines. S. Iustin. respons. ad quæst. orthod. 107. Canere simpliciter non est pueris conueniens, sed cum inanibus instrumentis canere, & cū saltatione, & crepitaculis. Itaque in ecclesijs sublatum est vsus talium instrumentorum, & relictum est canere simpliciter. Excitat enim hæc res animum, ad ardentem cupiditatem eius, quod in carminibus capitur, sopit insurgentes ex carne affectiones, cogitationes malas expellit, irrigat animam &c. Plinius Iun. lib. 10. epist. epist. 67. quem laudant Tertull. in Apolog. aduersus gentes cap. 2. Euseb. lib. 3. cap. 32. Hieron. in addit. ad Eusebij Chronicon. Nicephor. lib. 3. cap. 17. fidem facit, nihil aliud de sacris Christianorum comperisse, quam coetus antelucanos ad canendum Christo, & Deo, &c. Tertull. lib. 2. ad uxorem, Quid maritus suus illi, vel marito quid illa cantabit? Et ad finem: Sonant inter duos psalmi, & hymni, & mutuo prouocant, quis melius Deo suo canet. Et in lib. exhortatoriõ ad castitatem, Si psalmum canit, placet sibi. Adde Tertull. in Apolog. cap. 39. & ibi Pamel. Beatus Hippolytus orat. de consumat. mundi enarrans miseras, ærumnas, & calamitates futuras Antichristi tempore: In diebus illis, inquit, psalmorum decantatio cessabit. Laetantius Firmianus lib. 6. institut. cap. 26. Itaque, inquit, si voluptas est, audire cantus, & carmina, Dei laudes canere, & audire iucundum sit. S. Greg. Nazianz. orati. 40. in sanctum baptisma ad finem: Statio hæc, qua confestim a baptismo ante magnum sacrum stabis, futuræ vitæ gloriam præsignat. Psalmorum cantillatio, cum qua accipieris, illius hymnodicæ præludium est. S. Basil. epist. 63. ad clericos Ecclesiæ Neocæsariæ: Ad id vero, quod propter psalmodias accusamur, quare potissimum simpliciores perterrefaciunt, qui nos traducunt, hoc habeo quod dicam, quod videlicet qui iam obtinuerunt ritus, omnibus Ecclesijs Dei concordēs sunt & consoni. Et paulo post: Tandem ab oratione surgentes ad psalmodiam instituuntur. Et nunc quidē in duas partes diuisi, alternis succinentes psallunt. Rursus, deinde vni ex ipsis hoc munus dato, vt quod canendum est, prior ordiatur, reliqui succinunt. Harmonius Bardesanus hæreticus, ac hæretici filius, cantica quædam composuerat, & impietatem melodicæ suauitati permiscens, alliciebat audientes, & ad perniciem venabatur. Cui periculo occurrens S. Ephrem Harmonij numeros moderatus, atque eiusdem modulis carminibus ecclesiasticæ sententiæ consonis adiectis, Syris ea canenda dedit, a quibus per æmulationis ardorem posteriores ecclesiæ cantores, modulorum formulas mutuati, magis atque magis auxerunt, & propagarunt. Theodoret. lib. 4. capit. 29. Cassiod. lib. 8. histor. Tripart. cap. 6. Niceph. lib. 9. cap. 16. Theodosius Iunior primo diluculo cum fororibus suis hymnos alternatim decantabat. Socrates lib. 7. cap. 22. Idem Socr. 23. scribit, eundem Theodosium ludos Circenses peragentem, audita nece Ioannis, qui tyrannidem affectabat, ad Ecclesiam proficiscentem gratiarum actionem per medium circumcum populo cecinisse. Eodem Theodosio imperante, puer raptus in aerem ter sanctum hymnum ab Angelicis ordinibus concinne prorsus cantari audiuit. Niceph. lib. 14. cap. 5. Vnde, ait idem Niceph. Ecclesia omnis hymnum talem ad eundem modum continenter canere consuevit. Item Prudentius Cathemer. hymno 2.

Te mente pura simplici.

Te voce, te cantu pio

Rogare curuato genu,

Flendo & canendo discimus.

Vsum canendi psalmos & hymnos, ex scripturis defendi posse, scribit August. epist. 119. ad Ianuarium cap. 18. & lib. 1. retractat. cap. 19. in hæc verba: Sine dubitatione faciendum est, maxime illud, quod etiam de scripturis defendi potest, sicut de hymnis & psalmis canendis: cum & ipsius Domini, & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta de hac re tam vtili. Magnum vero fructum ex dulcedine cantus in celebratione diuinorum officiorum S. Augustinum percipere consueuisse, idem August. docet lib. 9. Confess. capit. 6. Quantum, inquit, fleui in hymnis & canticis tuis, suaue sonantis Ecclesiæ tuæ vocibus commotus! acriter voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas tua in cor meum, & ex ea æstuabat. Inde affectus pietatis, & currebant lacrymæ, & bene mihi erat cum eis. Et cap. 7. Et tamen tunc, cum ita fragraret odor vnguentorum tuorum, non currebamus post te. Et ideo plus fiebam inter cantica hymnorum tuorum olim, suspirans tibi & tandem respirans, quantum patet auram in domo fenæ. Idem lib. 10. cap. 33. Aliquando autem hæc ipsam fallaciam immoderatus canens, erro nimia feueritate: sed valde interdum, vt melos omne cantilenarum suauium, quibus Dauidicum psalterium frequetur, ab auribus meis remoueri

remoueri velim, atque ipsius Ecclesiæ: tutiusq. mihi videtur, quod de Alexandrino Episcopo Athanasio sæpe mihi dictum commemini, qui tam modico flexu vocis, faciebat sonare lectorem psalmi, vt pronuncianti vicinior esset, quam canenti. Verum tamen cum reminiscor lacrymas meas, quas fudi ad cantus Ecclesiæ tuæ, in primordijs recuperatæ fidei meæ, & nunc ipso commoueor non cantu, sed rebus quæ cantantur, cum liquida voce & conuenientissima modulatione cantantur, magnam instituti huius vtilitatem rursus agnosco. Amplius cantum Ecclesiasticum in diuinis officijs confirmat tum synodus Tridentina sess. 23. capit. 18. tum etiam Ecclesiæ orientalis consensus. Græci enim & musicum cantum probant. Ioannes Episcopus Citri interrog. 2. Item preces, inquit, & musici cantus, & diuina templa, venerationesq. pretiosæ crucis, sanctorumq. imaginum illis sunt nobiscum communes. Tum denique cantorum in Ecclesia vetus institutio. Horum mentio extat can. Apostol. 43. & 69. & apud S. Ignatium epist. ad Philippenfes. De his plura Ioannes Diaconus lib. 2. de vita Gregorij Magni cap. 6. 7. 8. & 9. & nos in lib. nostro de ordinibus Ecclesiasticis. Non defuerunt, qui cantum Ecclesiasticum vehementer oppugnarunt. Hilarius quidam vir Tribunitius laicus, aduersus quem August. librum scripsit, (qui vitinam extaret) cantum Ecclesiasticum aspernabatur. Huius Hilarij meminit idem August. libro 2. retractat. cap. 11. Vnicuique item cantum Ecclesiasticum irridebat, aduersus eum scripsit Thomas Vualdensis tomo 3. de sacramentalibus. Centuriatores quoque cantum Ecclesiasticum vocant Baalimum. Eorum vero argumenta breuiter recensebo, eaq. deinde refellam. Primum eorum argumentum est, quod in sacris litteris arguuntur sacerdotes Baal, quia clamabant & cantabant. hos irridens Elias dicebat 3. Regum cap. 18. Clamate voce maiore, Deus enim est, & forsitan loquitur, aut in diuersorio est, aut in itinere, aut certe dormit, vt excitetur. Secundum 1. Regum 1. Anna precabatur Dominum in corde suo, tantumq. labia illius mouebantur. Et vox penitus non audiebatur. Anna, inquit, Cyprianus de oratione Dominica, typus est Ecclesiæ, quæ Dominum non clamosa petitione, sed tacite & modeste intra ipsas pectoris latebras precabatur. Item S. Chrysostomus homil. 13. in Matthæum in opere imperfecto: Hic ergo ora, sicut audisti in libro regnorum. Annam orantem, quæ figuram portabat Ecclesiæ, de qua dictum est: Labia quidem eius mouebantur, vox autem eius non audiebatur. Tertium ex S. Hieronymo ad Ephef. cap. 5. can. Cantantes, distinc. 112. Cantantes, inquit, & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragædorum modum guttur & fauces dulci medicamine colliniendas, vt in Ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica; sed in timore, in opere, in scientia scripturarum. Quamuis sit aliquis, vt solent illi appellare, *μυροβόος*, si bona opera habuerit, dulcis apud Deum cantor est. Sic canet seruus Christi, vt non vox canentis, sed verba placeant quæ leguntur: vt spiritus qui erat in Saule, ab ijs eiiciatur, qui similiter ab eo possidentur, & non introducatur in eos qui de Dei domo scenam fecere populorum. Quibus verbis innuere videtur S. Hieronymus diuinas laudes in Ecclesijs non esse musica voce decantandas. Quartum ex S. Chrysostomo homil. 19. in cap. 6. Matthæi, in ea verba: Cum autem oratis. Non igitur, inquit Chrysostomus, gestibus corporis, neque clamoribus vocis, sed intentione optimæ voluntatis orationum vota reddamus: non cum sonitu oris, ac strepitu, sed cum omni modestiâ & contritione mentis, lacrymisq. secretis. Quintum ex eodem Chrysostomo homil. 13. possumus intelligere & ostium domus os corporis, vt non clamosa voce oremus Deum, sed desiderio tacito. Nam ex clamosa oratione multa mala nascuntur, maxime hæc tria. Primum, qui clamose orant non credunt Deum vbique esse, & absconsa audire. Secundum, quod mysteria secretarum petitionum tuarum, quas forte non oportebat alterum scire præter te & Deum, in auribus bonorum hominum, & malorum audienda committis. Tertium vero malum, quia clamosa voce orans, iuxta te alterum non permittis orare. Verum hæc facile dilui possunt primum sacerdotes Baal, non ideo irridentur, quia clamabant: sed quia Deum lapideum opus manuum hominum inuocabant. Nam & Numer. 12. Moyses clamabat ad Dominum, & 1. Regum 7. Ne cesses clamare pro nobis, & 15. Clamabit ad Dominum tota nocte. Iudith 4. Clamauit omnis populus ad Dominum. Dauid passim in psalmis voce mea ad Dominum clamaui. Clamauerunt & salui facti sunt. Matth. 15. Mulier Chananæa clamaui dicens, Miserere mei Domine. & cap. 20. Duo cæci clamauerunt dicentes, Miserere nostri fili Dauid. At illi multo magis clamabant. & 27. Clamauit Iesus voce magna dicens, Marci

Marci 11. Clamabant dicentes: Osanna, Benedictus qui venit in nomine Domini. ad Hebræos 5. Cum clamore valido & lacrymis. Quod vero ad secundum pertinet, Anna orabat priuatim, tacita voce. In orationibus vero priuatis nihil deperit oranti, quando Deus non longe est & audit secreta cordis nostri. nos agimus de publica prece Ecclesiæ nomine, in qua laudari & orari vult Deus laborum nostrorum cymbalis, bene non male sonantibus. Neque pugnat quod Cyprianus dicit, illam esse typum Ecclesiæ, & Chrysost. figuram. Est enim typus seu figura Ecclesiæ, quatenus Ecclesia priuatim, non publice, orat. Ad tertium ex S. Hierony. S. Thomas 2. 2. quæst. 111. artic. 2. monet Hieronymum non pure & simpliciter cantum improbare, verum arguere eos, qui in Ecclesia canunt more Theatrico, vel vt ille loquitur Tragædorum modo, non ad deuotionem excitandam, sed ostentationis ergo, vel ad delectationem prouocandam. Inde S. Augustin. libro 10. confess. cap. 33. Cum mihi accidit, vt me amplius cantus, quàm res quæ cantatur moueat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc malle me non audire cantantem. Et Hierony. epist. 4. ad Rusticum cap. 7. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis, sed mentis affectus quæritur, dicente Apostolo, Psallam spiritu, psallam & mente. Sane Chrysost. vtrouique de oratione priuata agit, non de publica quod eius verba aperte indicant. Ceterum circa cantum diuinarum laudum obseruandum est, vt tales ad cantandum & psallendum in Ecclesijs constituantur, quorum mens cum voce concordet, vt impleatur illud primæ ad Corinth. 14. Psallam spiritu, psallam & mente. Tales item eligantur qui non superbe, sed humiliter & sapienter debitas Domino laudes persoluant, & suauitate lectionis ac melodiæ, & doctos demulceant, & minus doctos erudiant, potiusq. exoptent in lectione vel cantu populi ædificationem, quàm popularem vanissimam adulationem. Hæc concilium Aquigranense cap. 132. & 133. Cantus & soni graues sint, pij ac distincti, & domui Dei ac diuinis laudibus accommodati, vt simul & verba intelligantur, & ad pietatem auditores excitentur. Hæc Synod. Mediolanens. sub Borromæo illo pijsimo, anno 1565. cap. de musica & cantoribus. Verum hodie, dolenter refero, in Ecclesijs musici, qui cantorum vice funguntur, hominum omnium dissolutissimi sunt, adeo vt adagium populo dederint, Musice viuere, hoc est dissolute & effeminate. Hos e choro deiici oprabat Lindanus lib. 4. Panopliæ cap. 78. Optabat item in Ecclesijs cathedralibus eligi cantores psalmorum intelligentes, & Deum vita simul & voce moderata, potius quàm incondito garritu laudantes. Monebat Mussus Episcopus Bituntinus, sermone de psalmodia; cantores seu musicos, quoties Musæum ascendunt orationem præmittere ad Dominum, vt det illis vocem in sua ipsorum ora bene sonantem: præcipue vero vt sursum habeant cor ad Dominum, & illud placeat cordi, quod cantant ore: ne Deus indignatus dicat illis, Quare cantatis iustitias meas, & assumitis verba mea per ora vestra? Obseruandum est item, ne hi, quibus competit per prædicationem & doctrinam mores hominum informare, cantibus insistant, ne per hoc a maioribus retrahantur. S. Gregor. lib. 4. epist. cap. 88. can. In sancta, distinc. 112. S. Thomas 2. 2. quæst. 112. artic. 2. Amplius cauendum est ne cantica fracta & scenica in Ecclesijs misceantur. Balsamon ad synodum Laodicenam, can. 15. Et multo magis ne impudica & turpia, aut etiam vana. Concilium Moguntiacum sub Carolo Magno. cap. 48. In synodo Tridentina sess. 22. cap. de obseruat. & euitand. in celebrat. Missæ, decretum est ab Ecclesijs arceri musicas eas, vbi sine organo siue cantu, lasciuum aut impurum aliquid misceatur. Ad hæc optandum est constitutionem Ioannis XXI. cuius initium est, Docta sanctorum Patrum. sub titu. de vita & honestate clericorum, instaurari, eamq. diligentissimi seruari.

QVI AD RECITATIONEM PRECVM Canonicarum obstringantur.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

1. Ecclesia suos habet excubitores & vigiles, id est Sacerdotes.
2. Sacerdotes præcudubio ad recitationem precum canonicarum obligantur.
3. Diaconi & subdiaconi preces canonicas quotidie recitare tenentur.

4. Clerici

- 4 Clerici in minoribus, qui nullo fruuntur beneficio ecclesiastico, ad preces canonicas minime astringuntur.
- 5 Monachi professi ad deseruendum in choro ad preces canonicas obligantur.
- 6 Moniales, an ad preces canonicas deuinciantur.
- 7 Beneficiarij ad preces canonicas obligantur.
- 8 Beneficium datur propter officium.
- 9 Beneficiarij, qui duo vel plura munera ecclesiastica obeunt, an bis vel sæpius horas canonicas recitare debeant.
- 10 Beneficiarius, & si exiguus tenuisq. sit redditus beneficij, non excusatur à precum canonicarum recitatione.
- 11 Excommunicatus ad preces canonicas tenetur.
- 12 Dominus vobiscum, excommunicatus horas recitando dicere non debet.
- 13 Degradatus ad preces canonicas obligatur.
- 14 Pensionarius, ad preces canonicas non tenetur. Officium tamen paruum B. Virginis dicere obligatur ex constitutione Pij V.



DTS I priuatim orare & laudare Deum commune sit Christianis omnibus: publice tamen & orare, & psalmos, hymnos, ac cantica recitare & canere, decorum fuit certis personis committere & commendare: cum præsertim populus huius sæculi negotijs implicatus hoc tributum Deo persolvere assidue nequeat. Adde, quòd quemadmodum terrena respublica suos habet custodes & vigiles, decebat quoque spiritalem habere suos excubitores. Vnde Deus Esaiæ capit. 62. Super muros tuos Hierusalem constitui custodes, tota die & tota nocte, in perpetuum non tacebunt. Quo loci S. Hieronymus docet Deum loqui ad Ecclesiam. Custodes vero Sacerdotes Christianos interpretatur S. Bernard. ser. 76. in cantica in illud, Inuenerunt me vigiles qui custodiunt ciuitates, vigiles intelligit ecclesiasticos qui in orationibus pernoctantes orant pro populo. Porro tria hominum genera ad recitationem precum canonicarum tenentur. Clerici, beneficiarij & monachi. Primum clericis modo sacris initiati sint. De presbyteris expressum est in can. Presbyter, dist. 91. cap. 1. cap. dolentes, de celebrat. Missarum. Vbi omnes interpretes. Apostoli, qui & Sacerdotes erant, profitentur Actuum 6. se orationi & verbo Dei instantes futuros. Item Iacobi 5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros super eos vt orent. Quasi presbyterorum præcipuum munus sit orare pro alijs. Rursus Osæ 4. Sacerdotes peccata populi comedere dicuntur: Quæ verba enarras Anastasius Episcopus Nicenus lib. quæstionum in scripturam ex Theodoro de dubijs scripturæ ait, Hinc docemur quod nos Sacerdotes vescetes ijs quæ offeruntur a populo, & pro eis preces non diligenter offerentes Deo, poenas dabimus. De alijs clericis Theologi & Canonistæ consentiunt Diaconos & Subdiaconos obligari ad recitationem precum canonicarum, argum. can. Eleutherius can. Clericus, dist. 91. Concil. Basiliens. cap. Qualiter horæ sint dicendæ. Quoscumque, inquit, Synodus etiam alibi beneficiatos, seu in sacris constitutos cum ad horas canonicas teneantur, Gloss. Innocen. Panormit. & ceteri in d. c. 1. de celebrat. Missarum. Gloss. & Doctores in Clem. 1. eod. tit. Thomas, Petrus de Palude, & Gabriel Biel ad 4. senten. dist. 15. Idem Thomas quolibeto 6. artic. 8. Siluester, & Summistæ in voce, Canonica. Antoninus 3. par. tit. 13. c. 4. §. 1. Soto lib. 10. de iust. & iure, quæst. 5. artic. 3. Iuuat hanc sententiam, quòd ordini sacro officium annexum sit. Archidiaconus in d. can. Eleutherius. dist. 91. Vnde in ordinatione Subdiaconorum, cuius formulæ extat in lib. ordinis Romani, vbi dicitur: Videte cuius ministerium vobis traditur: & ideo si vsque nunc fuistis tardi ad Ecclesiam, amodo debetis esse assidui, si vsque nunc somnolenti, amodo vigiles. Item in benedictione eorumdem: Vt eos in sacrario tuo sancto strenuos, sollicitosq. cælestis militiæ instituas excubitores. Præterea ex sententiâ S. Thomæ dicto quolibeto 6. artic. 8. sacris initiati diuino cultui mancipati sunt, adeo vt resilire nequeant. Ecclesia vero recitationem harum precum ad diuinum cultum pertinere edixit. Alij vero clerici, qui in minoribus ordinibus constituti nullo fruuntur beneficio ecclesiastico, communi doctorum calculo & generali Ecclesiæ consuetudine minime ad preces canonicas obligantur. de Turre crem. in can. 1. dist. 90. versic. Ad tertium. De Soto d. quæst. 5. Nauarrus de orat. & horis canon. cap. 7. num. 12. Tum quod nulla constitutio extat, quæ eos obstringat, tum quod non sunt plene diuino cultui dicati, & in sortem Domini electi. Eis enim liberum est iure coniugium,

gium, omniaq. laicorum munia implere & exequi. Inde concil. Trident. sess. 23. cap. 6. de reform. Clerici constituti in minoribus, nisi beneficium Ecclesiasticum habeant, non fruuntur immunitate in criminalibus, nec eis ius sancti verticis vsurpare licet. Quod & constitutione regia in conuentu Molinis habito, anno 1565. diferte continetur. Quo argumento corrui Panormitani ratiocinatio in cap. 1. de celebrat. Missarum. Neque pugnat canon. final. distinct. 92. Ibi enim agitur de clericis Ecclesiæ deputatis, hoc est de his, qui alicui Ecclesiæ addicti sunt, eiusq. ministerio deputati. Plane etsi gloss. aliter sentiat, eius opinio expressis canonis verbis conuincitur. Porro Paluda. & Siluest. ad 4. senten. dist. 15. quæst. 5. Siluester item in summa, in voce, Hora canonica, Nauarrus in Manuali confessorum, cap. 25. num. 108. & de orat. & horis canonic. cap. 21. num. 8. consentiunt, Clericos in minoribus etsi ad preces canonicas minime obstringantur, nihilominus in honorem ordinum, quibus insigniti sunt ad plures preces, quàm laicos obligari. Quorum opinio etsi nullo iure nitatur, pia & probabilis est: vbi præsertim vel constitutione Episcopi id sancitum est, vel consuetudine receptum. Quod ad Monachos qui nondum maioribus ordinibus initiati sunt, pertinet: aut professi sunt, aut non professi. Clerici ad deseruendum in choro 5. proculdubio ad preces canonicas obligantur ex communi & recepta theologorum, & canonistarum sententiâ, Paludan. ad 4. senten. distinct. 15. quæst. 5. Antoninus 3. par. tit. 14. cap. 5. A quibus Caietanus in voce, Hora, dissentit. Laici vero non tenentur, quemadmodum nec clerici non professi, reiecta Paludani sententiâ. hæc pluribus probant Siluester in summa in voce, Hora. Antoninus 3. parte titu. 13. cap. 4. De Soto de iusti. & iure. lib. 10. quæst. 5. artic. 3. Nauarrus de orat. & horis canonicis cap. 7. De monialibus vero Innocent. 6. in cap. 1. de celebrat. Missarum, & Archidiaconus can. final. distinct. 92. prodiderunt moniales litteratas, quæ iam professionem emisserunt, obligari ad preces canonicas: nouitias vero, necnon conuersas minime, sequitur Nauarrus de orat. & horis canon. cap. 7. num. 21. Beneficiarij denique ad recitationem precum canonicarum obligantur can. final. dist. 92. 7. ibi: Ecclesiæ deputati cap. Quod a te, cap. Diuersis fallacijs de clericis coniugatis. Quibus locis agitur de clericis, infra subdiaconatus ordinem constitutis. Item in concil. Lateranensi sub Leone X. sessio. 9. cap. 9. Statuimus, inquit synodus, vt quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio, officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum fructus suos non faciat. Quam quidem constitutionem, Pius Quintus, vere pius Pontifex, innouauit & amplificauit constitutione 138. in magno Bullario Romæ, 12. Calen. Octob. 1571. Accedat, quòd beneficium datur propter 8. officium, quare qui non persoluit officium, indignus est beneficio, can. Si quis sacerdotum. can. Eos qui. distinct. 81. cap. final. de rescript. apud Bonifacium. Inde ait Gloss. in §. illis. in verbo, adimantur. de militari testamen. clerico cessante ab Ecclesia, cessare præbendam. Magna sane relatio est officij cum beneficio Ecclesiastico, & beneficij cum officio. Legimus 2. Paralipom. cap. 31. Ezechiam constituisse turmas sacerdotales, & leuiticas per diuisiones suas, & vnum quemque in officio proprio, tam sacerdotum quàm leuitarum, vt ministrarent, & confiterentur, canerentq. in portis castrorum Domini: præcepisse item populo, dare sacerdotibus & leuitis, vt possent vacare legi Domini. Ecce beneficium propter officium. Rursus psal. 104. Dedit eis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant. Ecce beneficium, regiones gentium, & labores populorum. vt custodiant iustificationes, & legem eius requirant: propter hoc datur beneficium. Amplius qui non seruit, non debet frui stipendio, & mercenarius, qui non operatus fuerit, repetetur ab eo merces. cap. Cum secundum. de præben. Præclare S. Bernard. epist. 2. ad Fulconem: Verumtamen quæ sunt illa tua beneficia Ecclesiæ? Recte, quia surgis ad vigilias, vadis ad Missas, horis chorum nocturnis, diurnisq. frequentas, benefacis, sic Ecclesiæ, gratis præbendam non accipis; dignum est, vt qui altari seruit, de altario viuatur. Concedatur ergo tibi, vt si bene deseruis, de altario viuas. Idem Bernard: serm. de verbis Euangelic. Væ tibi clerice; Mors in olla, quia populi constat esse peccata, quæ comedis. sumptus Ecclesiasticos gratis habere reputas, &c. Quibus rationibus probo sententiam Vlrici. & de Turre crem. Antonini, & Caietani, beneficiarios ad preces canonicas obligari, nedum præcepto Ecclesiæ, sed etiam naturali iustitia. Gloss. pragmat. in §. 1. Qualiter horæ sint dicendæ extra chorum. Hoc loco quæritur, an qui duo, 9. vel plura beneficia, vel plures præbendas possidet, preces canonicas semel atque iterum recitare teneatur? In ea quæstione videtur beneficiarium bis recitare debere. Quis enim respondere

respondere debet emolumento, can. Charitatem. 22. quæst. 2. Quare cum duplex emolumentum percipiat, duplex quoque onus sustinere debet. Deinde beneficiarius cuiuslibet Ecclesiæ, in qua commodum consequitur, ad preces canonicas obligatur. cap. Significatum. de præbend. Ea vero obligatio non nisi solutione dissolvitur. Denique beneficii datur propter officium, ut iam docuimus: cum ergo beneficiarius iste duplex habeat beneficium, duplex quoque officium persolvere debet. plenissime Nauarrus de oratione, & horis canonicis cap. 22. miscellaneo 15. At generali Ecclesiæ consuetudine receptum est, sufficere, ut is, qui iuste, & legitime plura beneficia, vel plures præbendas possidet, semel in die horas canonicas recitet. Verum an ea consuetudo Deo grata sit, dubitat Albertus de Ferrarijs in tractatu de horis canonicis. Eam tamen probant S. Thomas quodlibeto 1. Petrus de palude ad 4. senten. distinct. 15. Henricus in cap. Perniciosus. de celebrat. Missarum. Ioannes de Lignano in tractatu de horis canonicis, quæst. 9. & de Turre cremat. in dicto can. 1. dist. 91. ubi ea, quæ in contrarium attulimus, refellit. quem totidem fere verbis sequitur Gloss. pragmat. in §. 1. in verbo, teneantur, qualiter horæ sint dicendæ. Ceterum beneficiarius tenetur ad preces canonicas, etsi beneficium illius perexiguum sit. Gloss. singularis in can. Clericus victum, distinct. 91. Albertus de Ferrarijs, Hostien. & ceteri in cap. 1. de celebrat. Missarum, idem Hostien. in summa de celebrat. Missarum. §. final. Cardin. in clemen. 1. de celebrat. Missarum, Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 4. §. 1. Silvester in voce, Hora, Gloss. pragmat. in dicto cap. 1. in verbo, teneantur, qualiter horæ sint dicendæ. Nam, etsi tenuis, exiguusq. sit redditus beneficii, adeo ut eo se alere nequeat clericus, ne hoc quidem casu vacationem assiduitatis habet, cap. Conquerente, de cleric. non resident. Adde, quod si quis in impetratione taceat quantumcumque modicum beneficium, inutilis est impetratio, cap. Si motu proprio. de præben. cap. Si proponente. de rescrip. Dispensatio item super multitudine beneficiorum non prodest impetranti, qui beneficium perexiguum retinuit cap. Non potest. de præben. apud Bonifacium. Accedat, quod non ea solum ratione beneficiarius ad horas canonicas teneatur, quod seipsum sustentet opibus, & redditibus Ecclesiæ. Nā & præceptores, qui erudiendæ iuventutis ergo præbenda potiuntur. cap. 1. de magistris, & complures Ecclesiæ ministri, etsi ex redditibus Ecclesiæ aliquid percipiant, non obligantur ad preces canonicas. Verum & præcipue beneficiarij ad horas canonicas obstringuntur: quia ad beneficium, etsi tenue & exiguum, ordinantur, ad laudandum, & rogandum Deum, eiq. inseruiendum pro populo, a quo recipiunt fructus, etsi ad se sustentandum impares. Qua ratione hanc sententiam probat Nauarr. lib. de orat. & horis canonic. cap. 7. num. 27. & cap. 21. num. 11. Denique ei imputandum est, qui tale beneficium accepit argum. canon. Horrendus 32. quæst. 5. Hancq. sententiam aperte confirmat Pij V. constitutio 138. in magno bullario his verbis, Declarantes præstimoniam, &c. Sane ubi beneficiarius nullos fructus per se, vel per alium ex beneficio percipit, neque per eum fiat quominus eos percipiat, excusatur a precum canonicarum recitatione. Paludanus ad 4. senten. distinct. 15. quæst. 5. de Turre cremat. in can. 1. distinct. 91. Quod pluribus enarrat Nauarrus de orat. & horis canonicis. cap. 7. num. 28. Amplius beneficiarius tenetur ad preces canonicas, etsi fuerit excommunicatus. Gloss. & Archidiaconus in can. presbyterum. distinct. 28. ne delinquentis melior sit conditio, & delinquens ex fraude, & malitia commodum consequatur cap. Eum, qui. de præben. apud Bonifacium, cap. Sedes Apostolica, de rescript. Accedat quod excommunicatus debitor non liberatur a debiti solutione. cap. Si vere. de senten. excom. cap. Excommunicamus. de hæret. cap. Intelleximus. de iudic. Clerici vero ratione ordinis & beneficii debitores Deo dicuntur quoad diuinum officium cap. 1. de celebrat. Missar. ibi, Pensum seruitutis suæ: preces tamen recitare debet priuatim, & in modum priuati suffragij, non in Ecclesia, Gloss. in cap. 2. de clerico excommunicato ministrante can. 12. Si quis Episcopus 11. quæst. 3. Doctores in clement. Graui. de celebrat. Missarum, easq. recitando non debet dicere, Dominus vobiscum, sed quemadmodum laici, Domine exaudi orationem meam. Tum quod eas cum alio recitare non valeat, can. Cum excommunicato 11. quæst. 3. Tum etiam quod hoc pertineat ad dignitatem ordinis, qua, excommunicatione vel suspensione, indignus efficitur. Hostien. in cap. Illud de cleric. excommunic. ministrante, Archidiacon. in dicto can. Presbyterum, Albertus de Ferrarijs de horis canonicis quæst. 12. & 13. Henricus in cap. 2. de cleric. excommunic. ministrante, de Turre cremata in dicto can. 1. distinct. 91. Plane excommunicatus Missam, neque publice, neque priuatim legere potest, cap. 2. cap. Illud. de cleric. excommun. ministr. Quin & degradatus ad preces canonicas

canonicas obligatur, Archid. Card. Alexand. & ceteri in can. presbyterum. distinct. 28. manet enim in degradato character, Gloss. in can. licite 32. quæst. 7. character vero deleri non potest. plene S. Thomas 3. par. quæst. 65. artic. 5. & ad 4. distinct. 4. quæst. 1. & ad Romanos 7. Magister senten. & Bonauentura in 4. senten. distinct. 25. adeo ut degradatus sacramentum conficere possit, cum per degradationem characterem non amiserit, etsi grauius conficendo peccet. Degradatis enim aufertur executio, S. Thomas 3. parte quæst. 83. artic. 8. & ad 4. distinct. 13. artic. 1. quæst. 4. Gabriel Biel super can. Missæ lect. 2. Ioannes Andreas in cap. Degradatio de poenis. Accedat, quod clericus degradatus teneatur colere vitam secundum Ecclesiasticas regulas, textus notandus in can. Dictum, distinct. 81. Durantus speculator in titu. de competent. iudic. adit. §. 1. versic. 2. plura de degradatione, eiusq. sollempnijs in lib. de ordinibus Ecclesiasticis. Rursus quaeritur, an pensionarius teneatur, preces canonicas quotidie recitare. Crebrior opinio obtinuit, pensionarium non teneri. Albertus de Ferrarijs in tractatu de horis canonicis. Hieronym. Paul. in practica cancellariæ Apost. versic. quod pensiones. Gomez ad regulam Cancellariæ de infirmis resignantibus quæst. 16. Gygas in tractatu pension. quæst. 30. Pensio enim non est beneficium Ecclesiasticum, immo a beneficio Ecclesiastico fecernitur. cap. Ad audientiam. de rescript. ubi Felinus copiose & abundanter. cap. quamuis. de præben. apud Bonifacium. Soluens liquidem pensionem, beneficiatus est, non recipiens. Oldrad. concil. 168. Pensio item est quid temporale. cap. Præterea. 1. & 2. de transact. Gloss. pragmat. in titu. de collatio. §. item quod vniuersitates. in verbo, beneficiorum. Quare pensionum laici capaces sunt. Baldus & Felin. in dicto cap. ad audientiam. Archidiacon. in cap. si motu proprio. de præben. Dominicus & Philip. Francus in dicto cap. Quamuis. de præben. plene Rebuf. in tractatu de pacific. possessoribus. Eamq. sententiam diferte probat Pius V. Pontifex d. constitut. 138. his verbis: At quicumque pensionem, fructus, aut alias res Ecclesiasticas ut clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumq. ipsarum amissioni obnoxium. Quibus verbis pensionarij si fuerint clerici in minoribus, tenentur dumtaxat ad recitationem parui officij beatæ Virginis. Alij enim clerici in sacris ordinibus constituti, etsi non pensionarij, ad preces canonicas obligantur, ut iam docuimus.

QVIBVS EX CAVSIS A PRECVM
Canonicarum recitatione clerici, vel beneficiarij excusentur.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

- 1 *Ægrotatio qualis excusat a recitatione precum canonicarum.*
- 2 *Sanus factus clericus, an preces, quas prætermisit, recitare teneatur.*
- 3 *Impedimentum naturale excusat ab horis canonicis.*
- 4 *Episcopus non dispensat super recitatione precum canonicarum.*
- 5 *Brenarij inopia excusat a recitandis precibus canonicis.*
- 6 *Studiosi doctrinarum an excusentur ab horis canonicis.*
- 7 *Scholares qui dicantur in cap. 1. de celebrat. Missarum.*

DLVRES sunt causæ, quæ a recitatione precum canonicarum iustam excusationem præbent. Prima est ægrotatio cap. Ad audientiam. de cleric. non resident. 91. distinct. in principio. & can. Clericus victum. ead. distinct. quod obtinet, modo talis ægrotatio grauis sit, leuis enim morbus non excusat. argumen. l. quæsitum. de re iudic. Innocen. & Panormit. in cap. 1. de celebrat. Missarum. De Turre cremat. in can. Eleutherius. distinct. 91. Quin ubi talis esset infirmitas, quæ recitationem quidem impedit, non tamen auditionem, tunc alium preces canonicas legentem audire debet secundum Hostien. in d. cap. 1. Gerard. in tractat. de assiduitate orandi quæst. 4. a quibus tamen dissentit Nauar. lib. de orat. cap. 11. An vero morbus grauis, vel leuis sit, an item precum recitatio, vel auditio noceat ægrotato:

F f consulendi

consulendi sunt medici nedum corporales, sed & spirituales, quorum arbitrio hæc in parte standum esse, notant Siluester in summa, in voce, Hora, quæst. 4. Soto de iustitia & iure. libro 10. quæst. 5. artic. 3. Nicol. Posnoniens. in tractatu de horis canonicis quemadmodum
 2 & in ieiunijs, ex sententia S. Thomæ 2. 2. quæst. 147. artic. 4. Verum quaritur an sanus factus, preces quas prætermittit, recitare teneatur. Innocent. in dicto cap. 1. & Panormit. in cap. ex parte. de obseruat. ieiuniorum, censent non teneri. nam & is qui non potest ieiunare in quadragesima, non tenetur ieiunare alio tempore. cap. 2. de obseruat. ieiuniorum. Siluester in summa, in voce, ieiunium. §. 8. Et qui tenetur præstare operas certo tempore, si impediatur iusto impedimento, non obligatur eas postea præstare. l. si non fortem. §. libertis. ff. de condict. indebiti. Is etiam cui vsus fructus biennij relictus est, si præpeditus fuerit eo biennio uti frui, non poterit alio biennio legato frui. l. si vsufructus. ff. de vsufruct. leg. Altera causa est impedimentum naturale, aut si quid repente & subito accidat, quod
 3 lectioem, seu recitationem precum impediatur, nec illud prætermitti possit sine peccato, vel scandalo. Henricus Gandauen. quodlib. 15. quæst. 10. Ioannes Maior ad 4. senten. distinct. 12. quæst. 6. Siluester in voce, Hora, quæst. fin. Huius causæ varia exempla proferunt. Henric. de Gandauo, & Siluester, nec non Nauar. de orat. & horis canonicis, cap. 11. Tertia causa est summi pontificis dispensatio. Nam etsi papa dispensare non possit a debito dicendi diuinum officium, vel persoluendi æquiualens (vt doctores loquuntur) quatenus debitum illud pendet ex naturali iustitia: potest tamen ex causa dispensare circa modum & formam persoluendi diuinum officium. Talis enim forma pendet ex iure positiuo. Panormitan. in dicto cap. 1. de celebratione Missarum. De Turre cremat. in d. can. Eleutherius
 4 distinct. 91. Siluester in voce, Hora, quæst. 8. Ceterum Episcopi dispensare non possunt, quemadmodum nec Abbates, & alij Prælati quoad Monachos. Archid. & de Turre cremat. in dicto can. Eleutherius. distinct. 91. vbi in eam sententiam laudant magistrum Humbertum quondam generalem ordinis Prædicatorum iuris vtriusque peritissimum. Albertus de Ferrarijs in tractatu de horis canonicis num. 9. Sane olim Episcopum dispensare potuisse quoad vsus, & formam recitandi preces canonicas, censuerunt Gloss. in can. 1. distinct. 91. & Gloss. pragmat. in tit. qualiter horæ canon. sint dicendæ. Hodie vero ex constitut. Pij V. quæ exarata legitur in principio Breuiarij, non licet Episcopis formulam ibidem expressam immutare. Quarta causa est ex sententia Paludani, si deficiat breuiarium, nec ipse preces canonicas memoria teneat: nemo enim ad impossibile obligatur. A Paludano dissentit Soto de iust. & iure. lib. 10. quæst. 5. artic. 3. Verum Nauar. tum in dicto cap. 11. tum etiam cap. 21. num. 13. Paludani sententiam sequitur. Planè
 6 si breuiarium habere negligat, etsi a recitatione precum excusetur, grauius tamen peccat. Quinta causa a quibusdam additur, cum quis optimis disciplinis atque artibus studet, constituto Vicario, qui beneficio deseruiat. At hæc causa communi calculo improbat. Melius siquidem est se orare quam studere, & legere. Gloss. in can. Licet. 8. quæstio. 1. Maledictum studium, inquit Glo. pragmat. in cap. Qualiter horæ sint dicendæ, propter quod prætermittitur diuinum officium. Itaque iuris diuini vel humani studiosi, etsi vicarium habeant in Ecclesia sua, ad preces canonicas obligantur. Ioan. Imol. in clemen. 1. de Magistris. Archid. in d. can. Eleutherius. Raymun. in summa tit. de offic. cleric. Neque pugnat textus in cap. 1. de celebrat. Missarum, ibi, A se, vel a scholaribus officium compleatur. Nam prætermissa solutione Glossæ, concilij mens fuit, vt a presbytero, aut schola-
 7 ribus officium compleatur iuxta possibilitatem, hoc est vt & presbyter, & scholares officium persoluant si possint. Scholares autem eo loco interpretor clericos eiusdem Ecclesiæ. Presbyter siquidem ex concilio Nannetensi cap. vt quisque. de vita & honest. cleric. qui plebem regit, clericum habere iubetur, qui secum cantet & epistolam, & lectionem legat, & qui possit tenere scholas. Ad illos ergo clericos referri credo d. cap. 1. de celebrat. Missarum, ac presbyterum & scholares illos clericos ad recitationem precum canonicarum obstringi si possint. Ait enim textus iuxta possibilitatem: si enim fuerit presbytero, vel scholaribus impossibile, quod Græci dicunt *à d' vna/ov* ab alterutro officium compleatur, vel persoluantur, etiam si ceptum non fuerit. Adde quod quemadmodum scholares dicuntur in scholis & sacro palatio militantes. l. vnica. quia præbitio Tyron. Cod. Theodof. l. 3. de offic. magistr. offic. l. vlti. de Decanis lib. 12. Cod. & alibi passim: ita & clerici qui in Ecclesia militant, & deseruiunt, non improprie scholares appellantur.

QVAE

QVAE EXIGVNTVR AD RECITATIONEM
 precum canonicarum.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

- 1 Locus generaliter in obseruatione præceptorum obseruari debet.
- 2 Canonica preces publice in Ecclesia recitari debent.
- 3 Presbyteri domicilia prope Ecclesiam habere debent.
- 4 Episcopus hospitium procul ab Ecclesia habere non debet.
- 5 Episcopi præ ceteris in Ecclesia assidui esse debent.
- 6 Episcopi audiendis dirimendisq. litibus & molestissimis occupationibus implicabuntur.
- 7 Episcopi in maximis occupationibus numquam intermittere legitimas preces.
- 8 Priuata preces quocumque in loco fieri possunt.
- 9 Iaculatoria orationes.
- 10 Preces canonica, horis statis & debitis, recitari debent.
- 11 Horas statas & debitas præuertere non licet.
- 12 Ordo in recitatione precum canonicarum obseruandus est.
- 13 Missa sacrum an fieri possit ante matutini recitationem.
- 14 Integritas in recitatione horarum canonicarum exigitur.
- 15 Chorum egredientes ante finem, & tardius ingredientes grauius peccant.
- 16 Attentio necessaria est in recitatione precum canonicarum.
- 17 Attentio triplex.
- 18 Deuotio quid, & quam necessaria in recitatione diuini officij.
- 19 Deuotio duplex, interior & exterior.
- 20 Genua flectendi, corpusq. inclinandi vsus vetustissimus.
- 21 Genua an flectenda diebus Dominicis & quibusdam alijs.
- 22 Genua flectenda dum ostenditur Eucharistia.

VT pro dignitate recitentur preces canonicae, conditiones nonnullae requiruntur: præcipuae vero pertinent ad locum, tempus, ordinem, integritatem, attentionem, & deuotionem. Generaliter, vt acceptum sit Deo opus præcepti, & locum, & tempus, & causam, & ordinem obseruari debere monet S. Basil. ferm. 2. de baptis. cap. 3. Videamus, inquit, primum de eo, quando aliquid non suo loco geritur. Apostolus sane ijs, quæ consuetudinem obtinuerunt ad illustriorem confirmationem eorum, quæ pietatem decent, audientibus parandam, vsus est, vbi dixit, An non & ipsa natura vos hoc docet? Et paulo post: Licet autem vitam nostram sustentent cibus, & potus, quis tamen sapientum sustineat in foro edere, & bibere? Aut quis sustineat in petrosa abijcere semina? Et multa inuenire licet, quæ non suo loco periculose videlicet, & damnabiliter fiant. Et postea: Nobis quoque periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si sacerdotij mysteria in locis prophanis celebrauerimus: propterea quod ea res iudicium haberet contemptus in celebrante, &c. Plane preces canonicae cum publice dicendæ sunt, in Ecclesia recitari debent. can. fin. distinct. 92. in dicto cap. 1. §. Ne igitur. de celebrat. Missarum. Innocent. in dicto cap. 1. de celebrat. Missarum. In Ecclesia siquidem & commodius, & fructuosius oratur. S. Chrysof. homil. 79. ad populum Antiochenum: Et domi, inquit, orari potest: sic autem vt in Ecclesia, non potest, vbi tanta Patrum multitudo, vbi clamor ad Deum vnanimiter emittitur. Et paulo post: Propterea namque sacerdotes præpositi sunt, vt multitudinis orationes cum sint infirmiores, hisce potentiores adiungentes pariter cum his in cælum ascendant. Plura in eam sententiam repeti possunt ex libro 1. cap. vlti. de ædium sacrarum religione & veneratione. Itaque summa ratione constitutum legitimus ab Eugenio Papa can. Necessaria. 12. quæst. prima. vt clerici, ac sacerdotes domicilia prope Ecclesias haberent. Olim canonicis in claustris iuxta Ecclesiam erat communitas vitæ, 3 atque victus can. In omnibus, de consecrat. distinct. 5. luo parte 6. cap. 402. in concilio

Meldenſi apud Iuonem parte 6. cap. 184. presbyteri assidui esse in Ecclesia iubentur, nec alibi habitare permittuntur. Hæc vero non solum obtinent in presbyteris, sed & in Episcopo, qui in Ecclesia sua sacerdotali more assiduus esse debet, can. Peruenir, 7. quæst. 1. Quæ ratione concil. Carthag. constitutum fuit, ne Episcopus hospitium habeat procul ab Ecclesia, can. Episcopus vilem, dist. 41. Neque aduersatur quod ex concilio Aurelianensi 1. can. 33. can. Episcopus, de consecrat. dist. 3. Episcopus iubetur adesse Ecclesiæ diebus tantum Dominicis. Concilium enim minime indulget Episcopis alijs diebus quàm Dominicis abesse ab Ecclesia: verum diebus Dominicis Episcopum adesse arctius, & accuratius adstringit. Neque enim permittit abesse diebus Dominicis, nisi premat infirmitas, quasi illis diebus nulla alia excusatio accipienda sit. Sane sicut & Episcopus alios superat honore ordinis, ita, inquit Gregor. in pastoralis parte 2. cap. 1. omnibus deuotior, & humilior esse debet. Hieronymus in Leuit. Si quis vult Pontifex non tam vocabulo esse, quàm merito, imitetur Moysen, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis? quod non discedunt de tabernaculo Domini. Et postea: Oret ergo & sacerdos Ecclesiæ indefinenter, can. Si quis, dist. 36. vti nam Episcopi memoria teneant, quod ab Augustino scriptum legimus epist. 138. Nouerat, inquit, dilectio vestra, numquam me fuisse absentem ab Ecclesia mea licentiosa libertate, sed necessaria feruitute. Implicabantur sane Episcopi summis, & molestissimis occupationibus maximisq. oneribus premebantur: Animus Episcopi, ait Chrysostomus homil. 3. in Acta Apostolorum nihil differt a nauis quæ fluctibus iactatur, omnium enim onera gestare debet. Augustin. auctore Possidonio in eius vita, vsque ad horam pastus quandoque tota die ieiunus vacabat audiendis, dirimendisq. Christianorum litibus. Vnde ipsemet August. lib. de oper. monach. testem inuocat Deum, se malle per singulos dies certis (quantum in bene moderatis monasterijs constitutum est) aliquid manibus operari, & ceteras horas ad legendum, & orandum habere liberas, quàm tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotijs sæcularibus, vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præsciendendis. Verum in maximis occupationibus numquam intermittebant legitimas preces, & ea quæ ad contemplationem pertinebant. Vnde Augustinus 19. de ciuitate Dei cap. 19. Si imponatur hæc sarcina pastoralis officij, nec sic deserenda est delectatio veritatis quæ scilicet in contemplatione habetur. Gregor. item lib. 5. epist. 62. Etsi cogamur terrenis negotijs intendere, mens tamen nostra sæculari varietate non defluat, sed tota in vnum currat, atque confluat finem. De quo Dauid: Vnam petij a Domino hanc requiram, in hoc mens se tota suspendat. Tunc enim vere, atque bene ad opera dilectionis proximi descendimus, si ex toto corde, & viribus in ardenti Dei dilectione persistimus. Neque his aduersatur quod S. Paul. 1. ad Timoth. 2. iubeat viros orare in omni loco: nam vt erudite S. Basil. ferm. 2. de baptismo docet, verba illa in omni loco, eos locos qui humanis vsibus, rebusq. profanis destinati sunt, minime comprehendunt: verum dilatant, & protrahunt adorationem Dei ab arcto Hierosolymæ ambitu, in omnem totius orbis locum. Quod pluribus ibidem Ambrosius confirmat. Hæc de publicis precibus. Priuatæ siquidem preces quocumque loco fieri possunt, in his enim, eodem Basilio auctore, in exhortat. ad baptismum, non locus, sed affectus, seu intentio desideratur. Deum in medio mari Moyses exorauit, Iob in sterquilinio, Ezechias in lectulo ad misericordiam prouocauit, Hieremias in luto, Ionas in ceto, Daniel in lacu placuit, pueri in camino promeruerunt, latro in cruce, Petrus, atque Paulus in carcere. Igitur & tu vbicumque fueris ora. Item S. Ambros. ad Roman. 1. Vbi cumque quis mente Deo deuota locutus fuerit, respondebit ei. Sunt orationes iaculatæ, seu iaculatoriæ, quæ proculdubio vbique fieri possunt. Harum S. August. meminit epist. 121. cap. 10. ibi: Et raptim quodammodo iaculatas. Mentalis quoque oratio quocumque in loco facta, grata est, & accepta Deo. S. Thomas in c. 2. ad Timoth. Tempus quoque obseruandum est in recitatione precum canonicarum. Preces siquidem canonicæ horis statis, & debitis recitari debent concil. Vien. Clement. 1. de celebrat. Missarum. concil. Basiliens. cap. quando diuina officia celebrari debeant: cap. 2. de offic. custodis. Et longe antea in concil. Agathensi cap. 1. de celebrat. Missar. Quod obtinet etsi nullus extraneorum accedat ad Ecclesiam auditorus preces publicas. Innocent. Hostiens. & Ioannes Andreas in d. cap. 1. de celebrat. Missar. Quæ autem sint statæ, & debite horæ nos fufe, lateq. in enarratione horarum singulatim tractauimus. Ceterum horas debitas minime præuertere licet, S. Thomas quodlibet 5. artic. 28. Antonin. 2. parte tit. 13. cap. 4. §. 4. nisi aliqua iusta causa occurrat, tunc enim præuenire, vel producere vetitum non est. Varias autem causas perueniret Nauarrus

uarrus lib. de orat. & horis canonic. cap. 3. Ordo item seruandus est. Ex ordine enim horarum recitandæ sunt, neque licet ordinem inuerrere, puta tertiam ante primam, vel completorium ante vespertas recitare, nisi iusta causa adsit. Nauarr. de orat. & horis canonic. cap. 3. num. 65. & sequenti. Si quis tamen non ordine sed præpostere preces recitet, non mortifero, sed veniali admissio obnoxius est. Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 4. §. 4. Angelus, & Syluester in voce, Hora, De Soto de iustit. & iur. lib. 10. quæst. 5. artic. 4. Quod & Innocentius videtur in cap. dolentes, de celebrat. Missar. Ceterum an sacerdos peccatum mortiferum admittat, si Missæ sacrum fecerit ante matutini recitationem, in dubium reuocari solet. Scholasticorum, & canonistarum firma & stabilis opinio est, peccatum mortiferum admitti. Antoninus 3. parte tit. 13. cap. 6. §. 4. Palud. in 4. Senten. dist. 13. quæst. 2. art. 2. Gabriel Biel super can. Missæ, lect. 13. Angel. & Syluester, in voce, Missa, Hostiens. in summa de consecrat. Eccles. alt. vel dist. 2. §. & qualiter. Albert. de Ferrarijs in tract. de horis canonic. gloss. pragmat. in tit. quo tempore quisque debeat esse in choro in verbo, Missa. Verum ab hac communi sententia discedit Sotus lib. 10. de iustit. & iur. quæst. 5. artic. 4. & ad 4. Senten. dist. 13. quæst. 2. artic. 2. Cuius argumenta erudite refellunt Nauarrus lib. de orat. cap. 21. num. 30. & Marcel. Francolinus in tractatu de tempore horarum canonic. cap. 2. Amplius exigitur integritas, quæ primum versatur in horarum numero. Qui enim sciens, 14 prudensq. vnam, vel plures prætermittit, peccat ad mortem. Antonin. 3. parte tit. 13. c. 4. §. 5. Studiose item, & distincte singula verba pronuncianda sunt. Qui enim vel deglutendo, vel syncopando verba, vel syllabas prætereunt, damnantur tum concil. Romano, cap. Dolentes, de celebrat. Missar. concil. Vien. clement. 1. de celebrat. Missarum. Tum etiam concil. Basiliens. sess. 21. Qualiter horæ dicendæ sunt extra chorum, ac denique Tridentino sess. 24. cap. 12. Sane dum in choro preces recitantur, vel extra, cum alijs sufficit alter nos versus recitare: alios vero attento animo audire. Palud. ad 4. senten. distinct. 45. Antonin. 2. par. tit. 9. capit. 12. §. 3. Plene Nauarr. lib. de orat. capit. 10. Grauius etiam peccant, qui 15 chororum egrediuntur, antequam preces finiatur. Legimus apud Gregor. lib. 2. dialog. cap. 4. S. Benedictum vidisse diabolum extrahentem quendam Monachum a choro ante horæ finem: tandemq. Benedicti disciplina diabolum fugatum. Peccant item, qui chororum tardius ingrediuntur. Olim testante Cassiano lib. 3. de institut. Monach. capit. 7. Monachis qui ad horas diurnas puta ad tertiam, sextam, vel nonam non accedebant, priusquam primus finiretur psalmus, non licebat oratorum introire, sed congregationis Missam stantes pro foribus prætolabantur. In nocturnis vero horis vsque ad finem secundi psalmi, præbebatur dilatio, mora, excusabatur. Vnde nouum videri non debet, quod in Concil. Basiliens. constitutum legimus, cap. Quo tempore quisque debeat esse in choro, absentes nimirum a choro non censeri, qui in matutinis ante finem psalmi: Venite exultemus. in alijs horis ante finem primi psalmi: in missa ante vltimum Kyrieleison officio diuino interfunt. Attentio item exigitur. S. Cyprian. de orat. Dominica, Quando stamus ad orationem, 16 fratres dilectissimi, vigilare, & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio omnis carnalis, & sæcularis abscedat, nec quidquam tum animus quàm id solum cogitet, quod precatur. Quæ autem segnitia est alienari, & capi ineptis cogitationibus, & prophanis cum Dominum deprecari? Quasi sit aliud quod magis debeas cogitare, quam quod cum Deo loqueris. Quomodo te a Deo audiri postulas, cum te ipse non audias? Vis esse Deum memorem tui cum rogas, quando tu ipse memor tui non sis? can. Quando, de consecrat. dist. 1. S. Basil. constitutio monasticar. cap. 2. Implorandum est diuinum auxilium. Implorandum autem non lente, non mente huc illucq. temere aberrante. Qui enim sic facit, is (tantum abest vt impetraturus sit quod petit) perficiet prius vt sibi Dominus irascatur. Etenim si qui coram principe aliquo stat, & ipsum alloquitur magno cum metu stat, & cum corporis extrinsecus, tum mentis etiam intrinsecus attentos oculos tenet, periculi metu: quanto tandem maiore cum metu trepidationeq. censendum est oportere nos stare in conspectu Dei, tota mente in illum vnum intenta neque vsquam alio? S. August. ad Psal. 118. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur: tales orationes raræ sunt multis, crebræ paucis, vtrum nec cuique, nescio. Idem August. in tertia regula: Psalmis & hymnis, cum oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore. Hieron. ad Rustic. monachum can. Numquam, de consecrat. dist. 5. Dicatur ad verbum oratio sine intermissione, vigilent sensus, nec vagis cogitationibus patens corpus, pariterq. animus tendat ad Domi-

num. Cassian. collat. 23. cap. 7. Si enim, inquit, cum sublimi homini, non dicam pro vita, ac salute nostra, sed etiam pro alicuius lucri commodo, supplicamus, totam in eum & mentis, & corporis aciem defigentes, de nutu eius trepida expectatione pendemus, non mediocriter formidantes, ne quod forte ineptum, aut incongruum verbum misericordiam audientis auertat. Tum deinde, si nobis in foro, aut iudicum sæcularium tribunalibus constitutis, assistente etiam e contra aduersario in media persecutione, atque conflictu, tussis, scæritus, risus, oscitatio, somnus obrepserit, quanta in perniciem nostram vigilantissimus inimicus seueritatem iudicis commouebit inuidia? Quanto magis cum illi occultorum omnium cognitori pro imminente perpetuæ mortis periculo supplicamus, præsertim, cum e diuerso callidus seductor pariter, & criminator assistat, intenta, atque sollicita oratione, iudicantis pietas imploranda est? Nec iniuste non solum leui peccato, sed etiam grauissimo crimine impietatis astringitur, qui precem Domino fundens, subito a conspectu eius quasi ab oculis non videntis, nec audientis, cogitationis improbæ vanitatem secutus, abscesserit. Prætereo in eandem sententiam complura Gregorij in Moral. libris, Isidori de summo bono, Bernardi ferm. 49. super cantic. gloss. in clement. vnic. de reliq. & vener. sancto. & aliorum recentiorum testimonia. Porro circa attentionem, duo sollicitudinem & dubitationem afferunt.

Alterum, quod etiam sancti viri orando quandoque euagationem mentis patiuntur. Vnde psal. 39. Cor meum dereliquit me. Ioannes Maior ad 4. sentent. distinct. 12. quæstio. 2. Alterum, quod triplex sit attentio, quæ precationibus adhibetur: vna, qua ad verba attendimus: secunda, qua ad sensum verborum: tertia, qua ad finem, Deum scilicet. S. Thomas 2. 2. quæst. 83. artic. 13. quem ceteri scholastici sequuntur. Iungamus, inquit, Bernard. ser. 13. super cantica, immolantes hostias laudis, verbis sensum, sensui affectum. Illitterati vero & idiotæ vix verba, sensum vero minime attendunt. Qui supplet locum idiotæ, inquit Paulus 1. ad Cor. 14. quomodo dicet, Amen, super tuam benedictionem, quoniam quid dicas, nescit? S. Thomas d. quæst. 83. artic. 13. occurrens hisce difficultatibus, notat euagationem mentis, quæ sit consulto, & cogitato, siue (vt ille loquitur) ex proposito orationis fructum impedire atque peccatum esse: eam vero, quæ accidit, præter consilium & propositum non tollere fructum orationis. Vnde Basil. ferm. de amando Deum a medio illius, si debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes, te ipsum cohibeas, & Deus ignoscet: eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, vt oportet, assistere coram eo. Addit Thomas, quod cum triplex sit attentio, eam quæ est ad Deum, possunt habere idiotæ. Et quandoque, ait ille, in tantum abundat hæc intentio, qua mens fertur in Deum, vt etiam omnium aliorum mens obliuiscatur, sicut dicit Hugo de Sancto Victore in lib. de modo orandi cap. 2. Hæc Thomas, quæ pluribus verbis accurate enarrant Gabriel Biel super can. Missæ, lect. 62. De Soro de iust. & iur. lib. 10. quæst. 5. artic. 5. Nauarr. de orat. & horis canon. cap. 13. & cap. 21. num. 33. cum sequent. Medina de orat. quæst. 14. Postrema conditio est deuotio. Deuotio non male definitur a S. Thoma 2. 2. quæst. 82. artic. 1. prompta, & parata voluntas exequendi ea, quæ ad diuinum pertinent cultum. Deuotio vero ex duplici consideratione procedit, quod pluribus explicat idem Thomas d. quæst. artic. 3. & 4. Porro deuotio in recitatione precum canonicarum, necessaria est. Innocent. III. in Concil. generali cap. Dolentes, de celebrat. Missarum, ibi, Districte præcipiētes in virtute obedientiæ, vt diuinum officium diurnum pariter ac nocturnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent, pariter & deuote. S. Benedictus in reg. cap. 20. Si cum hominibus potentibus volumus aliqua suggerere, non præsumimus nisi cum humilitate, & reuerentia: quanto magis Domino Deo vniuersorum, cum omni humilitate, & puritatis deuotione supplicandum est? Vbi de Turre cremata deuotionem, ait, medullam esse holocaustorum. Psal. 65. Holocausta medullata offeram tibi. Inde sine deuotione holocausta esse arida. Ceterum duplex est deuotio, alia interior, alia exterior. Quemadmodum enim auctore Damasceno lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 13. ex duplici natura compositi sumus, intellectuali scilicet, & sensibili: ita & duplicem deuotionem Deo offerimus, scilicet spiritalem, quæ consistit in mente interiori, & corporalem, quæ versatur in exteriori corporis humilitatione. Exterior vero deuotio fit propter interiorem, vt per signa humilitatis, quæ corporaliter exhibemus, exciterur noster affectus lacrimarum, & sine cunctatione, exequi quæ ad Dei cultum pertinent. Vnde prosternere se, & genua flectere, ad exteriorem deuotionem pertinet. Genua vero flectendi corpusq. inclinandi vsus vetustissimus est. Christum in terram procidentem orasse legimus Luc. 23. genua omne

omne flectendum Domino probatur psal. 21. Esaiæ 45. ad Roman. 14. ad Philipp. 2. S. Iacobus cognomento iustus, pro populo flexis genibus assidue deprecabatur, adeo vt, in cælorum duritiem transisse eius genua crederentur. S. Hier. de viris illustribus in Iacobo. Idem accidisse Afellæ præ orandi frequentia, testatur. Idem Hier. epist. 15. ad Marcellā de laudibus Afellæ. Geniculationum meminit Tertull. ad scapulam. Idem Tertull. lib. 3. aduersus Marcio. cap. 18. Quando in rebus attonitis magis vtique genibus positus &c. S. Ambros. lib. 6. Hexameron cap. 9. Flexibile genu, quo præ ceteris Domini mitigatur offensa, ira mulcet, gratia promouetur. Hoc enim patris summi erga filium donum est, vt in nomine Iesu omne genu curuetur. S. August. lib. de cura pro mort. agen. cap. 5. Nam & orantes, de membris sui corporis faciunt, quod supplicantibus congruit, cum genua figunt, cum extendunt manus, vel etiam prosternuntur solo, & si quid aliud visibiliter faciunt, quamuis eorum inuisibilis voluntas, & cordis intentio, Deo nota sit: nec ille indigeat his indicijs, vt humanus ei pandatur animus: sed his magis se ipsum excitat homo ad orandū, gemēdumq. humilium, atque feruentius. Et nescio, quomodo, cum hi motus corporis fieri, nisi motu animi præcedente, non possint, eisdemq. rursus exterius visibiliter factis, ille interior inuisibilis, qui eos fecit, augetur, ac per hoc cordis affectus, qui, vt fierent ista, præcessit, quia facta sunt, crescit. B. Antonius fixis genibus ante Dei vultum prouolutus orabat. S. Athan. in eius vita. Frequenter, inquit Hieron. epist. 13. ad Paulinum cap. 3. orandum & flexo corpore mens erigenda ad Dominum. Idem Hieron. in capit. 45. Esaiæ. Moris, inquit, ecclesiastici est, Christo genu flectere, quod Iudæi mentis superbiam demonstrantes omnino non faciunt. Et lib. 2. Commentar. in cap. 3. ad Ephesios: Hæc autem spiritualiter exponētes, non statim iuxta literam orandi consuetudinem tollimus, qua Deum genu posito suppliciter adoramus, & fixo in terram poplite magis, quod ab eo poscimus, impetramus. Legimus enim & Paulum in litore sic orasse, & geniculationes in oratione præceptas. Item in synodo Turonensi, tempore Caroli Magni cap. 37. Secundū est, quod exceptis diebus Dominicis & illis solemnitatibus, quibus, & vniuersalis Ecclesia ob recordationem Dominicæ resurrectionis solet stando orare, fixis in terram genibus suppliciter Dei clementiam nobis profuturam, nostrorumq. criminum indulgentiam deprecandam est. Cuius rei in Euangelio ipse Dominus nobis dedit exemplum, sed & Stephanum Martyrem, & Apostolum Paulum eadē fecisse liber Actuum Apostolorum testis est. Ex quibus intelligi datur, oportere Christianum humiliter ad terrā prosterni, ne forte illi dicatur, Quid superbis terra & cinis? Quo loco excipiuntur dies Domini. Sane in Concil. Niceno can. 20. in vulgatis exemplaribus vel 29. apud Turrianum, & Alphonsum Pisanum, sancitum fuerat in Dominico die, & in ipsis diebus Pentecostes non esse flectenda genua in oratione. Verum cunctos in omnibus locis stantes orare & inclinari can. Quoniam, de consecrat. dist. 3. Quæ quidem constitutio totidem verbis extat in Concil. Carthagin. 6. can. 20. Hoc ipsum diebus quinquaginta a Pascha vsque ad Pentecostem obseruari consuetum, veteres Patres testantur. S. Ambros. ferm. 61. de Pentecoste. Scire, inquit, debet sanctitas vestra hanc sanctam Pentecostes diem qua ratione curemus, vel cur istorum quinquaginta dierum numero sit nobis iugis & continuata festiuitas: ita vt hoc omni tempore neque ad obseruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genua succidamus, sed sicut Dominica solemus facere, erecti & feriaty resurrectionem Domini celebramus. S. Hieron. in dialogo aduersus Luciferianos, Die Dominico, & per omnem Pentecostē nec de geniculis adorare, & ieiuniū soluere, multa q. alia, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi obseruatio vindicauit. Idem Hier. in proemio epist. ad Ephef. Permansit Paulus Ephef vsque ad Pentecostem, tempus lætitiæ, atque victoriæ, quo non flectimus genua, nec curuamur in terram, sed cum Domino surgentes ad cælorum alta sustollimur. Varias huiusce traditionis causas percurrit de Turre crem. in d. can. Quoniam, de consecrat. dist. 3. Plura de genibus flectendis in oratione, Casarius Arelatens. hom. 30. Plane dum ostenditur, & eleuatur Eucharistia genua submitenda sunt, cap. Sane, de celebrat. Missar. Tum enim non solum oramus (ait de Turre crem.) sed adoramus adoratione patriæ, perfectū Deum perfectumq. hominem Christum, existentem vere sub sacramento, de quo plenius lib. 2. cap. de ostensione & eleuatione Eucharistiæ. Sunt & alia deuotionis signa, manuum extensio, peccatoris tunisio, & alia complura, de quibus lib. superiore sigillatim egimus. Ceterum an clericus qui preces canonicas recitauit sine deuotione vel attentione, teneatur eas denuo recitare, plene & copiose tractat Medina tract. 6. de oratione. quæst. 16.

DE POENIS NON RECITANTIVM

Horas Canonicas.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

- 1 *Obligati ad preces canonicas non recitantes eas quando peccato mortifero obnoxij sunt.*
- 2 *Distributiones quotidianas amittunt, qui non interfunt horis canonicis.*
- 3 *Manualia beneficia quæ.*
- 4 *Distributiones quotidiana cur instituta.*
- 5 *Distributionibus quotidianis absentes priuantur, adeo vt qui absentium portiones lucrantur, nequeant eas absentibus remittere & condonare.*
- 6 *Statuta Ecclesiarum, quibus hi qui adsunt certis horis lucrantur aliarum horarum distributiones improbantur.*
- 7 *Beneficarij, qui non recitant horas canonicas, fructus restituere tenentur etiam intra sex menses.*
- 8 *Beneficium Ecclesiasticum est merces laboris.*



VI ad preces canonicas obligantur, varijs pœnis afficiuntur. In primis, qui non recitant horas canonicas, vel partem earum, peccato mortifero obnoxij sunt, quod proculdubio locum habet, quando contemptione a recitatione abstinēt. Idemq. iuris si negligētia preces canonicæ vel pars notabilis earum omittantur: quod si ignorantia, vel obliuione præmittantur, peccatum veniale admittitur. Antonin. 3. par. tit. 18. cap. 4. §. 5. Angel. de Clauas. in voce, hora. §. 16. & 18. Syluester in voce, hora, q. 12. Nauarrus plene lib. de orat. & horis canon. c. 10. vbi luculenter, an alio tempore recitando preces omittas purgetur admissum. Secūdo, qui non interfunt horis canonicis, distributiones quotidianas amittunt. Distributiones enim quotidianæ ijs tantum præstantur sunt, qui diuinis officijs ad finem vsque assidui sunt cap. 1. de cleric. non residen. apud Bonifac. cap. Vt hi qui de ætate & qualitat. cap. Cum nonnullæ de præb. in extrauag. communibus. Vbi quæ sint proprie distributiones quotidianæ excutitur & explicatur. Inde in Concil. Trident. sess. 24. c. 12. qui horis interfuerint, distributiones recipiant, reliqui quauis collusione, aut remissione exclusi his careant. Quod amplius tum ex nomine, tum ex causa institutionis distributionum, confirmari potest. Appellatur siquidē huiusmodi distributiones manualia, seu manualia beneficia, in cap. Olim, de verb. signifi. quod a præsentē manu præsentē datur. Manualias molas appellat Iurisc. in l. dola. ff. de fund. instr. quod manu ductæ molat. Æs manualiū apud A. Gellium dicitur, quod manu sit ab alijs collectum. Appellatur & sportulæ, nam sportulæ dicebantur quæ lætitiæ causa, vel alio nomine singulis decurionibus dabantur, apud Dionem, Sueto. & Plinium ad Traianū, & in l. Si mulier. ff. de donat. inter vir. & vxor. l. Spuriij. ff. de decurionibus. Appellatur & diaria a Iustiniano Nouell. 123. §. 30. *ei δὲ τὸ πρῶτον ὑπερβήσται πρῶτον, ἢ ἐπιλοισιμῆς ὑπερβήσται καὶ τῶν ἰδίων διαρίων ἀλλοτρίσμενι ἐν μοναστηρίῳ παραδιδόντων.*

4 Distributiones vero quotidianæ institutæ fuerunt in gratiam diuini cultus. d. cap. 1. de cleric. non resident. Cū enim in collegijs passim horis sacris assistendi, & psallēdi munus negligenter, visum fuit patribus, e re Christiana fore, canonicos, ceterosq. ecclesiæ ministros hinc diarijs, seu distributionibus, quasi quibusdam illecebris, ad interessendum diuinis officijs allicere, & inuitare. argum. clem. vnic. de reliq. & vener. sanctor. cui coniungenda sunt verba. S. Thomæ opusc. 57. Agens enim de eodem festo corporis Christi, de quo in d. Clem. ait: Vt autem huius salutaris institutionis solemnitas celebrior haberetur, loco distributionū materialium, quæ in ecclesijs cathedralibus largiuntur canonicis existentibus horis nocturnis, pariterq. diurnis, stipendia spiritalia præfatus Pontifex apostolica largitate concessit. Item Iuo Carnoten. epist. 75. Cum in quampluribus, Canonicorum Carnotenensium desueuisset disciplinæ regularis obseruantia, vt de negligentibus facerem diligentes, de somnolentis vigiles, de tardis assuetos ad frequentandas horas canonicas, deliberaui apud me, vt darem eis dimidiam præposituram, vt inde fieret quotidianus panis, quem acciperent assidui, amitterent tardi: vt ad quas eos panis interni dulcedo non mouebat, panis corporei refectio prouocaret: quamuis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet. Eadem ratione Pius III. constitutione 55. in magno Bullario, fructus, & emolumenta quæcumque

ad capi-

ad capitulum, & mensam Ecclesiarum vrbis distributionibus quotidianis assignat, easq. diuidi iubet inter canonicos & alios beneficiatos diuinis officijs interessentes. Adeo autem absentes a distributionibus quotidianis excluduntur, vt etiam hi, quibus accrescunt, nequeant eas illis remittere. Distributionum siquidem priuatio sancita fuit boni publici & diuini cultus ergo, vt iam docui. Quare consensus eorum, quorum priuatim interest, iuri publico officere non potest, idq. expressum videtur in concil. Trident. d. sess. 24. cap. 12. ibi, Reliqui quauis collusione, aut remissione exclusi. Pendenda etenim sunt ea verba, quauis remissione, quæ remissionem eorum quibus accrescunt manifeste comprehendunt. Iraque delenda est Gloss. in d. cap. 1. de cleric. non resident. in voce, suas, quæ asserit canonicum non teneri ad restitutionem, modo illi, quorum lucro cedunt distributiones, consentiant: quam ibi Archidiaconus iure & merito improbat. Plene Nauar. lib. de orat. & horis canon. cap. 22. miscellaneo 14. Quamobrem statuta quarundam Ecclesiarum, quibus qui adsunt certis horis, aliarum horarum distributiones lucrantur, perniciofa, & iniusta sunt, eaq. abusua declarat concil. Basiliense tit. Quo tempore quisque debeat esse in choro §. Tollens prorsus abusum illum, quo in vna dumtaxat hora præfens totius diei distributiones vsurpat. Talia enim statuta spectant ad diminutionem cultus diuini argumen. cap. Ex parte. de constitut. cap. 1. de consuetud. Distributiones siquidem, vt iam docuimus, in gratiam & amplificationem diuini cultus, quo facilius beneficarij diuinis officijs assidui essent, institutæ sunt. Deinde absentes distributiones nec consequi, nec retinere possunt ex consensu eorum, quibus acquiruntur, vt proxime probauimus. ergo consensu & statuto capituli fieri non potest, vt absentes distributiones horarum, quibus absunt, lucrentur. Amplius statuta quæ ansam delinquendi præbent, improbantur l. conuenire. ff. de pactis dotalibus, cap. Ex parte. de consuetud. huiusmodi vero statuta libertatem, & licentiam dant vagari, & diuina officia contemnere, ac negligere. Item dolus futurus remitti non potest. l. si vnus. §. illud. de pact. Hisce vero statutis, dolus futurus eorum, qui inertia ac nequitia munus suū negligunt, remittitur. Accedat, quod clerici militare dicantur. Paul. 2. ad Titum, cap. 5. Labora sicut bonus miles Christi. Ceterum milites non lucrantur stipendia, nisi quatenus militant, adeo vt captus ab hostibus non recipiat iure postliminij stipendia, & donatiua temporis, quo apud hostes fuit l. 1. C. de re milit. Cui obiter non obstat, quod veteranus reuerfus consequatur emeritum l. desertorem. & l. non omnes. ff. de re milit. Diuersa enim sunt emeritum accipere, & stipendium. Emeritum enim post tempus militiæ expletum datur, stipendium vero ob annuam menstruam, vel diurnam mercedem persoluitur. Cum ergo captus ab hostibus iusta, & necessaria causa absens stipendia minime consequatur, multominus clericus qui desidia, & laboris fuga, volens certis horis abest, distributiones consequi debet. Ad hæc ex Alexan. de Ales parte 3. quæst. 36. sicut conductus agricola non laborans mercede indignus est, ita clericis, qui non deseruiunt, merces persolui non debet. Denique sententiam probat Synod. Trident. sess. 24. cap. 12. Distributiones vero qui statis horis interfuerint, recipiant: reliqui quauis collusione aut remissione exclusi his careant; expendenda sunt illa verba, statis horis. Et postea: Quauis collusione aut remissione. Probat item Pij V. constitut. 138. in magno Bullario 12. Calend. Octob. 1571. E nostris interpretibus hanc sententiam sequuntur Guillel. & Gessel. in clemen. vt hi, qui de ætat. & qualitat. Gloss. pragmat. in d. §. Tales. in verbo, vsurpat. eam quoque amplectitur Paludanus ad 4. senten. distin. 15. quæst. 5. quem Nauarrus sequitur lib. de oratione cap. 5. num. 20. & cap. 21. num. 63. Fuere tamen qui crediderunt consuetudine, vel statuto fieri posse, vt distributiones quotidianæ præstentur integre his, qui adsunt certis horis. Gloss. Cardin. Ioannes Andreas, & Imola in d. clemen. vt hi qui, Sotus lib. 10. de iusti. & iure. quæst. 5. artic. 6. Rochus de Curte in cap. fin. de consuetud. Mouentur tum ex cap. olim. de verborum signif. vbi summi Pontificis indulgentia præstantur absentibus manualia beneficia: quæ vt iam dixi idem sunt, quod distributiones quotidianæ. Tum quod statutum, quo canonici absentes fructus lucrantur, efficax sit, cap. Cum omnes. de constitut. Gloss. in cap. Dudum 2. de electio. Panormit. in cap. Extirpandæ. §. Qui vero. de præben. Gloss. in cap. Gratia, in verbo de iure. de rescript. apud Bonifac. Tum denique ex concil. Trident. sess. 24. cap. 12. quo vetitum est vltra tres menses ab Ecclesia abesse: consequens ergo est licere vsque ad tres menses, eoq. tēpore fructus non amitti. Verum hæc facile dilui possunt, primum cap. Olim non loquitur de consuetudine, vel statuto, sed de concessione summi Pontificis ex iusta aliqua causa, quare ea constitutio ad statutum, vel consuetudinem protrahenda non est.

Porro


Porro cap. Cum omnes. de constit. interpretandum est de absentia iusta & necessaria, non autem de voluntaria & dissoluta. Bald. in d. cap. Cum omnes. Nam & similia statuta nisi adfit iusta causa, nullius sunt momenti & ponderis. Silvester in 2. parte summæ tit. de residentia quæst. 2. Decius in d. cap. Cum omnes. quorum opinio apertissima Bonifacij constitutione probatur cap. Si canonici. de offic. ordin. Plane synodus Tridentina indulget canonicis abesse vsque ad tres menses ex iusta causa. Verum non ea mens est synodi, vt absens canonicus horum trium mensium fructus consequatur; quæ omnia plenius tractauimus in nostris decisionibus. Itaque senatus Tolosani aresto, quod in sollempni purpura recitauit 5. Aprilis 1583. statuta capituli Ecclesiæ collegiatæ sancti Gaudentij, quibus qui aderant tribus horis canonicis fructus integros lucrabantur, vt perniciofa & abusuua, rescissa & abrogata fuere, sancitumq. vt canonici alijq. Ecclesiæ ministri singulis horis assisterent, absentesq. in singulis horis ex eorum albo, qui puncta ferunt, deleantur. Tertio beneficiarius cum cura, vel sine cura, qui non recitat horas canonicas, non solum arcetur a distributionibus quotidianis, sed & fructus omnes alios, quos percepit restituere tenetur, pro rata tamen omissionis, recitationis officij, & temporis. Quod etsi inter interpretes dubium, controuersumq. esset, Calderin. & Panormit. in cap. 1. de celebrat. Missarum, Silvester in summa, in voce, Clericus. §. 23. expressim decisum legimus, in concil. Lateranensi nouissimo, sess. 9. §. statuimus. cuius hæc sunt verba: Statuimus quoque, & ordinamus, vt quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio diuinum officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis, recitationis officij, & temporis sed eos tamquam iniuste perceptos, in fabricas huiusmodi beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione præcedente, beneficio ipso priuetur: cum propter officium detur beneficium, &c. Verum circa huius §. interpretationem dissentiunt Sotus de iustitia & iure. lib. 10. quæst. 5. artic. 6. & Nauarrus lib. de orat. cap. 21. num. 58. Sotus enim absurdum existimabat vsque ad sex menses ab obtento beneficio, Beneficiarium qui diuinum officium non dixerat, nulla poena affici, præterea verba quæ sequuntur, non coherere his, quæ antecederunt. Quare coniciebat, legendum non esse, post sex menses; sed, per sex menses: vt ea fuerit mens concilij, quod qui per sex menses, vel quamlibet earum partem, officium non dixerit, solum teneatur ad restitutionem pro rata. Elapsis vero sex mensibus, si post admonitionem quindecim diebus non bis orauerit, beneficio priuetur. Itaque, ait ille, primum semestre non datur tamquam induciæ, vt clericus non orans nulli poenæ obnoxius sit. Esset enim extra modum absolum, & absurdum. Nauarrus vero putat, retinendam vocem, post: quæ & in omnibus concilij exemplaribus legitur, mentemq. concilij esse, vt beneficiarius non recitans horas intra sex menses, etsi grauer peccet, non teneatur tamen ad fructuum restitutionem, post sex menses vero, eum ad restitutionem obligari. nec non si monitus fuerit, & contumaciter in simili negligentia permanserit, beneficio priuandum. Nauarri sententiam plurimum iuuat Pij Quinti constitutio 138. illius verba sunt, Pius &c. Ex proximo Lateranensi concilio, & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficium Ecclesiasticum, cum cura, & sine cura, si post sex menses, quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus, pro rata omissionis officij, & temporis, suos non faciat: sed eos, tamquam iniuste perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum elemosynas erogare teneatur. Verum tamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prædictæ ratio sit habenda. Nos huic rei euidentius, atque expressius providere volentes, statuimus, vt qui horas omnes canonicas vno, vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij, seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur, qui vero Matutinum tantum, dimidiam, qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam, qui harum singulas, sextam partem fructuum eiusdem diei amittat: tametsi aliquis choro additus non recitans, omnibus horis canonicis cum alijs præsens adfit, fructusq. & distributiones forte aliter assignatas sola præsentia iuxta statuta, consuetudinem, fundationem, vel alias sibi lucrificasse prætedat, is etiam præter fructuum & distributionum amissionem, item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarantes, præsumonia, præsumoniales portiones, & qualicumque alia beneficia, etiam nullum omnino seruitium habentia

habentia obtinentes, cum prædictis pariter contineri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas, vt clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum officium paruum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum, & pensionum, fructuum, rerumq. ipsarum amissioni obnoxium. Ego cum Nauarro sentio retinendam vocem, postquam. & ea legitur in d. constitutione Pij Quinti, in qua concilij verba fideliter exscribuntur. Verum a Nauarro dissentio, dum existimat, Beneficiarium, qui non recitat horas intra sex menses, non teneri ad restitutionem. Nam argumentum a contrario sensu, post sex menses tenetur, ergo ante sex menses non tenetur. argumen. l. cum prætor. ff. de iudic. cap. Cum Apostolica, de his quæ fiunt a prælat. cum vulgat. non semper efficax est, vbi præsertim sequeretur absonus, & absurdus intellectus. l. 2. C. de condit. incert. vbi Gloss. l. conuentulam vbi doctor. C. de Episcop. & cleric. idq. maxime in perniciem diuini cultus. præterea beneficiarius contemptione, vel negligentia preces canonicas intra sex menses non recitans grauer peccat. quod & d. Pij constitutione expressum est, & nos supra probauimus. Cum ergo intra sex menses peccatum mortiferum admittat, multo magis fructus tenetur restituere. multo enim, longeque grauius est in peccatum incidere, & per consequens Dei gratiam amittere, quam fructus beneficij. anima enim cunctis rebus anteferenda est, vulgat. l. sancimus. C. de sacrosan. Eccles. Adde, quod beneficium Ecclesiasticum non est præmium virtutis, sed merces laboris. Deuter. 18. & Num. 18. Filijs Leui, dedi omnes decimas Israel in possessionem pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo foederis. Sacerdotibus quoque præstantur pro labore & ministerio 1. ad Corinth. 9. Cum ergo beneficium Ecclesiasticum sit merces laboris, iniustumq. sit, eum qui non laborat, mercedem percipere; opus est restitutione, quæ ad iustitiam commutatiuam pertinet. Inde Aristotel. lib. 5. moralium eam partem iustitiæ, quæ commutatiua dicitur, *διόπρωτον* vocat: quia in restituendo versatur. *διόπρωτον* restitutionem proprie significat. Quamobrem ex iustitia commutatiua clericus, qui non deseruit, ad restitutionem fructuum obligatur. His addi possunt quæ supra scripsimus in cap. Qui ad recitationem precum canonicarum obstringantur, de relatione officij cum beneficio ecclesiastico, & beneficij cum officio. Quibus hanc opinionem amplector, quam Panormit. ipse, etsi contrariam partem amplexus sit, animæ tutiorem agnoscit.

Hæc quæ de Ritibus Ecclesiasticis a me scripta sunt, omnia iudicio & censura sanctæ Romane Ecclesiæ ita submitto, vt nihil horum, quæ his Libris continentur, probari velim nisi antea auctoritate eorum, quibus ea cura commissa est, approbatum fuerit.

F I N I S.

LOCI SACRAE SCRIPTURAE
PASSIM IN HOC OPERE EXPLICATI,
ET ILLUSTRATI.



Ex Genesi.

- Gen. 22. **E**ntavit Deus Abraham. pag. 270. nu. 4.5
Gen. 28. Domus Dei. 3. nu. 9
Gen. 30. Egressus est Ruben tempore messis triticea in agrum. 217. nu. 4
Gen. 35. Domus Dei. 3. nu. 9
Gen. 37. Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni. 30. nu. 9
Gen. 42. Audui, quod triticum venderetur in Aegypto. 217. nu. 4
Ibidem. Ut emerent frumenta in Aegypto. ibid.

Ex Exodo.

- Exo. 9. Triticum & zea non sunt percussa. 217. nu. 4
Exo. 20. Non adorabis ea, neque servies eis. 17. nu. 11
Exo. 29. Iumentum pro peccato facies. 235. nu. 12
Ibidem. Hoc est, quod facies super altare. ibid.
Exo. 34. Sollemnitatem hebdomadarum facies tibi in primitiis frugum messis tue triticea: & sollemnitatem, quando redeunte anni tempore cuncta conduntur. 217. nu. 4

Ex Leuitico.

- Leu. 23. Dies octavus erit celeberrimus, atque sanctissimus. Est enim dies cætus, atque collectæ. 155. nu. 1
Ibidem. Facietis in die, qua eleuabitis manipulum. 235. nu. 12
Leu. 26. Non facietis vobis ipsi manu facta, neque sculptile, neque statuam erigatis in terra vestra ad adorandum. 17. nu. 11

Ex Numeris.

- Num. 6. Sic benedices populum meum, & benedicam illos. Benedicat te Dominus. &c. 293. nu. 3
Num. 10. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles. 72. num. 3
Ibidem. Clangetis ululantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, ut eruamini de manibus inimicorum vestrorum. 72. nu. 4

Num. 29. In die octavo collectio erit vobis. 155. nu. 1

Ex Deuteronomio.

- Deut. 12. Vide ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in loco, quem elegerit Dominus tuus. 120. nu. 1
Deut. 13. Teneat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum. 270. nu. 45
Deut. 16. Et in die septima, quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. 155. nu. 1
Deut. 32. Numquid non ipse pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? 58. nu. 3

Ex lib. 1. Regum.

1. Reg. 15. Contristatus Samuel clamauit ad Dominum tota nocte. 304. nu. 5
1. Reg. 17. Tentauit Dauid, si armatus posset incedere. 270. nu. 45
1. Reg. 21. Non habeo panes laicos ad manum, sed tantum panem sanctum. 201. nu. 5

Ex lib. 3. Regum.

3. Reg. 8. Non est homo, qui non peccet. 268. nu. 36
3. Reg. 9. Sanctificauit domum istam, quam edificasti: ut ponerem ibi nomen meum in æternum, &c. 7. nu. 6
3. Reg. 10. Venit regina Saba tentare Salomonem in ænigmatibus. 270. nu. 45
3. Reg. 19. Domine altaria tua confregerunt. 38. nu. 12

Ex 2. Paralipomenon.

2. Paral. 7. Fecitq. die octavo collectam.

Ex Tobia.

- Tob. 12. Quoniam acceptus eras Deo necesse erat, ut tentatio probaret te. 270. nu. 47

Ex Iudith.

- Iudith 6. Conuocatus est populus per totam noctem in Ecclesiam. 304. nu. 5
Ibidem. Et per totam noctem intra Ecclesiam orauerunt. 2. nu. 1

INDEX LOCORVM

Ex Esther.
Esth. 13. Non est, qui possit resistere voluntati eius. 263. nu. 19

Ex Iob.

Iob 9. Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea. 268. nu. 36
Iob 15. Celi non sunt mundi. 193. nu. 26
Iob 42. Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad feruum meum Iob, & offerite holocaustum pro vobis. 207. nu. 7

Ex Psalmis.

Psal. 21. Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non ad insipientiam mihi. 304. nu. 5
Psal. 25. Proba me Domine, & tenta me. 271. nu. 48
Psal. 33. Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. 299. nu. 6
Psal. 39. Cor meum dereliquit me. 342. nu. 16
Psal. 54. Vespere, & mane, & meridie, narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. 313. nu. 4. & 298. nu. 4
Psal. 62. In matutinis meditabor in te. 298. nu. 4
Psal. 65. Induxisti nos in laqueum. 270. nu. 47
Psal. 71. Et erit firmamentum in terra in summis montium: superextolletur super libanum fructus eius. 107. nu. 5. & 230. nu. 1
Ibidem. Zelavi super iniquos pacem peccatorum videns. 273. nu. 6
Psal. 76. Et meditatus sum nocte, cum corde meo exercitabar. 304. nu. 5
Psal. 87. Mane oratio mea proueniet te. 298. nu. 4
Psal. 101. Vigilavi sicut passer solitarius in tecto. 304. nu. 5
Psal. 104. Dedit eis regiones gentium: & labores populorum possederunt. Ut custodiant iustificationes eius: & legem eius requirant. 335. nu. 8
Psal. 113. Omnia quaecumque voluit, fecit, in caelo, & in terra. 263. nu. 19
Psal. 118. Memor fui nocte nominis tui Domine. 304. nu. 5
Ibidem. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. 298. nu. 4. & 304. nu. 5
Ibidem. Memor fui nocte nominis tui. 304. nu. 5
Ibidem. Septies in die laudem dixi tibi. 298. nu. 4
Psal. 137. Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco, ubi steterunt pedes eius. 4. nu. 14
Psal. 133. In noctibus extollite manus vestras in sancta: & benedicite Dominum. 304. nu. 5
Psal. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum. 30. nu. 9

Ibidem. Elevatione manuum mearum sacrificium vespertinum.

Psal. 150. Laudate eum in chordis, & organo. 34. nu. 1

Ex Prouerbijs.

Prou. 20. Quis potest dicere: Mundum est cor meum, & mundus sum a peccato? 268. nu. 36

Ex Ecclesiaste.

Eccles. 7. Non est homo, qui non peccet. 268. nu. 36
Eccles. 9. Nemo scit, utrum odio vel amore dignus sit. ibidem.

Ex Canticis Cantic.

Cant. 5. Manus eius tornatiles, aureae, plena hyacinthis. 218. nu. 8

Ex Sapientia.

Sap. 3. Deus tentauit eos, & inuenit eos dignos se. 270. nu. 45

Ex Ecclesiastico.

Ecclesi. 5. De propitiato peccato non sis sine metu. 268. nu. 36
Ecclesi. 28. Relinque proximo tuo nocenti, & tunc deprecanti tibi peccata soluentur. 269. nu. 39
Ecclesi. 34. Omnis vir, qui non est tentatus, non est probatus. 270. nu. 47

Ex Isaia.

Isa. 6. Seraphim stabant clamantia, & dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus. 189. nu. 11
Isa. 26. Anima mea desiderauit te in nocte: sed & in spiritu meo de mane vigilabo ad te. 304. nu. 5
Isa. 46. Omne consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet. 263. nu. 19

Ex Hieremia.

Hier. 10. Tabernaculum meum vastatum est. 4. nu. 14
Hier. 29. Quia in pace eius erit pax vestra. 273. nu. 3
Thren. 2. Consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum. 306. nu. 2

Ex Ezechiele.

Ezec. 23. Haec fecerunt mihi: polluerunt sanctuarium meum in die illa. 38. nu. 12

Ex Daniele.

Dan. 6. Daniel tribus temporibus in die flectebat genua

SACRAE SCRIPTURAE.

genua sua, & adorabat, & confitebatur coram Deo. 298. nu. 4

Ex Zacharia.

Zach. 1. Vade, & doce puerum istum. 190. nu. 17
Zach. 11. Ve pastori Haelil. 17. nu. 10
Zach. 14. In oriente pedes Domini stabunt, in monte oliuarum e regione Hierusalem. 8. nu. 4

Ex Malachia.

Malac. 1. Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offeritur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. 106. nu. 4

Ex Matthaeo.

Matth. 4. Accessit tentator. 270. nu. 45
Matth. 5. Videns Iesus turbas ascendit in montem. 168. nu. 2
Matth. 10. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, predicare super tecta. 168. nu. 12
Matth. 13. Nescitis enim, quomodo Dominus veniet: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane. 307. nu. 2
Matth. 14. Vespere facto accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Desertus est locus, & hora iam praeteriit. 316. nu. 9
Matth. 19. Centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. 68. nu. 25
Matth. 26. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. 270. nu. 47

Ex Marco.

Matth. 15. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. 313. nu. 6

Ex Luca.

Luc. 2. Benedixit illis Simeon. 293. nu. 4
Ibidem. Et haec vidua usque ad annos octoginta quatuor, quae non discedebat de templo, ieiunans, & obsecrationibus seruens nocte, ac die. 304. nu. 5
Luc. 6. Erat Iesus pernoctans in oratione. ibid.
Luc. 7. Et ecce deferebatur defunctus, filius unicus matris suae, & haec erat vidua, & turba multa cum illa. 79
Luc. 19. Cum appropinquaret iam ad descensum montis oliueti, caeperunt omnes turbae descendendum, gaudentes laudare Deum, voce

magna dicentes: Benedictus rex, qui venit in nomine Domini. 330. nu. 2

Luc. 21. Et accepto pane, cum gratias egisset, fregit, ac dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem. 109. nu. 1

Ex Ioanne.

Ioan. 6. Si quis manducauerit ex hoc pane, non morietur in aeternum. 289. nu. 24
Ioan. 10. Facta sunt cenecia in Hierosolymis. 82. nu. 2
Ioan. 11. Lazarus amicus noster dormit. 74. nu. 1

Ex Actis.

Act. 3. Petrus, & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam. 298. nu. 4. & 314. nu. 1
Act. 5. Cur tenuit Satan cor tuum, mentiri te Spiritui sancto? 270. nu. 45
Ibidem. Intrantes iuuenes inuenerunt Sapphiram mortuam. 77. nu. 14
Act. 9. Cum Tabitham lauisset, posuerunt eam in cenaculo. ibid.
Act. 12. Praeceingere, & caliga te caligas tuas. 133. nu. 21
Act. 14. Et cum constituisset illis per singulas ecclesias presbyteros. 67. nu. 23
Act. 19. Erat enim ecclesia confusa. 1. nu. 1
Ibidem. Si quid autem alterius rei queritis, in legitima ecclesia poterit absolui. ibid.

Ex epist. ad Romanos.

Rom. 8. Acceperitis spiritum adoptionis in timore, in quo clamamus: Abba pater. 258. nu. 3

Ex epist. I. ad Corinth.

1. Cor. 4. Nihil mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. 268. nu. 36
1. Cor. 5. Quae autem vidua est, & desolata, speret in Deum, & instet in obsecrationibus, & orationibus nocte, & die. 304. nu. 5
1. Cor. 8. Scimus, quod idolum nihil est in mundo. 17. nu. 10
1. Cor. 10. Vnus panis, & unum corpus multi sumus, qui de vno pane, & de vno calice participamus. 285. nu. 11
Ibidem. Dicone, quod idolum sit aliquid? 17. nu. 9
1. Cor. 11. Numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum, aut ecclesiam Dei contemnitis? 2. nu. 1. & 96. nu. 7
Ibidem. Dominicam cenam. 2. nu. 3
Ibidem. Ego enim accepi a Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, ac dixit: Accipite, & manduca-

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPT.

rate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. 109.nu.1. & 235.nu.12
 Ibidem. Si quis esurit, domi manducet. 96.nu.7
 1. Cor. 14. Ceterum si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen super tuâ benedictionem? 159.nu.2. & 221.nu.2
 Ibidem. Cum convenitis quisque vestrum psalmum habet. 319.nu.1
 1. Cor. 15. Non omnes quidem dormiemus. 74.nu.1

Ex epist. 2. ad Corinth.

2. Cor. 2. Odorem notitiæ suæ spargit per nos in omni loco. 30.nu.9
 2. Cor. 6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros: in vigilijs. 304.nu.5
 2. Cor. 13. Non autem ego, sed gratia Dei mecum. 208.nu.14
 Ibidem. Coadiutores Dei sumus. ibid.

Ex epist. ad Galat.

Galat. 6. Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei. 207.nu.9

Ex epist. ad Ephes.

Ephes. 1. Super omnem principatum, & potestatem, & virtutem. 189.nu.14
 Ephes. 5. Implemini spiritu sancto, loquētes vobismet ipsis in psalmis, hymnis, & canticis. 319.nu.1
 Ibidem. Ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta, & immaculata. 202.nu.10

Ex epist. ad Coloss.

Coloss. 4. Cum lecta fuerit apud vos epistola hæc, facite, ut & in Laodicensium ecclesia legatur. 160.nu.2

Ex epist. 1. ad Thessal.

1. Thess. 5. Adiuro vos per Dominum, ut legatur hæc omnibus sanctis fratribus. 160.nu.2

Ex epist. 2. ad Thessal.

2. Thess. 4. De ijs, qui obdormierunt. 74.nu.1

Ex epist. 1. ad Timoth.

1. Tim. 4. Noli contemnere gratiam, quæ tibi data est per prophetiam cum impositique manuum

presbyterij. 67.nu.23
 1. Tim. 5. Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habeantur. ibid.

Ex epist. 2. ad Timoth.

2. Tim. 2. Labora sicut bonus miles Christi. 245.nu.8

Ex epist. ad Hebræos.

Heb. 6. Impossibile est, qui semel sunt illuminati. 47. num. 10
 Heb. 10. Habentes itaque fratres fiduciam, in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiaverunt vobis viam novam, & viventem per velamen, id est carnem suam. 296. num. 25
 Ibidem. Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnam certamen sustinistis. 47. num. 10

Ex epist. Iacobi.

Iac. 1. Beatus vir, qui suffert tentationem. 270.nu.47
 Ibidem. Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat. 270.nu.48
 Iac. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros super eum, ut orent. 334.nu.2
 Ibidem. Saluabit infirmum, & alleviabit eum Dominus. 69.nu.27
 Ibidem. Si in peccatis fuerit, remittentur ei. 68.nu.25

Ex epist. 1. B. Petri.

1. Pet. 2. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. 202. num. 10
 1. Pet. 4. Vigilate in orationibus. 304. nu. 5

Ex epist. 1. Ioannis.

1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus. 268. num. 36
 1. Ioan. 2. Novissima hora est. 296. nu. 2
 1. Ioan. 3. Videte, qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur, & simus. 258. num. 3

Ex Apocalypsi.

Apoc. 8. Data sunt ei incensa multa. 30. nu. 9
 Apoc. 13. Vidi aliam bestiam, ascendentem de terra, & habentem cornua duo similia agno. 136. num. 32.

INDEX VERBORVM ET RERVM.



A

Aronis sacrificium. pag. 217.nu.2
 Abbas an possit mitram gestare præsentate episcopo. 137.nu.35
 Ablutio manuum, quid significet. 182.nu.4
 Ablutio hæc manuum ecclesiastica vnde petita. ibid.nu.6
 Ablutio manuum, cur iterum fiat ante oblationem sacrificij. 181.nu.1
 Ablutio manuum Mosaica. ibid.nu.2
 Ablutionis manuum mentio apud multos patres. ibid.nu.3
 Ablutione manuum laici etiam ante communionem vtuntur. 182.nu.5
 Ablutione manuum ante inchoationem suorum sacrificiorum gentiles quoque utebantur. ibid.nu.6
 Abrenunciatio Satanæ in baptismo. 53.nu.31
 Acoluthi funalia deferunt. 78
 Acoluthorum officium. 167.nu.8
 Adulti accedentes ad baptismum, symbolum Apostolicum recitare debent. 55.nu.34
 Aedes sacra domus orationis, a quibus, & quoties frequentanda. 92.nu.1
 Aedes sacra basilica dicitur. 3.nu.8
 Aedes sacra templum appellatur. 3.nu.5
 Aedes Lauretana B. Mariæ Virginis. 6.nu.4
 Aedes sacra oratorium appellatur. 4.nu.13
 Aedis sacrae duæ præcipuæ partes. 35.nu.1
 Aedes sacrae varia nomina fortiuntur. 1.nu.1
 Vide, ecclesia, basilica, templum.
 Aes metallum durabile, & sonorum. 73.nu.5
 Agalma quid significet. 17.nu.11
 Agapæ in ecclesijs antiquitus consueta. 96.nu.7
 Agnus Dei, vt diceretur in Missa, quis fuerit auctor, inquiritur. 277.nu.1
 Agnus Dei dum dicitur in Missa, Christus & rogatur, & adoratur. ibid.nu.2
 Agnus qua ratione Christus. ibid.nu.3
 Agnus Dei precatio, cur ad Christum dirigatur. 277. num. 5
 Agnus Dei in defunctorum Missis aliquantulum variatur, & quanam hoc de causa fiat. 277.nu.6
 in Agnus Dei precatio, pacis petitio, cur adiecta. ibid. num. 4
 Alba quid significet mystice, quod genus vestis, & quibus nominibus appellatur. 129.nu.8. & 9
 Alæ cur appingantur imaginibus Angelorum. 14.nu.5
 Altare erigere ad diuinum cultum pertinet. 36.nu.5
 Altare, forma corporis Christi appellatur. 36.nu.3
 Altare sedes corporis, & sanguinis Christi. ibid.
 Altare Christum refert. 293.nu.5
 Altare osculatur sacerdos peractio Missæ sacrificio, & quid significet. ibid.
 Altare maius in ecclesia Romana semper orientem spectat. 37.nu.10

Altare vestibus sacris exui prohibetur. ibid.nu.8
 Altare Christum significat. 30.nu.9
 Altare, cui astat baptizatus, quid significet. 57.nu.43
 Altare portatile, quibus concessum sit vti. 89.nu.7
 Altare portatile, quid sit. 87.nu.7
 Altare non fixum, quibus nominibus appellatur. 89. num. 6
 Altaris osculatio triplex, cur a sacerdote adhibeatur. 213. num. 7
 Altari honorem præstandum. 36.nu.5
 Altaria ad sepulchra sanctorum, & super eorum ossa veneranda erigebantur. 88.nu.4
 Altaria an sine reliquijs sanctorum consecrari possint. 88.nu.5
 Altaria contra, Cæcilij blasphemiam exploditur. 38. num. 12
 Altaria in Antiochia Syriæ, diuersum situm, quàm alibi habuere. 37.nu.10
 Altaria cum consecrantur, reliquiæ sanctorum illis supponi debent. 88.nu.4
 Altaria cum omni veneratione & ornatu tractanda. 37. num. 8
 Altaria cancellis circumdabantur, & quare. 38. n. 13
 Altaria ad diuinum cultum pertinent, & semper in honore habita. 36.nu.3. & seq.
 Altaria quibus diebus nudentur, & quare. 37.nu.9
 Altaria ius Afyli apud veteres habebant. ibid.nu.7
 Altaria tabernaculo, & templo antiquiora. 36.nu.2
 Altaria consecrandi ritus. 87.nu.2
 Altaria, & aræ vnde nomen acceperint. 35.nu.1
 Altaria lignea ante Constantinum. 88.nu.3
 Altaria multis titulis ornantur a patribus. 36.nu.3
 & 4. & seq.
 Altaria quas cæli plagas spectent. 37.nu.10
 Altaria lapidea esse debent. 87.nu.3
 Altarium structores insignes in vtroque testamento, qui. 36.nu.2
 Altarium consecratio, & vntio, & quæ sint, in his feruanda. 87.nu.1
 Altariū euerfores grauissimis pœnis afflicti. 38. n. 12
 Altarium religio quanta fuit semper. ibid.
 Altarium ingressus, quibus prohibitus, & quibus concessus. 37.nu.11
 Ambo vnde dicatur, & quid sit. 168. & 169.nu.13
 Ambrosius sanctus, sumpto Domini corpore spiritum emisit. 41.nu.11
 Ambrosius sanctus, hymnorum quorundam auctor. 321. num. 5
 Ambrosij sancti, dictum de Imperatoribus. 43.nu.5
 Ambrosij sancti admonitionem libens accepit Theodosius. ibid.
 Amen vox hebraica non facile in aliam linguam transferri potest. 158.nu.1
 Amen ab initio renascentis ecclesiæ recitatum. ibidem. num. 2
 Amen, quid secundum Hieronymum, & alios significet. ibid.nu.3

Amen nota conclusio in signaculo orationum. 199.nu.4
 Amen triplex Thalmudicum vitandum. ibid.nu.5
 Amictus quod genus facie vestis, & quid significet quoad mores. 128.nu.6. & 129.nu.7
 Amictus depositio de capite sacerdotis, quid significet. 137.nu.34
 Amictus, ad quid necessaria. 270.nu.43
 Amula quid, & eius in ecclesia usus. 26.nu.8
 Anacletus in honorem S. Petri Basilicam Vaticanam parua ecclesie forma extruxit. 16.nu.4
 Andreas sanctus crucem maxime veneratus est. 19.nu.2
 Angelus officij nomen est, non natura, & quibus conueniat. 188.nu.9
 Angeli Græce, Latine nuncij. ibid.
 Angeli Hebraice Malachim appellantur, & quid vox Hebraea significet. ibid.
 Angeli quo modo offerant Deo sacrificia nostra, & orationes. 240.nu.11
 Angeli singuli singulis hominibus præfunt. 192.n.24
 Angeli bini afsistunt singulis hominibus. 192.nu.14
 Angeli regnis, nationibus, prouincijs, & vrbibus custodiendis delegati. ibid.
 Angeli præfidere ecclesijs dicuntur. 93.nu.2
 Angeli varie depicti. 14.nu.5
 Angeli nomine in canone Missæ ant intelligendus magni consilij angelus Christus ad ea verba: Tunc hæc perferri per manus sancti angeli tui, &c. 240.nu.12
 Angelum custodem peccatum amouet, & fugat. 192.nu.24
 Angelorum manus in canone Missæ, quid nobis denotent. 241.nu.14
 Angelorum nouem ordines numerantur, & explicantur. 188.nu.10. & seq.
 Angelorum imaginibus alæ cur appingantur. 14.nu.5
 Angelos in Missæ sacrificio adesse ex Patrum testimonijs offenditur. 240.nu.15
 Animas sanctorum non frui beatitudine ante diem iudicij, erroneum, nec quidquam tale a Ioanne XXII. definitum. 262
 Annulus cur detur Episcopo, cur gestetur in indice, & quid significet. 138.nu.37
 Annulus signatorius. ibid.
 Antiphona quid. 89.nu.7
 Antiphona quid sit ex Isidoro, & alijs. 324.nu.1
 Antiphonæ quæ nunc dicantur. 325.nu.6
 Antiphonarum originem aliqui ad Isaiam referunt. ibid.nu.2
 Antiphonarum primus auctor, tum apud Græcos, tum apud Latinos. 325.nu.3. & 4
 Antiphitis mentio in canone Missæ. 204.nu.16
 Antitypon apud S. Clementem, & S. Gregorium Nazianzenum, quid significet. 228.nu.17
 Apostoli particulam canonis Missæ, Ex hoc omnes, addiderunt. 220.nu.18
 Apostolorum imagines commemorantur. 13. & 14. nu.4
 Aqua benedicta non est sacramentum, sed quid sacramentale. 71.nu.5
 Aqua in baptisterio consecrata, in vasculis accipitur ad spargendum in domibus, siue agris. 48.nu.13
 Aqua ad baptismum in baptisterijs, quomodo consecrari, & consecrari debeat. 47.nu.12
 Aqua vino admiscenda in calice ex Patribus & concilijs. 180.nu.1. & 2
 Aqua vino admiscenda in calice modica esse debet. 181.nu.5
 Aquæ permixtio in calice an sit de necessitate sacramenti. ibid.nu.6
 Aquæ benedictæ virtus varijs miraculis illustrata. 70. nu.3
 Aquæ benedictæ vasa optime ad ecclesie ostium collocata. 71.nu.6
 Aquæ benedictæ vas nomina habet varia. 70.nu.1
 Aquæ benedictæ vas quàm sit necessarium, & de materia, & de loco eius in templis. 71. nu.6
 Aquæ sacra mentio apud Gentiles. ibid.
 Aquæ benedictæ aspersio, dum canitur introitus, varia pro varietate temporum. 147.nu.6
 Aquæ benedictæ vas quomodo debeat esse ornatum, & ex qua materia construendum. 71. nu.6
 Aquæ lustralis ritus in veteri lege vsitatus. ibid.
 Aquæ consecrationis ritus. 48.nu.12
 Aquæ benedictæ institutio. 70.nu.2
 Aquam offerebant cantores olim. 179.nu.11
 Aqua non consecrata, cum premit necessitas, baptizari licet. 98.nu.12
 Aquariorum hæresis refutatur. 180.nu.3
 Aquimanile. 70.nu.1
 Ara, & altaria vnde nomen acceperint. 35.nu.1
 Ararum insignes structores in vtroque testamento, qui. 36.nu.2
 Archangelus vnde dicitur. 190. nu.17
 Archangeli qui sint. ibid.nu.16
 Archangelorum quorundam nomina recensentur, & declarantur officia. 191.nu.22
 Armenorum hæresis de vino puro. 181.nu.4
 Armenorum error de Trifagio. 197.nu.33
 Armenorum error de confirmatione. 63. nu.12
 Ascetria dum funus efferebatur, psallere consueuerant. 79
 Asyli ius apud Gentiles quare abolitum. 97.nu.11
 Asyli ius barbari ecclesijs conseruabant. 97.nu.9
 Athanasius dans operam pijs vigilijs liberat ab hostibus. 302.nu.3
 Attentio necessaria in diuini officij recitatione. 342. nu.16
 Attentio triplex. ibid.nu.17
 Augustinus sanctus an sit auctor sermonum ad fratres in eremo. 305.nu.8
 Augustini sancti locus emendatur. 170. nu.19
 Augustini sancti locus de catechizandis rudibus declaratur. 295.nu.6
 Augustinum sanctum duo tantum sacramenta agnoscere hæreticorum figmentum. 62.nu.10

B

Baculus pastoralis quibus nominibus appellatur. 139.nu.38
 Baculus non insignis honoris est, sed dignitatis pastoralis. ibid.
 Baculus pastoralis quid mystice significet. ibid.nu.39
 Baculus sancti Petri Eucharistia missis, ex Innocentio. 139.nu.39
 Baculi pastoralis forma & mystica eius significatio. 139.nu.40
 Baculum deponit Episcopus cum iam accedit ad altare. ibid.
 Baculo

Baculo quare non vtatur summus Pontifex. ibid.
 Baptismus cur trina immersione collatus. 55.nu.36
 Baptismus, etiã si nulla premit necessitas, passim confertur extra Pascha, & Pentecostè, & quare. 48. n.14
 Baptismi tempus non est protrahendum. 58.nu.45
 Baptismi ritus asseruntur. 49. per tot.
 Baptismi aqua in Pascha, & Pentecostè consecratur. 48. nu.14
 Baptismi tempora, etsi initio non erant distincta, postea tamen duo a patribus sunt statuta. ibid.
 Baptismi ritus. 47.nu.12
 Baptismi, & confirmationis effectus. 64.nu.15
 in Baptismo mulieres susceptrices esse possunt. 49. nu.17
 in Baptismo an sit immersio, an vero aspersio vtendum. 56.nu.37
 Baptisterium lapideum esse debet. 46.nu.6
 Baptisterium Constantinianum ex lapide porphyretico vndique cooperatum. ibid.
 Baptisterij Constantiniani descriptio. ibid. & seq.
 Baptisterij & baptismi varia nomina. 47.nu.10
 Baptisterij locus in ecclesia. 46.nu.3
 de Baptisterio Prudentij locus. ibid.nu.5
 in Baptisterio Laterano Constantinus baptizatus fuisse probatur. 47.nu.8
 in Baptisterio vno omnes baptizabantur, separatim tamen femina a viris. 46.nu.3
 Baptisteria dedicandi ritus vbi traditus. 47.nu.12
 Baptisteria quando in ecclesijs fieri coeperunt. 47.nu.9
 Baptisteria extra basilicas moris erat astruere. 46.nu.4
 Baptisteria veneranda, & consecranda sunt. 47.nu.12
 Baptisteria progressu temporis instituta. 46.nu.2
 in Baptisterijs aureas, & argenteas columbas suspensas fuisse. 47.nu.7
 Baptizabantur credentes olim in fluuijs, & fontibus. 46.nu.1.
 Baptizandus susceptores habere debet. 49. nu.35
 Baptizandus abrenunciat fatana, & de antiquitate huius abrenunciationis. 53.nu.31
 Baptizandi nares, & aures cur sacerdos tangat cum digito, & sputo & huius ritus antiquitas. 52.nu.29
 Baptizandi vt oleo inunguntur. ibid.
 Baptizandi vnguntur duplici vntione, & de vtraque. 54.nu.33.
 Baptizandi ritus aliquot antiquati. 58.nu.44
 Baptizandorum susceptores varijs nominibus a Patribus appellati. 49.nu.16
 Baptizandorum susceptores cur fidei doctores dicantur. ibidem.
 Baptizandorum nomina litteris mandabatur. 50.nu.21
 Baptizandis cur signum crucis in fronte insiguntur. 52. nu.28
 Baptizatus cur ante altare adduceretur. 57.nu.43. & seq.
 Baptizatus alba veste induitur, & quid ea significet. 56.nu.39. & seq.
 Baptizato cur datur cereus accensus. 57.nu.41
 Baptizati foli Deum patrem iure nominare possunt. 269.nu.37
 Baptizatis in baptismo nomen imponitur. 50.nu.19
 Basilica Vaticana, Martyrium Apostolorum dicitur a Chrysofomo. 3.nu.10
 Basilica Vaticana in honorem S. Petri parua ecclesie forma ab Anacleto extructa. 6.nu.4
 Basilica Saluatoris Romæ. 12.nu.1
 Basilica suburbana Tolosæ, nomine Saluatoris. ibid.

Basilica ædes sacra dicitur. 3.nu.8
 Basilicæ non sine reliquijs consecrabantur. 88.nu.4
 Basilicæ, quæ Martyria dicuntur, & si in honorem Martyrũ, soli tamen Deo proprie eriguntur. 4.nu.12
 Basilicani, basilicarum custodes dicuntur. 3.nu.8
 Beati omnes accipiunt denarium diurnum, & tamen non omnium est æqualis beatitudo. 247.nu.6
 Beatorum præmia quomodo conferantur. 248.nu.9
 Beatorum societatem ingemiscendo expetit ecclesia. 247.nu.9
 Beatitudo animarum sanctarum ante diem iudicij asseritur, & Ioannes XXII. defenditur. 262
 Benedicendi mensam ante cibum, & post, gratias agendi laudabilis consuetudo. 267.nu.31
 Benedictio populi in vtroque testamento vsitata. 293. nu.3.
 Benedictio mystica quid sit, & quid præstet. 215.nu.2
 Benedictio turis & turibuli. 30.nu.8
 Benedictio calicis. 25.nu.3
 Benedictio vsus ad finem Missæ probatur Patrum testimonijs. 292.nu.1
 ante Benedictionem sacerdotis populus ab ecclesia egredi non debet. 293.nu.2
 Beneficiarius, quãtũuis tenuis sit redditus beneficij, a recitandis canonicis precibus non excusatur. 336. nu.10
 Beneficiarij non recitantes horas canonicas fructus recitare tenentur etiam intra sex menses. 345.nu.7
 Beneficiarij ad preces canonicas obligantur. 335.nu.7
 Beneficiarij qui duo vel plura munera ecclesiastica obeunt, an bis vel pluries horas canonicas recitare tenentur. ibid.nu.9
 Beneficium datur propter officium. 335.nu.8
 Beneficium ecclesiasticum est merces laboris. 346. nu.8
 Beneficia manualia quæ. 344.nu.3
 Beneficiorum custos optima, memoria beneficiorum. 219.nu.14
 Benjamin abbas oleo ab ipso benedicto quocumque ægrotos sanabat. 66.nu.22
 Beracha, varia significat. 293.nu.4
 Berengarij hæresis de Eucharistia quando inceperit, & a quibus damnata. 224.nu.9
 Berengarij vita, & mors. ibid.nu.10
 Bona quid sit & vnde dicatur. 35.nu.1. & 2.
 Cæcilie sanctæ domum Vrbanus papa a Petro 28. consecrauit. 82.nu.1
 Cæcilij blasphemiam contra altaria exploditur. 38. nu.12
 Cælum ibi, vbi cessat culpa. 260.nu.12
 Cælum & terra qua ratione sibi respondeat. in oratione Dominica. 264.nu.24
 Cæli an sint animati. 193.nu.26
 Cælorum virtutes quæ sint. ibid.
 Cæli pro angelis in scriptura. 193.nu.26
 Casaraugusta templum à Iacobo Zebedæo Deiparæ primum edificatum. 6.nu.4
 Cæteram opinio de necessitate confessionis ante communionem quæ. 126.nu.3
 Caliga quid sit. 134.nu.21
 Calix ab ipso Christo celebrante nobis acceptus. 75. nu.1.
 Calix ad sanguinem Christi paratus quanta munditia esse

esse debeat. ibid.nu.2
Calicis benedictio cum chrisimatis vnctioe. 25.nu.3
Calicis consecrandi forma, quibus constet verbis. 332.nu.2.& 3
in Calice non in alio vase sanguis Christi consecra- tur, quare. 25.nu.1
de Calice ministeriali carmina Remigij. 25.nu.3
Calices ex auro, argentove, aut stamno, fieri debere, & non ex alia materia. 25.nu.2
Calices sacri in magna veneratione semper habiti. 25.nu.1
Calices, sanguinis Christi portatores dicti ab Opta- to. ibid.
Calices plures in altari non ponendi, & quare. 26.nu.5
Calices in ecclesia quid significant. 26.nu.7
Calicum triplicium mentio. 25.nu.3
Calicibus ecclesias ornatas fuisse. 26.nu.6
Calices vitreos olim fuisse antiquorum testimonio probatur. 25.nu.2
Calices pictura ornari solitos. 26.nu.6
Callixtus Papa & martyr templum B. Mariae Trans- liberim edificauit. 6.nu.4
Caluinitarum impudentia de exorcismis. 50.nu.23
Campanæ ex qua materia fiant, & quomodo sint compactæ. 73.nu.5
Campanæ quid mystice. ibid.
Campanæ baptizantur, & benedicuntur, & quare. 73.nu.6
Campanæ quomodo baptizari dicantur. ibid.
Campanarum origo vnde. 72.nu.2
Campanarum institutio, ad quid. ibid.nu.4
Campanarum effectus. ibid.
Campanarum institutor incertus, etsi causa institu- tionis optima. 72.nu.3.& 4
Campanarum qui meminerunt. ibid.nu.1
Campanarum nomina & etymologia. ibid.
Campanarum vsus christianis, qui sub eorum ditio- ne viuunt, Turcæ prohibent. 73.nu.7
Campanis bellum indicunt Hughenoti. ibid.
Campanas pulsantes superpelliceis indui congruit. 73.nu.7
Campanas in oratorijs priuatis habere non licet. 73.nu.9
Campanas baptizandi, seu benedicendi forma anti- qua. 73.nu.6
Campanas plures habere an liceat religiosis. 73.nu.9
Cancelli in templo quid significant. 43.nu.4
Cancelli vnde dicti. 38.nu.14
Candelabrum quid significet mystice. 26.nu.2
Candelabra benedici consueuerunt in ecclesia. 27. nu.2
Candelabrorum vsus a Tridentina synodo probatus. 28.nu.4
Candelabrorum vsus in ecclesia. 26.nu.1
Canon Missæ varia habet nomina. 198.nu.1
Canon Missæ legitimus appellatur, & etiam actio. ibid.nu.2.& 3
Canon Missæ alia habet ex Euangelio petita, alia ex antiquissima traditione. ibid.nu.5
Canon Missæ in quot partes diuidatur. 199.nu.1
Canon Missæ quid contineat ab Euangelistis non ex- pressum, & quid ab Apostolorum traditione acce- ptum sit. 218.nu.10
Canon Missæ longe ante Gregorij tempora anti- quior. pag.237.nu.1

Canon, Peracta de Cõf.d.1.declaratur. 115.n.6.& seq.
Canon, sacramenta de Conf.d.1.declaratur. 123.n.5
Canon, Monacho 27.q.1.explicatur. 130.nu.11
Canon 34. Concilij Elibertini exponitur. 78.nu.15
Canon 21. Concilij Brac.1.declaratur. 153.nu.2
Canonis Missæ primus auctor inquiritur & exami- nantur opiniones. 198.nu.4
Canonis Missæ initium, cur ad Deum patrem diriga- tur, & quomodo cum Trifagio conueniat. 200. numero 2
Canonis Missæ tertia pars, Communicantes, &c. a quo addita sit. 209.nu.1
Canonis pars sexta, Qui pridie &c. a quo addita. 216.nu.1.
contra Canonem Missæ hereticorum calumnia refel- litur. 238.nu.6
Canonica hora, vide; Hora, & Preces.
Canonici qui sint apud Pythagoram. 297.nu.5
Cantandi in ecclesia psalmos, hymnos, & cãtica vsus, antiquissimus est. 330.nu.1
Cantandi huiusmodi vsus, sacra scripturæ testimo- nijs probatur. 331.nu.4
Cantare hymnos frequenter solebat Theodosius. ibid.nu.3
Canticum, & psalmus quomodo distinguantur. 323. numero 1.
Canticum psalmi, & psalmus Cantici, quid deno- tent. ibid.nu.2
Canticum, Te Deum laudamus, a quo fit composi- tum, quanteq. sit auctoritaris. 324.nu.6
Canticum & hymnus quid differant secundum Hieronymum, & alios. 323.nu.3
Cantica & psalmi quando ceperint. 324.nu.4
Cantica alia, quàm quæ in scriptura inueniuntur, an sint habenda, eaq. enumerantur. ibid.nu.5
Cantica fracta, scenica, & turpia ne admisceantur. 333.nu.12
Cantores qui eligendi. 333.nu.9
Cantores aquam offerebant. 179.nu.11
Cantorũ in ecclesia institutio vetustissima. 331.nu.7
Cantorum huius sæculi vitia notantur. 333.nu.11
Cantus in ecclesia probatur veterum Patrum testi- monijs. 330.nu.2
Cantus ecclesiasticus magnos fructus prabet. 330.n.5
Cantus in diuinis officijs probatur ecclesiæ orien- tis. ibid.nu.6
Cantus & soni pij graues & distincti esse debent. 333.nu.10
Cantus ecclesiasticos improbantium argumenta re- feruntur, & refelluntur. 332.nu.8
Capitula leguntur in diuinis officijs. 226.nu.9
Carolus Magnus ab hereticorum liberatur calum- nijs. 228.nu.17
Carolus Magnus non repudiavit imagines, neque li- ber aduersus imagines est ab eo cõpositus. 18.n.12
Carpi sancti, mirabilis ante Missã preparatio. 55.n.35
Casula genus vestis sacerdotalis, eius etymologia & forma, & de eius multiplici significatione mysti- ca. 133.nu.17
Casula an idem sit, quod καλύπτρα Græce. ibid.nu.18
Casula quare cappa vulgo appelletur. ibid.nu.19
Catechismus in adultis baptismum antecedit. 54. numero 32.
Catechumeni quando a veteribus instruebãtur. ibid.
Catechumeni qua Missæ parte mittebantur foras. 99.nu.2. & 3.
Cathe-

Catechumenorum Missa. 98.nu.2
Catechumenorum, cur septem scrutinijs habeat olim. 54. num. 2.
Cereus ardens, cur datur baptizato. 177.nu.41
Cerei, qui diacono accessuro ad ambonem precedunt, quid mystice significant. 167.nu.8. & 169.nu.10
Cereorum vsus in ecclesia. 167.nu.7
Charitatis ordo in oratione seruandus. 167.nu.9
Cherubim qui sint, & quæ illorum facies illi apud Eze- chielem. 189.nu.12
Chiroteca Episcoporum quid significant. 236.nu.29
Chorus vnde dicitur, & quid sit. 207.nu.1
Chorum egressus ante finem, & tardus ingrediens, grauius peccant. 241.nu.13
Chrisma ex oleo & balsamo confectum, principale oleum appellatur, quatuor de causis. 59.nu.5
Chrisma quorannis conficiendum die in cõna Domini. 60.nu.7.
Chrisma quid significet. 59.nu.4
Chrisimatis renouatio quomodo fiat. 60.nu.7
Chrisimatis vnctio perfectio appellatur, quæ & quære perfectio dicitur. 60.nu.8
Chrismate sacro, baptizatus ianungitur in vertice ca- pitis a sacerdote. 56.nu.38
Chrisimalis vasculi frequens mentio apud Patres anti- quos. 59.nu.1
Chrisimalis vasculi miraculum. 59.nu.2
Christus mediator est, & secundum diuinitatem patri æqualis. 248. & 249. nu.11
Christus qua ratione agnus. 277.nu.34
Christus cum in cruce pependit ad occiduum prospex- it. 29.nu.4
Christus oculos eleuauit in cælum ad nostram insti- tutionem. 218.nu.12
Christus prius consecrauit, quàm fregit: & benedice- do consecrauit: & quæ sit causa mutati ordinis. 219.nu.15.
Christus per partes hostiæ manducatur, & manet in- teger. 274.nu.2
Christi manus quomodo sanctæ & ad bonum paratæ. 218.nu.8
Christi sanguis nostræ redemptionis sufficiens pretiũ quibus non sit efficax. 235.nu.11
Christi imagines quattuor adhuc eo superstitæ factæ. 11. & 12. nu.1.
Christi crucifixi imago in templis cur spectet ad oc- casum. 9.nu.9
Christi imago Veronica sudario impressa. 12.nu.1
Christi imago Abagaro Missa, auctoritaribus demon- stratur. 11. & 12. nu.1
Christi imago, quam mulier fluxu sanguinis liberata erexit. 12.nu.1
Christi imago a Nicodemo Gamalieli dono data, & alia de ea. 12.nu.1
Christo quibus nominibus gratias agant, & gloriam deferant Christiani. 248. & 249. nu.11
Ciborium quid sit. 39.nu.2
Ciboria argentea a Symmacho destinata altaribus S. Andrea. 39.nu.3
Cingulum, quo alba astringitur, quibus nominibus appelletur, & quid mystice significet. 130.nu.11
Claudianus Taurinensis iconomachus, & Arrianus fuit. 18.nu.13
Clerici in minoribus, qui nullo fruuntur beneficio ec- clesiastico, ad preces canonicas non astringuntur. 334.nu.4

Clerici a laicis cancellis secernebantur. 43.nu.3
Clericos a laicis in ecclesia secerneendi quis fuerit au- thor. 43.nu.3
Vide alia in verbo Sacerdos.
Coemeterium vnde dicitur. 74.nu.1
Coemeterij varia nomina. ibid.nu.2
Coemeteria alia ciuium, alia aduenarum. 75.nu.8
Coemeteria consecrandi. ibid.nu.9
Coemeteria, quando ceperunt ab ecclesijs distingui. 74.nu.1.
Coemeteria quaedam intra vrbes, quaedam extra. 75. nu.8.
Coemeterijs cur Christianos arcerent profani im- peratores. 74.nu.3
Cognatio spiritualis inter paternos, & filios spiritua- les. 45.nu.17
Cognatio spiritualis ratione confirmationis etiam con- strahitur. 65.nu.8
Collecta quid significet in scripturis, & apud Patres. 155.nu.11.
Collecta pro defunctis quo loco, ac modo dicenda. 157.nu.11.
Collecta conclusio quæ, & alia de ea. 157.nu.12. & 18
Collecta non recitanda in conuentu ecclesiastico, nisi prius approbentur. 156.nu.7
Collecta cur dicantur orationes ecclesiasticæ. 155. nu.2. & 156.nu.4.
Collecta recitanda in ecclesia septenario numero de- finite sunt, & quid mystice significet illè numerus. 156.nu.9.
Collectarum nomine aliquando eleemosina significa- tur. 156.nu.3
Collectarum auctores varij. 156.nu.6. & 8
Collectarum conclusiones quomodo, & quando va- rientur. 157.nu.17.
Colobium, quid & eius vsus. 135.nu.27. & seq.
Commixtionem corporis & sanguinis Domini, quo sensu freri, petat sacerdos post consecrationem. 276.nu.2
Communicare semel in anno fideles laici soliti tem- pore Ambrosij & Augustini etiam in ecclesia orien- tali. 114.nu.5
Communicare sacramentaliter numquam cogeban- tur catholici quoties Missæ sacrificio intererant. 114.nu.5.
Communicare debet sacerdos quoties consecrat, & quid de diaconis, & alijs. 280.nu.1
Communicaturus dicere solebat, Amen. 187.nu.16
Communicaturi ad sumptionem Eucharistiæ manus olim porrigebant in formam crucis. 187.nu.17
Communicaturi, quæ præsertim pia opera exercere debeant. 286.nu.12. & 13.
Communicaturi a cibo debent abstinere, & a re vxor- ia. ibid.
Communicaturi dicere solebant, Domine non sum dignus. 288.nu.21
Communicantium ritus referuntur. 287.nu.13
Communicantium distinctio quoad locum grauioris poenæ loco olim habita ex Patrum decretis. 182. nu.7.
Communicantium sub vtraque specie, & sub vna ina- qualitas in ecclesia, vnde colligatur a quibusdam. 273. num. 2.
Communio quàm frequens olim in exordijs ecclesiæ, & quoties nunc communicandum sit ex præcepto ecclesiæ. 281.nu.3. & 294.nu.1. & 116.nu.7. Com-

I N D E X.

- Communio frequens vel quotidiana quàm sit laudabilis apud Patres. *ibid.* nu. 4
 Communio laicalis quid a sacerdotali differat. 282. num. 5
 Communio laica, quæ. *ibid.* nu. 6
 Communio peregrina quæ dicatur, & an a laica communionem differat. 283. nu. 8
 Communio quantam tum animi, tum corporis præparationem requirat. 284. nu. 9
 Communio sub vtraque specie, quibus sit permittenda, & alia de ea. 233. nu. 6
 Communio sub vtraque specie, etsi aliquando recepta, cur nunc non permittenda. 25. nu. 4
 Communio sub vna specie tempore Apostolorum celebrior, & frequentior. 25. nu. 4. & 26. nu. 3
 Communio neganda omnibus non ieiunis, præterquam in graui, & periculosa infirmitate. 124. nu. 7
 Communio a quo cibo temporali impediatur, & an a medicina. *ibid.* nu. 8
 Communio cur appellata diuinorum sacramentorum perceptio. 290. nu. 27
 Communio tempus quomodo sit conscientia pura, & vita a peccatis repurgata. 282. nu. 4
 Communio sacramentum ipse sibi ministrat sacerdos, licet in alijs quibusdam sacramentis diuersa sit ratio. 281. nu. 2
 Communio præcedere debet conscientia diligens discussio, & penitentia delictorum. 284. nu. 10. & 285
 ad Communio accessus inimicitias deponere debet. 285. nu. 11
 ante Communio lauare pedes quandoque receptum. 286. nu. 14
 Communio an impediatur pollutio nocturna, ibidem. nu. 13
 Communio peracta quanto tempore a cibo temporali abstinendum. 124. nu. 6
 a Communio an mali arceantur. 220. nu. 17
 Compagium quid sit. 134. nu. 21
 Compares in baptismo. 49. nu. 16
 Completorium qua potissimum hora celebrandum. 317. nu. 4
 Completorium ante finem diei cur agatur. 318. nu. 5
 Completorium tempore mens ab externis ad interna reuocanda. 318. nu. 8
 Completorium meminerunt permulti patres. 317. nu. 1
 Completorium oratio quorsum adhibeatur. *ibid.* nu. 2
 in Completorium hymno quid lux significet. *ibid.* nu. 4
 Completorio, quare debet interesse fideles. 318. nu. 6
 in Completorio cur recitetur hymnus, Nunc dimittis. *ibid.* nu. 7
 Concio apud Athenienses, quid. 1. nu. 1
 Concio pro loco, vbi sit conuentus populi. *ibid.*
 Concionatores quales esse debeant. 168. nu. 10
 Confessio dicitur apud Latinos ea ecclesia, quæ Græci Martyrium vocant. 4. nu. 10
 Confessio peccatorum, quæ olim fiebat a baptizandis non erat sacramentalis. 58. nu. 44
 Confessionis, quæ fit initio Missæ, quis auctor fuerit. 149. num. 4
 Confessionem, quæ fit initio Missæ, quando præcedere debeat sacramentalis confessio. *ibid.* nu. 5
 in Confessione generali pectoris tussio quid denotet, & plura de ea. *ibid.*
 Confessores qui dicerentur in primitiua ecclesia, & qui martyres. 4. nu. 11. & 12
- Confessorum cur non fiat mentio in canone Missæ perinde atque Martyrum. 210. nu. 6
 Confirmandus quot requirat. 63. & 64. nu. 13
 Confirmandi cuius ætatis esse debent. 64. nu. 14
 Confirmandis patrini & susceptores adhibentur. 64. numero 18
 Confirmatus quare leuiter ab Episcopo ceditur in maxilla. 65. nu. 19
 Confirmatio quibus cærimonijs conficiatur. 64. nu. 16
 Confirmatio a Christo instituta asseritur. 61. & 62. numero 9
 Confirmatio a tempore Apostolorum inter sacramenta in ecclesia catholica connumeratur. 61. nu. 9
 Confirmationis sacramentum non sine periculo negligitur. 60. nu. 8
 Confirmationis & baptismi effectus. 64. nu. 15
 Confirmationis sacramentum varijs nominibus nuncupatur. 60. nu. 8. & seq.
 Confirmationis sacramentum statim post baptismum conferri solitum initio ecclesie. 64. nu. 14
 Confirmationis sacramentum quo sensu reddat perceptum Christianum apud Patres. 60. nu. 8
 Confirmationis sacramentum character imprimitur, & gratia confertur. 64. nu. 15
 Confirmationis sacramentum an presbyter ex delegatione summi Pontificis conferre possit. 63. nu. 12
 Confirmationis minister ordinarius episcopus, vbi vox (ordinarius) expenditur. *ibid.*
 Confirmationis nomen vnde deductum. 61. nu. 8
 Confirmationis sacramentum, quomodo a Christo institutum. 62. nu. 9
 Confirmationis forma, & materia, quæ. 62. nu. 11
 Confirmationis minister. *ibid.* nu. 12
 Confirmatione lunaticus sanatus. 64. nu. 15
 in Confirmatione quattuor considerantur. 62. nu. 11
 Conscientia vespertina discussio quàm utilis, & necessaria. 318. nu. 11
 Consecrandi ecclesie variæ causæ. 83. nu. 6
 Consecrandi ecclesie varij ritus, & eorum significatio. 84. nu. 8. & seq.
 Consecrandi ecclesie consuetudo antiquissima. 81. numero 1
 Consecratio ecclesie fieri non debet, nisi ea dotata sit. 86. nu. 9
 Consecratio ecclesie an requirat Missæ celebrationem. 86. nu. 8
 Consecratio rerum sacrarum quid illis conferat. 86. num. 10
 Constantinus ecclesiam Martyrium magnum nuncupatam, Hierosolymis consecrat. 82. nu. 1
 Constantinus Magnus Vaticanam basilicam restituit, & amplificauit. 6. & 7. nu. 4
 Constantinus Magnus basilicam sancti Pauli via Hostiensis fundauit. 7. nu. 4
 Multa etiam, & varia templa extruxit. *ibid.*
 Constantinus plerisque ecclesijs turibula aurea donauit. 30. nu. 9
 Constantinus in baptisterio Laterano baptizatus fuisse probatur. 47. nu. 8
 Constantinus ecclesiam portatilem sibi construi fecit, & quare. 4. nu. 14
 Constantinus crucem auri purissimi centum quinquaginta librarum donauit. 22. nu. 7
 Constantinus & alij imperatores in qua parte ecclesie sepulti fuerint. 75. nu. 6
 Constantino crucis signum apparuit. 20. nu. 4
 Constan-

I N D E X.

- Constantinus Copronymus sacras imagines, & Christum, quem hominem tantum impie asseruit, odio est profecutus. 18. nu. 13
 Constantinus Copronymus habitu Christianus, mente tamen Iudæus. *ibid.*
 Constantinus Copronymus venerem coluit, & humana hostias immolauit. *ibid.*
 Contubernales quare dicti. 4. nu. 14
 Copiata quid. 77. nu. 15
 Corporale quid sit, vnde dictum, & quid representet. 32. nu. 1. & 33. nu. 4. & 5.
 Corporale ex qua materia esse debeat, & eius materiam quis primus instituerit. 33. nu. 3
 Corporale quomodo plicari debeat, & plicationis eius significatio mystica. 33. nu. 6
 Corporale, palla sacra dicitur & quare. 32. nu. 2. & 3
 Corporalis significationes variæ. 33. nu. 5
 Corporalibus duobus vtuntur quadam nationes, quædam vero vno. 34. nu. 8
 Corpus Christi mysticum, & verum. 239. nu. 7
 Corona vtitur Papa, & de huius coronæ origine. 137. num. 36
 Coronæ & radij solares cur appingantur imaginibus. 14. nu. 15
 Coronare statuas veteres consueuere. 14. nu. 15
 Crucifixi imago temere a quibusdam improbat. 23. nu. 9.
 Crucifixi diuersæ imagines & miracula connumerantur. *ibid.*
 Crucifixi imago in templis cur spectet ad occasum. 9. nu. 5
 Crucifixi, & crucis adoratio. 23. & 24. nu. 10
 Crux Christi triplici ex causa adoranda. 24. nu. 10
 Crux multis miraculis sæpe adornata. *ibid.*
 Crux an adoratione latræ adoranda sit. 24. nu. 10
 Crux vbique pingi, & adorari solita. 21. nu. 5
 Cruces erigendi in vijs publicis vetus consuetudo. 21. nu. 6
 Cruces in consecratione ecclesie cur depingantur. 85
 Crucis signum in solo, filice, & marmoribus humi positum sculpi, & Sancti Patres, & Christiani principes prohibuerunt. 21. nu. 7
 Crucis signum adhibendum est in omnibus rebus. 250. nu. 1
 Crucis signum infractum, & contra hostium potentiam munitissimum. *ibid.* nu. 2
 Crucis signo externa etiam pericula vitantur, quod exemplis & miraculis ostenditur. *ibid.* nu. 3
 Crucis signo demones fugantur. 251. nu. 4
 Crucis signo heretici effrenata quadam audacia mularum flagellum appellant. *ibid.* nu. 5
 Crucis signo morbi curantur. 252. nu. 6
 Crucis signum quoties, & quibus de causis fiat in canone Missæ. *ibid.* nu. 8
 Crucis signum adhibetur in sacramentis ecclesie. *ibid.* nu. 7
 Crucis signis varijs singuli fere actus passionis Christi significantur. 253. nu. 9
 Crucis signi forma luculenter explicatur. *ibid.* nu. 10
 Crucis signum Constantino apparuit. 20. nu. 4
 Crucis signum triplex, dum particula in calicem mittitur a sacerdote, quid significet. 276. nu. 6
 Crucis signum cur baptizandis in fronte infigatur. 52. num. 28.
 Crucis signaculum super panem, & calicem in altaris

- sacrificio faciendum. 215. nu. 4
 Crucis signaculum quibus in rebus vsitatum in ecclesia. 215. nu. 5
 Crucis trina signatio initio canonis quid significet. 202. nu. 6
 Crucis imago in ecclesia versus orientem collocanda S. Nilo auctore. 19. nu. 1
 Crucis similitudo in stella, quæ Magis apparuit. 20. num. 3
 Crucis apparitiones variæ connumerantur. *ibid.*
 Crucis forma qualis fuerit, disputatur. 21. nu. 8
 Crucis & crucifixi adoratio. 23. & 24. nu. 10
 Crucis signatione semper vsi sunt Christiani, eiusque imaginem coluerunt. 19. nu. 2
 Crucis supplicium quod apud Romanos seruire erat, a Constantino prohibitum. 21. nu. 4
 Crucis materia primum lignea, postea argentea, & aurea. 22. nu. 7
 Crucis sanctæ officium quàm solemne. 315. nu. 3
 Crucis typum significat littera, T. 22. nu. 8
 Crucem figendi mos in extruendis ecclesijs Apostolorum sæculo. 7. nu. 7. & 19. nu. 2
 Crucem auri purissimi centum quinquaginta librarum Constantinus donauit. 22. nu. 7
 Crucem veneratus S. Petrus, obuensis vestigijs cruci affigi postulauit. 19. nu. 2
 Crucem quoque veneratus est S. Andreas. *ibid.*
 Cruce, & crucifixi imaginibus templa ornantur. *ibid.* num. 1
 Cypriani sancti locus explicatus. 228. nu. 6
 Cypriano sancto liber de duplici Martyrio falso ascriptus, & si lectu dignus sit. 53. nu. 3

D

- Dalmatica a quo instituta, quorum sit ea vti, & quid significet. 135. nu. 24
 Dalmatica cur formam crucis habeat, & quando eius vsus intermitteretur. *ibid.* nu. 26
 Dalmatica vnde dicta, & quando ceperit esse in vsu. *ibid.* nu. 27
 Decani. 77. nu. 15
 Dedicatio ecclesiarum ad Pontificem spectat. 83. nu. 5
 Dedicatio ecclesiarum singulis annis celebranda. 82. num. 2
 Dedicatio ecclesiarum apud sanctos Patres memoria. 52. nu. 1
 Defunctorum memoriam piam esse, & recte pro illis offerri sacrificium. 241. nu. 1
 Defunctorum animas Deo commendare semper in ecclesia vsitatum apud pios. 242. nu. 2
 Defunctorum non solum generatim, sed nominatim in Missæ sacro memoria fieri consuevit. 243. nu. 3
 Defunctorum commemoratio die tertio, septimo, nono, trigesimo, quadagesimo, & anniuersario fiebat 243. nu. 5
 Defunctorum Missæ in quibus discrepēt ab alijs. 245. num. 13.
 Defunctis omnibus an pro sit Missæ sacrificium, & an pro beatis, damnatis, & in limbo existentibus sit offerendum. 245. nu. 10. 11
 pro Defunctis Missæ particulares. 243. nu. 4
 Degradatus ad preces canonicas obligatur. 336. nu. 13
 Deuotio quid, & quàm necessaria, in recitatione diuini officij. 242. nu. 18
 Deuotio duplex interior, & exterior. *ibid.* nu. 19
 DEVS

I N D E X.

DEVS quare dicatur Zelotes.	17.nu.11	rere.	259.nu.10
Deus etsi vbiq; sit, & vbiq; adorari, & orari possit, in templis tamen præcipuo quodam cultu adoratur.	5.nu.1	Dominaciones quas habeant proprietates & officia.	189.nu.14
Deus cum vbiq; sit, qua ratione dicimus, eum esse in calis.	260.nu.13	Dominica in albis vnde nomen acceperit.	57.nu.40
Deus hominem sine homine beatitudine non donat, nec sine Deo homo sanctificatur.	264.nu.23	Dominicum proprie locus Deo facer.	2.nu.3
Dei voluntas per quinque signa nobis innotescit.	263.nu.20	Dominicum substantiæ pro sacrificij oblatione, siue Missa vsurpari Patrum auctoritatibus probatur.	2.nu.4
Dei voluntas fit, cum obeditur eius præceptis.	263.nu.22	Dominicum ab ecclesia an ex verbis Concilij Laodicæni discernatur.	2.nu.3
Dei gloria vtilitati propriæ præferenda.	260.nu.14	Dominicum domus Dei dicitur.	2.nu.3
Dei nomen sanctificari in hominibus, quid sit.	261.nu.15	Dominus vobiscum, salutatio videlicet sacerdotis ad populum vetustissima, & ab Apostolis tradita.	153.nu.1
Dei regnum quodnam sit intelligendum in oratione Dominica.	261.nu.17	Dominus vobiscum, salutatio in scripturis tam singulariter, quam pluraliter reperitur.	ibid.
Dei duplex voluntas beneplaciti, & signi, & de utraque.	263.nu.19	Dominus vobiscum, diuinitissimam salutationem appellat Dionys. Areopag.	ibid.
Deo gratias solent dicere monachi, dum hominibus occurrunt.	327.nu.10	Dominus vobiscum salutatione quando vtatur diaconus.	154.nu.4
ad Deum pia auctoris supplicatio.	261.nu.16	Dominus vobiscum salutio an vno tantum astante proferri debeat.	154.nu.5
Diabolus non natura malus, sed libera electione.	271.nu.49	Dominus vobiscum salutio præfationis initio, quid significet.	187.nu.3
Diabolus per excellentiam malus appellatur.	ibid.	Dominus vobiscum salutio cur vsitata in sacro Missæ.	177.nu.2
Diabolus vehementius tentando nocte infestat.	318.nu.9	Domus Dei Ecclesia.	3.nu.9
Diaconus accepturus codicem Euangelij petit benedictionem.	167.nu.5	Domus Dei, Dominicum dicitur.	2.nu.3
Diaconus suscipiens codicem Euangelij, quem ritum seruet.	ibid.nu.6	Dona ac data varie explicantur.	238.nu.3
Diaconus lecturus Euangelium, cur in altiore locum ascendit.	168.nu.11. & 12. & quam vetus sit ista consuetudo.	Dona munera, & sacrificia in canone Missæ idem significant.	200.nu.3
ibid.	ibid.	Donorum, & munerum variae explicationes.	ibid.nu.4
Diaconus lecturus Euangelium, cur faciem suam versus Aquilonem apponit, quo ritu populum salutet, & quibus verbis vtatur tum ipse, tum populus.	169.nu.14. & 15	Donatus Episcopus calicem fractum oratione facta restituit.	25.nu.1
Diaconus signo crucis quando vtatur.	ibid.nu.15	Dulciæ & latriæ distinctio antiquissima contra hereticos.	212.nu.2
Diaconus quando vtatur salutatione hac: Dominus vobiscum.	154.nu.4	Dulciæ acceptio varia.	ibid.nu.3
Diacono cur detur benedictio, dum est lecturus Euangelium, non autem subdiacono lecturo epistolam.	167.nu.5		
Diacono accessuro ad ambonem præeunt acoluthi.	167.nu.7	E	
Diaconi, & subdiaconi preces canonicas quotidie recitare tenentur.	334.nu.3	Ecclesia habet ordines & gradus diuersos pro varijs ecclesiasticis functionibus.	176.nu.7
Diaconi an possint Eucharistiam populo ministrare.	118.nu.3	Ecclesia in tanta membrorum diuersitate vna est.	201.nu.7
Diaconicum quid.	35.nu.3	Ecclesia peccatores, si non sint excommunicati, & schismatici, continet iuxta veritatem, & Patrum testimonia.	ibid.nu.9
Diptycha episcoporum tabellæ.	244.nu.9	Ecclesia sancta dicitur, licet peccatores contineat.	202.nu.10
Diptycha vnde dicta.	245.nu.9	Ecclesia vera habet, & salutifera sacramenta: extra eam tamen licet vera esse possint, non tamen salutifera.	ibid.nu.11
Diptycha tabulæ duplices dicebantur, & quid in singulis contineretur.	244.nu.9	Ecclesia vnde catholica sit dicta, & quod Romana vere catholica sit.	ibid.nu.12
Diptychorum mentio.	ibid.nu.8	Ecclesia, vt pacem habeat, & recte gubernetur, petitur in canone Missæ.	203.nu.3
Distributiones quotidianæ cur institutæ.	344.nu.4	Ecclesia in præfatione Missæ voces suas cum angelicis laudibus admitti merito postulat.	193.nu.27
Distributiones, manualia beneficia appellantur.	ibid.nu.3	Ecclesiam sanctam credimus, non in sanctam ecclesiam quomodo.	202.nu.10
Distributiones quotidianas amittunt, qui non intersunt horis canonicis.	ibid.nu.2	Ecclesia frequenter pro loco vbi fideles cultus Dei ergo conueniunt in scriptura vsurpatur.	2.nu.2
Distributionibus quotidianis in quantum priuenter absentes.	345.nu.5	Εκκλησία, & εκκλησιασθησιον differunt apud Isidorum Pelusiotam, & quomodo intelligatur.	ibid.nu.2
de Distributionibus certo modo lucrandis statuta aliquarum ecclesiarum improbantur.	ibid.nu.6	Ecclesia nisi dotata fuerit, non est consecranda.	86.nu.9.
Diuites quam se debeant erga pauperes modeste gerere.			

Ecclesia

I N D E X.

Ecclesia & Dominicum an differant ex verbis Concilij Laodiceni.	2.nu.3	Ecclesias consecrandi consuetudo antiquissima.	81.nu.1
Ecclesia basilica dicitur.	3.nu.8	in Ecclesijs perdita Christianorum aliquorum licentia religiose reprehenditur.	95.nu.6
Ecclesia domus Dei dicitur.	3.nu.9	Eleemosyna templorum ornatum præferenda est, si vigeret necessitas.	10.nu.4
Ecclesia interdum nauis interdum insula appellatur.	8.nu.2. & quare ibid.	Elibertini Concilij canon de picturis expeditur.	17. & 18.nu.11
Ecclesia a Græcis Martyrium appellatur.	3.nu.10	Elxæ impostoris infania.	9.nu.4
Ecclesia, quæ apud Græcos Martyrium dicitur, apud Latinos Confessio appellatur.	4.nu.10	Encenia vnde dicta, & quid.	82.nu.3
Ecclesia sacra ædes nuncupatur.	1.nu.1	Epheta quid.	52.nu.30
Εκκλησία Græce concionem significat, & omnium in vnum conuocationem.	ibid.	Episcopus a sacerdote & leuita ad altare deducitur, & quare.	48.nu.1
Ecclesia locus est ad orandum melior, etsi orationi vbiq; sit locus, & quare.	93.nu.3	Episcopus accedens ad altare baculum deponit, & Mitram.	139.nu.4
Ecclesiæ consecratio an requirat Missæ celebrationem.	86.nu.8	Episcopus hospitium procul ab ecclesia habere non debet.	340.nu.4
Ecclesiæ seu ædis sacræ mysticæ significationes.	35.nu.4. & 5	Episcopus etsi malus, episcopus est: & locus Clementis ea de re declaratur.	119.nu.6
Ecclesiæ res in quattuor partes diuisæ videntur.	27.nu.3	Episcopi præ ceteris a seculis in ecclesia esse debent.	340.nu.5
Ecclesiæ silentium maxime conuenit.	94.nu.5	Episcopi audiendis, dirimendisq; litibus, & molestissimis occupationibus implicabantur, nec ob id intermittebant legitimas preces.	ibid.6.7
Ecclesiam portabilem sibi construi fecit Constantinus, & quare.	4.nu.14	Episcoporum est, euangelium populo explicare.	167.nu.4
in Ecclesia viri a feminis seorsum sedent.	279.nu.7	Episcoporum vestimenta describuntur.	133.n.21. & seq.
in Ecclesia an fieri possint sodalitates, & pij conuentus.	96.nu.9	Epistola in Missarum solemnibus, temporibus Apostolorum, lecta fuisse ostenditur ex Patribus.	159.nu.1
Ecclesiæ quanta reuerentia ad eundem.	93.nu.4. & 94.nu.5. & 6	Epistola quandoque de nouo, quandoque de veteri testamento legitur.	160.nu.4
Ecclesiæ promiscue, & communiter templa appellantur.	3.nu.6	Epistola cur ante euangelium legatur.	161.nu.5
Ecclesiæ an sine sanctorum reliquijs consecrari possint.	88.nu.5	Epistola dum legitur sedent episcopus, ministri & populus, & quare.	ibid.nu.8
Ecclesiæ, quæ martyria dicuntur, etsi in honorem martyrum, soli tamen Deo proprie eriguntur.	4.nu.12	Epistolam legendi consuetudo perpetuo in ecclesia retenta.	159.nu.2. & 160.nu.5
Ecclesiarum religio vetat in eis fieri iudicia, emptiones, & venditiones & similia.	95.nu.7. & 96.nu.8	Epistolas per totum anni curriculum legendas S. Hieronymus collegit.	160.nu.3
Ecclesiarum ad orientem extructio ab Apostolis emanauit.	8.nu.3	Et cum spiritu tuo, responsio ministri ad salutationem, Dominus vobiscum, quid significet, origo eius, & apud quos patres in vsu fuerit.	153.nu.3
Ecclesiarum dedicatio ad quos spectet.	83.nu.5	Euangelium populo explicare episcoporum est.	167.nu.4
Ecclesiarum violatarum reconciliatio.	86.nu.10	Euangelium in Missa legendum ex auctoritatibus patrum.	166.nu.1
Ecclesiarum violationem aliquid mali portendere quomodo.	86.nu.10	Euangelium dum legitur baculi, & arma deponuntur.	171.nu.21
Ecclesiarum consecratarum ingressio delet venialia.	87.nu.10	Euangelium dum legitur tam episcopus, quam omnes alij clerici, & laici stantes audire debent.	170.nu.17
Ecclesiarum religio & immunitas de non extrahendis, qui ad eas confugiunt.	96.nu.9	Euangelium lecturus cur faciem suam versus aquilonem apponit.	169.nu.14
Ecclesiarum immunitas iure asyli, cur apud Gallos, vbi Iudex mandat, non seruetur.	97.nu.11	Euangelium lecturus crucis signo vtatur.	ibid.nu.15
Ecclesiarum dedicatio apud Patres.	82.nu.1	Euangelium lecturo diacono cur potius benedictio detur, quam subdiacono epistolæ lecturo.	167.nu.5
Ecclesiarum dedicatio singulis annis celebranda.	ibid.nu.2	Euangelium lecturus diaconus cur in altiore locum ascendat, & hoc vetustissimum esse.	168.nu.11. & 12.
Ecclesiarum forma oblonga, & in modum nauis, & quid nos doceat.	8.nu.1. & 2.	Euangelij codicem accepturus diaconus postulat benedictionem, & suscipiens codicem quo ritu vtatur.	167.nu.5. & 6
Ecclesijs barbari vis asyli conseruabant.	97.nu.9	Euangelij liber quo in honore habendus.	171.nu.22
Ecclesijs præsentem Angeli.	92.nu.2	Euangelij codices & chartæ miracula ediderunt.	ibid.
Ecclesias consecrandi variae causæ.	83.nu.6. & 7	Euangelij codicem cum veneramus, quid veneremur.	ibid.
Ecclesias consecrandi varij ritus, & eorum significatio.	84.nu.8. & seq.	Eucharistia sacramentum est etiam extra vsum: idq; auctoritatibus probatur.	40.nu.8
Ecclesias extrui vetitum, nisi prius episcopus orationem ibi faciat, & venerabilem figat crucem.	7.nu.7	Eucharistia sacrificium est.	36.nu.1
Ecclesias, qui non tam frequentant, quam theatra, reprehenduntur.	92.nu.2. & seq.	Eucharistia in arcula obseruari solita, & quas ob causas.	39.nu.1
Ecclesias Christianis tribui ab antiquis, templa verò Ethnicis, nonnulli obseruarunt.	3.nu.6		

b

Eucha-

Eucharistia solum a sacerdote in os sumentis immit-
tenda. 41. nu. 12
Eucharistia semper de manu sacerdotum ab alijs est
accepta. 41. nu. 12. & seq.
Eucharistia quare sepe super altare obseruata. 40. n. 6
Eucharistia an in azimo conficienda, an in fermenta-
to. 217. nu. 5
Eucharistia quare asseruari solita. 41. n. 11
Eucharistia in domibus olim asseruabatur. ibid.
Eucharistia quomodo panis quotidianus. 266. nu. 29
Eucharistia cur sub duplici specie panis, & vini con-
secretur. 232. nu. 4
Eucharistia dum sumebatur, canebatur psalmus vel
antiphona. 288. nu. 20
Eucharistia si delet peccata cur puritatem conscien-
tia in communicante requirat. 289. nu. 23
Eucharistia an poenam deleat, & qua ratione nos mu-
niat contra futura peccata, & tentationes. 289. n. 24
Eucharistia apposite viaticum vocatur. 290. n. 25
Eucharistia quibus non deneganda. ibid. nu. 26
Eucharistia iam confecta an recte benedicatur a sacer-
dote. 238. n. 5
Eucharistia adoranda est etiam a non communican-
tibus. 229. nu. 4. & 230. nu. 5
Eucharistia ab angelis adoratur. 230. nu. 6
Eucharistia in columba aurea vel argentea super al-
tare appendebatur, & de alijs modis quibus custo-
diri solita est. 40. nu. 4. & 5
Eucharistia idest gratiarum actio. 219. n. 14
Eucharistia offertur, & editur in memoriam Christi,
236. nu. 16
Eucharistia consecrata tantum habet sub fragmento,
quantum in tota continetur. 274. nu. 3
Eucharistia eleuatio, quam fuerit semper in ecclesia
vfitata. 229. nu. 2
Eucharistia eleuanda causa, & ratio inquiritur. 229. 3
Eucharistia eleuatio quibus olim fiebat ritibus. 230. n. 7
Eucharistia fructus quidam explicantur. 288. nu. 22
Eucharistia consecrandae forma ea est, & semper fuit,
qua nunc ecclesia Romana vtitur. 221. n. 1. & 2
Eucharistia forma cum proferretur a sacerdote, po-
pulus respondebat, Amen. ibid. nu. 2
Eucharistia forma ratione ostenditur. 222. nu. 3
Eucharistia forma alia verba praecedunt, & aliqua se-
quuntur, & an sint necessaria ad consecrationem. ibid. n. 5
Eucharistia forma quanta cum attentione & reueren-
tia proferenda. ibid. nu. 4
Eucharistia veritas Concilij comprobatur. 223. nu.
8. & seq.
Eucharistia materia in forma rotunda antiquissima
res est. 217. nu. 6
Eucharistia designatus panis sit mundus, & sine sa-
le. 218. nu. 7
Eucharistia in sacramento Christus continetur non
circumscribitur. 215. nu. 3
Eucharistia renouatio de septimo in septimum diem
quomodo facienda. 40. nu. 6
Eucharistia veritas illustribus comprobatur miracu-
lis. 225. nu. 12
Eucharistia sacramenti materia panis, & vinum. 217.
num. 3
Eucharistia sacramentum conficiendum quis pa-
nis sit aptus. ibid. nu. 4
Eucharistia reliquia in pastophoria inferebantur. 40.
num. 7
Eucharistia miracula. 41. nu. 11
Eucharistia inspiciendo peccatores non peccant, &
cur non sit par causa inspicientis, & sumentis. 231. n. 8
Eucharistiam Christus post cenam dedit, nunc autem
ieiunis danda. 232. nu. 1
Eucharistiam, hereticorum argumenta sol-
uuntur. 227. nu. 13. & seq. & 228
Eucharistiam haereticorum amentia. 223. nu. 6
Eucharistiam suscepturus tripliciter mundus esse de-
bet. 33. nu. 6
Eucharistiam modo laici nuda manu non attingunt,
nec eam domum deferunt, vt olim. 287. nu. 18
Eucharistiam quo gestu fideles percipere debeant.
288. nu. 19
Eucharistiam statim post baptismum dari solita ba-
ptizatis ex auctoritatibus Patrum. 58. nu. 44. idem
modo a Graecis seruatur. ibid.
Eucharistiam manducandi duplex modus. 220. n. 18
Eucharistiam sumpturi linteamen nitidum ante pe-
ctus induimus. 42. nu. 11
Eucharistiam domum deferendi consuetudo anti-
quata. 42. nu. 12
Eucharistia confecta, non remanet substantia panis,
& quid de accidentibus. 223. nu. 7
Eucharistia sub vtraque specie Innocenti locus
explicatur. 233. nu. 5
Eustachius Martyr quomodo ad Christi fidem con-
uerfus. 23. nu. 9
Excommunicatus beneficiarius ad preces canonicas
tenetur. 336. nu. 11
Excommunicatus horas recitando dicere non debet,
Dominus vobiscum. ibid. nu. 12
Exequiae mortuorum multis ac varijs ritibus celebra-
ri probantur. 77. vsque ad 81
Exequiae mortuorum ob quem finem sint. 75. nu. 11
Exequias mortuorum improbant haeretici, & eorum
figmenta refelluntur. 81. nu. 16
Exorcismus in baptismo quibus peragatur, 50. num.
22. & seq.
Exufflationis vsus in baptismo. 51. nu. 22

F

Facere idem saepe quod sacrificare. 110. n. 2. & 235. 12
Fana apud Gentiles vnde dicta, & quid. 83. nu. 6
Felix Aurelianus Iconomachus, & Nestorianus.
18. nu. 13.
Felicis Aurelianus haeresis in Concilio Francor.
damnata. ibid.
Femina a viris in ecclesijs segreganda. 44. nu. 2
Feretrum ligneum. 77. nu. 14
Feretrum quid. 177. nu. 3
Feretrum in nobilibus aureo velamento, quo cadauer
obtegeretur, ornabatur. 77. nu. 14
Fertum quid. 177. nu. 3
Festis diebus tepla frequenda non theatra. 166. n. 2
Filius Dei cum patre ab eterno regnans vnus cum
ipso habet, & potestatem & substantiam. 157. n. 17
Flabellum quid significet, & flabelli vsus in ecclesia
receptus. 31. nu. 1
Flabelli apud Hieronymum, & alios patres interpre-
tatio moralis. 31. nu. 2
Flagellantium haeresis. 71. nu. 4
Fons vnus qui baptisterium appellabatur in singulis
urbibus erat antiquitus. 46. nu. 3
Fraternitates pro collegijs Christianorum vtriusque
tur. 96. nu. 9
Fratres quid sint. ibid.
Frons verecundiae sedes. 64. nu. 16
Frontis vnctio in sacramento confirmationis. 64. nu.
16. & 17. Gabriel

Gabriel quid interpretetur. 119. nu. 1
Gabrielis metio in scripturis, & eius officia. ibid.
Gallus in summitate turris sacrae effingi solitus. quid
mystice significet. 73. nu. 8
Gallia status hodiernus deploratur, cum insigni apo-
strophe ad tutelarem angelum. 191. nu. 21
Genouessa sancta saepe agrotos oleo vnxit; eosq. sana-
uit. 66. nu. 22
Genua stectendi vsus vestissimus. 342. nu. 20
Genua an stectenda diebus Dominicis, & quibusdam
alijs. 343. nu. 21
Genua stectenda, du ostenditur Eucharistia. ibid. n. 22
Gloria in excelsis, hymnus a quo primum institutus.
151. nu. 1
Gloria in excelsis dum cantatur, cur sacerdos oriente
respiciat. 151. nu. 2
Gloria in excelsis inchoando sacerdos, & chorus re-
spondendo, quam personam gerant. ibid. nu. 3
Gloria in excelsis, quibus diebus in ecclesia cani, vel
intermitti debeat. ibid. nu. 4
Gloria Patri, & Filio, etc. quando, & ob quas causas
cantari ceperit. 322. nu. 1
Gloria Patri & c. Nicanae fidei consonat, & in fine psal-
morum canitur. ibid. nu. 2
Gloria Patri & c. in fine psalmorum vario cantatur ri-
tu. ibid. nu. 3
Gloria Patri & c. quando in ecclesia cantari soleat, &
quando reticere. 223. nu. 4
Gloria Patri & c. qua formula recitaretur ab Hispa-
nis. 323. nu. 3
Gorgonia miraculose a morbo liberata. 41. n. 11
Graduale inter epistolam, & euangelium decantari
cur agre ab Hispanis receptum. 162. nu. 1
Graduale poenitentiae lamentum significat, & vnde di-
ctum sit. 162. nu. 2. & 4
Graduale in officio Missae idem est quod responsorium.
ibid. nu. 3
Gradualis primus institutor. 162. nu. 7
Gratiae Deo agendae quando, & quibus de causis. 188. n. 7
Gratiarum actio Deo patri per Filium offertur.
ibid. num. 8
Gratiarum actio commendatur omnibus, & maxime
in Missa. 219. nu. 13
Gratias agamus Domino Deo nostro, praefationis ver-
ba explicantur. 187. nu. 6
Gregorius sanctus, pacis, & vitae aeternae petitionem
in canone Missae adiecit. 213. nu. 6

H

Haeretici huius temporis refelluntur. 248. n. 11
Haeretici & schismatici a fructu sacrificij Missae
quibus verbis canonis excludantur. 205. nu. 19
Haereticorum argumenta contra imagines refutantur.
16. & 17. nu. 9. & seq.
Haereticis peculiare, & hereditarium semper fuit tem-
pla destruere. 7. nu. 5
Halleluia quare post graduale cantatur. 162. nu. 1
Halleluia cur ab omnibus Hebraice decantetur. 163. n. 2
Halleluia quid proprie significet. ibid. nu. 3
Halleluia quoties, & quo tempore dicatur. ibid. nu. 5
Halleluia cur non semper canitur, & in quadragesima
reticetur. 164. nu. 6. & 7
Halleluia quid differat a tractu. 165. nu. 3
Halleluiatici psalmi qui sint apud S. August. 163. nu. 4
Hebraeorum littera immutata ab Esdra. 22. nu. 8
Heliogabalus basilicam Vaticanam ab Anacleto in
honorem S. Petri edificatam destruxit. 6. nu. 4
Hieronymi sancti auctoritates, quibus abutitur haere-
tici contra templorum ornatum, explicantur. 10. n. 3
Hilarion percussos a venenatis animalibus oleo bene-
dicto sanos faciebat. 66. nu. 22
Hoc age, prouerbum, vnde. 187. nu. 5
Hodie in oratione Dominica quid significet. 267. n. 33
Homo quomodo peccatorem merito se cognoscere
debeat. 268. nu. 36
Homo sine Deo non sanctificatur. 264. nu. 23
Hominis miseria est, cum illo non esse, sine quo non
potest esse. 187. nu. 3
Hominibus singulis singuli angeli praesunt. 192. n. 24
Hominibus singulis bim angeli assistunt. ibid.
Hora vnde dicta, & quid significet apud auctores, etiam
profanos. 296. nu. 2
Hora est vigesima quarta pars diei naturalis. ibid. n. 3
Horae canonicae sunt dictae varijs de causis, quae recen-
sentur cumulate. 297. nu. 4
Horae etymologiae variae. 296. nu. 3
Horae orandi cur sint ab ecclesia definitae. 297. nu. 3
Horae canonicae ante tempora Hieronymi & Gelasij
in vsu fuerunt. 300. nu. 7
Horarum canonicarum definitiones, & etymologiae
male a quibusdam traditae. 296. n. 1
Horarum canonicarum octonarius numerus & Patrum te-
stimonij, & nonnullis rationibus probatur. 300. n. 1
Horarum canonicarum numerus deciditur. 301. nu. 3
Horis certis orandi ratio ostenditur ex sacris litteris,
& Patribus. 298. nu. 4
Horis certis orare, & laicis vtile, & a plerisque vfitat-
um, & commendatum. 299. nu. 5
Horas canonicas esse tantum septem, qui auctores af-
firmant. 300. nu. 2
Horas diurnas, & nocturnas Christiani veteres cultui
diuino impertiebant. 302. nu. 1
Vide plura, in ver. Preces, Prima, Tertia, Sexta, Nona.
Hofanna vox Hebraea egregie explicatur. 196. nu. 32
Hospitius sacerdos mutus, caecus, ac daemioniacus oleo
benedictione sanctificato curabat. 66. nu. 22
Hostia in tres partes diuiditur. 274. nu. 5
Hostia cur in partes inaequales diuidatur. 275. nu. 10
Hostiae fractio probatur ex Patribus. 274. nu. 1
per Hostiae partes Christus manducatur, & manet in-
teger. ibid. nu. 2
Hostiae tres particulae non tria continent corpora, sed
vnum. ibid. nu. 4
Hostiae partes fractae, quam habeant singulae significa-
tionem. 275. nu. 6
Hostiae fractio ipsa quid designet. 275. nu. 7
Hostiae fractio a quibus instituta. ibid. n. 8
Hostiae pars non referuatur, vt olim, ad finem Missae.
ibid. num. 9
Hymni ecclesiastici qui dicendi sint ex Augustino, &
alijs. 321. nu. 1
Hymni matutini, & vespertini. 322. nu. 6
Hymnorum in ecclesia antiquitas probatur. ibid. n. 2
Hymnorum quorundam auctor S. Ambrosius. 321. n. 5
Hymnorum cantu commendare populo suum deg-
ma conati sunt Arriani. 321. nu. 7
Hymnos Apostoli, & qui deinde sequuti sunt duces
ecclesiae, cecinerunt. 321. nu. 3

b 2 Hymnos

I N D E X.

Hymnos ecclesiasticos, qui Patres scripserint. 22. n. 8
 Hymnos ecclesiasticos explodens. Paulus Sormofate-
 nus damnatur in Concilio Antiocheno. 321. nu. 4

I
 Iacobus Zebedæi templum Deipare, Cæsaraugustæ
 primum ædificauit. 6. nu. 4
 Iaculatoriæ orationes. 340. nu. 9
 Idolum aliud a similitudine. 17. nu. 10
 Idolum apud Hebræos idē quod vacuū, & inane. ibid.
 Idoli vox ad sacras imagines referri non potest. 16. &
 17. num. 10
 Ignis cur in cærimonijs ecclesiæ adhibetur. 57. nu. 42
 Imago Dei Patris, & Spiritus sancti an depingi debeat
 12. & 13. nu. 2
 Imago Christi Veronicæ sudario impressa. 12. nu. 1
 Imago crucifixi in templis cur spectet ad occasum.
 9. nu. 5
 Imago Christi, quam Nicodemus Gamalieli dono de-
 dit, & alia de ea. 12. nu. 1
 Imago Christi, quam mulier a profluuiio sanguinis li-
 berata erexit. ibid.
 Imago Christi Abagaro missa auctoritatibus ostendi-
 tur. 11. & 12. nu. 1
 Imagines quatuor Christi, adhuc eo superstite, factæ.
 ibidem.
 Imagines Christi externas Manichæi detestabantur.
 18. nu. 13
 Imagines B. Mariæ Virginis variæ, & miracula ad eas
 edita. 13. nu. 3
 Imagines Apostolorum, & aliorum sanctorum con-
 numerantur. 13. & 14. nu. 4
 Imagines ad pietatem excitant. 15. nu. 6
 Imagines, beneficiorum Dei, passionum Christi, &
 martyrum, ac rerum a sanctis præclare gestarum
 memoriam renouant. ibid.
 Imagines sacras impugnantium conditio. 18. nu. 13
 contra Imagines hæreticorum argumenta proponun-
 tur, & soluuntur. 16. & 17. nu. 9. & seq.
 Imaginum vsus valde vtilis ecclesiæ. 14. 15. n. 6
 Imaginum veneratio multis synodis comprobatur.
 15. & 16. nu. 7
 Imaginum veneratio miraculis confirmatur. 16. nu. 8
 Imaginum Christi, S. Mariæ & sanctorum, antiquissi-
 mus in ecclesia vsus. 11. 12. nu. 1
 Imaginibus sanctorum cur appingatur corona, & ra-
 dij solares, Angelorum vero alæ. 14. n. 5
 Immersio trina in baptismo mystice quid. 55. nu. 36
 Imperatorum in ecclesia locus dum diuinis interfunt
 43. nu. 5
 Incensum quando apponendum, & de oratione subse-
 quente. 183. nu. 1
 Inclinatio Sacerdotis ante sacrificij oblationem quid
 significet. 183. nu. 2
 Incolumitas est sanitatis integritas. 208. nu. 10
 Infirmittas corporalis sæpe causa est peccati reatus.
 208. nu. 11
 Inimicus etiam non rogantibus veniam, est condonan-
 dum. 269. nu. 42
 Inimicis non solum iniuria condonanda, sed etiam
 amoris signa exhibenda. 270. n. 44
 Innocentij locus de Eucharistia sub vtraque specie
 explicatur. 233. nu. 5
 Introibo ad altare Dei, initio Missæ dici, vetus, & vti-
 tatum. 147. num. 4

Introitus Missæ, quid & vnde dictus. 146. nu. 1.
 Introitus Missæ quid significet. ibid. nu. 2.
 Introitus Missæ quis fuerit primus institutor. 147. n. 3.
 Ioannes XXII. liberatur a calumnia ei illata de beati-
 tudine amimarum sanctorum. 262
 Ioannis Eleemosynarij circa egrotos cura & charitas
 67. nu. 23
 Ioanni Apostolo adhuc superstiti basilica ædificata.
 6. nu. 4
 Ionas Aurelianensis tres libros pro imaginibus con-
 tra Claudium Taurinensem scripsit. 19. n. 13
 Ite Missa est quid significet. 291. nu. 2. & 99. n. 5
 Ite Missa est verbis, non semper concluditur sacrum.
 292. nu. 5
 post Ite Missa est, & Benedicamus Domino, respon-
 deri solet a populo, Deo gratias. ibid. nu. 6
 Ite in pace, apud Patres post sacrum in vsu fuit. 291.
 num. 4
 Iudas an cum alijs apostolis Eucharistiam acceperit
 220. nu. 16
 Iudam sub buccella panis corpus Christi accepisse
 credentes damnantur ab Augustino, & alijs. ibid.
 Iuliani Præfecti contra sanctum altare irreuerentia
 grauissimo supplicio vindicata. 38. nu. 12
 Iuo carnontensis epistola. 257. de vntione in firmorū
 non reperenda, caute legendus. 69. nu. 28
 Iustinianus varias extruxit ecclesias. 6. nu. 4

K

K *Κυριακόν*. 39. nu. 2
Κυριακόν Domus Dei, siue Dominicum. 2. nu. 3
 Kyrieleison cur Græce a Latinis proferatur, & vice
 versa. 150. nu. 1. & 8
 Kyrieleison recitandi consuetudo vnde. ibid. nu. 2
 Kyrieleison cur nouis recitetur. ibid. nu. 4
 Kyrieleison aliter, quàm nunc, in Ambrosiana litur-
 gia recitabatur. 151. nu. 5
 Kyrieleison verborum magna efficacia. ibid. nu. 6
 Kyrieleison qui recitat memor & ipse misericordix
 esse debet. ibid. nu. 7

L

L Abari forma. 20. nu. 4
 Laici olim iubente Episcopo passim prædica-
 bant. 176. nu. 8
 Laici an prædicare possint saltem religiosi. ibid. nu. 9
 Lateranense concilium sub Innocentio. III. celebre.
 224. nu. 11.
 Latria vnicō verbo Latine dici non potest. 212. nu. 2
 Latria quid sit, & vnde dicta. ibid. nu. 3
 Latria mystica, Missa. 213. nu. 5
 Latriæ adoratio an sit exhibenda humanitati Christi.
 212. nu. 4
 Latriæ, & dulciæ distinctio antiquissima quidquid hæ-
 retici obganniant. 212. nu. 2
 Lauretana ædes B. Mariæ Virginis. 6. nu. 4
 Lecticarij. 77. nu. 15
 Lektionarius liber a S. Hieronymo cōpositus. 160. n. 3
 Lectiones Apostolicæ ante celebrationem sacrificij a
 quo institutæ. 161. nu. 6
 Lectiones quibus in ecclesia ministris committi de-
 beant. ibid. nu. 7
 Lectiones, quæ in diuinis officijs, differunt a lectioni-
 bus, quæ sunt in Missa. 326. nu. 1
 Lectio

I N D E X.

Lectiones in diuinis officijs recitare antiquissima in-
 stitutio. ibid. nu. 2
 Lectiones in nocturnis quales. ibid. nu. 4
 Lectionem nocturnam lecturus quibus verbis postu-
 let benedictionem. ibid. nu. 5
 ante Lectionem iubetur silentium. ibid. n. 7
 in Lectionem sine quid dicat lector. 327. nu. 9
 Lectionem audituri crucis signo frontē terere debēt.
 ibid. nu. 8
 Lectionis loco olim moris fuit recitare libellum, ali-
 quod insigne miraculum continentem. 326. nu. 3
 Legi quæ debeant in ecclesia. ibid.
 Legitimum quid. 198. nu. 2
 Leo Pāpā primus verba illa, Sanctum sacrificium, im-
 maculatam hostiam, canoni Missæ adiecit. 239. n. 9
 Leo Armenus Imperator, iconomachus. 18. nu. 3
 Leonis Isaurici in sanctas imagines impius furor. 18.
 num. 13
 Libellati qui appellarentur. 29. nu. 4
 Liber, ordo Romanus, inscriptus antiquissim⁹. 25. n. 3
 Lineæ vestes in vsu apud sacerdotes gētiliū. 130. n. 10
 Litteræ Hebræorum immutata ab Esdra. 22. nu. 8
 Liturgia quid. 101. nu. 8
 Liturgia, diuina traditio. 110. nu. 4
 Liturgia S. Petri. ibid. nu. 5
 Liturgia S. Iacobi. ibid. nu. 6
 Liturgia S. Marci. 111. n. 8
 Liturgiæ Apostolorum, ac veterum Patrum recensē-
 tur. ibid. nu. 9
 Locus generaliter in obseruatione præceptorū obser-
 uari debet. 339. nu. 1
 Lollardorum hæresis. 71. nu. 4
 Lucernæ quæ dicerentur, & quomodo a candelabro
 different. 26. nu. 2
 Lucernarum vsus in ecclesia. ibid. n. 1
 Lucernarum vsus in ecclesia non improbat a La-
 tino, Hieronymo, & Concilio Elibertino. 23. n. 5
 Lucernaria horæ antiqui Patres meminerūt. 316. n. 6
 Lucernalis hora quare dicta. ibid.
 Lucinae Sanctæ domus a Marcello primo consecratur
 82. nu. 1
 Lumina ante imagines sanctorum, & quid mystice si-
 gnificent. 31. nu. 11
 Lumina in æde sacra a Gentilibus honoris ergo posi-
 ta. 27. nu. 3
 Luminū vsus in sepeliēdis mortuis. 76. 77. & 78. n. 15
 Luminum significatio mystica in sepeliēdis mortuis
 78. nu. 15
 Luminaria circa, miracula, & veterum liberalitas. 27
 num. 3. & seq.
 Lutheranorū commentum de Missa publica. 113. n. 3

M

M Acharius virginem nobilem iamdiu paralyti-
 cā oleo sancto vnxit, eamq. sanauit. 66. nu. 22
 Maia quænam sint, pro quibus rogat ecclesia quæ itē
 præterita, præsentia, & futura. 272. nu. 1
 Mali nomine, quid intelligendum sit in Dominica
 oratione. 271. n. 49
 Mali an arceantur a comunione. 220. nu. 17
 Malluua, quæ vasa sint. 70. nu. 1
 Mane vnde dictum, & quæ pars diei. 311. nu. 6
 Manichæi hæretici, imagines Christi externas dete-
 stabantur. 18. nu. 13
 Manipulus, siue mappula quid significet, eius nomi-

na, & vsus. 132. nu. 16
 Manus impositio triplex. 61. nu. 8
 Manus impositio in absolutione. 52. nu. 27
 Manus impositio in baptizadis quid significaret. ibid.
 Manus impositio sacerdotis, in caput baptizandi anti-
 qua in ecclesia. 52. nu. 6
 Manuum extensio inter sacrificandum quid designet.
 237. nu. 2
 Manuum ablutio, vide, Ablutio.
 Manibus illotis prouerbium. 182. nu. 7
 Marcellus Papa primus Lucinæ ecclesiam consecratur.
 82. nu. 1
 Maria Virgo principem in sanctorum commemora-
 tione locum obtinet, & quantis sit laudibus digna.
 210. nu. 7. & seq.
 Maria Virgo, quibus apud Patres insignita nominibus
 211. nu. 8
 Maria, Virgo, & Martyr. ibid. nu. 9
 Mariæ Virginis imagines variæ, & miracula ad eas
 edita. 13. nu. 3
 Mariæ Virginis inuocatio quàm sit salutaris & ab om-
 nibus studiosissime retinenda. 318. n. 10
 Mariæ Virginis Lauretana ædes. 6. nu. 4
 Mariæ Virginis exequiæ. 77. nu. 15
 Mariæ Virgini templum a Iacobo Zebedæo Cæsaraug-
 gustæ primum ædificatum. 6. nu. 4
 Mariæ Virgini multa tēpla, & a diuersis ædificata. ibid.
 Maria Aegyptiaca, sumptu Eucharistia, canticum,
 Nunc dimittis protulit. 41. nu. 11
 Martinus Polonus refellitur. 43. nu. 5
 Martyr testem, siue confessorem significat. 4. num. 10
 Martyres qui dicerentur in primitiua ecclesia, & qui
 confessores. 4. nu. 11. & 12
 Martyrum reliquias quare adoremus. 6. nu. 3
 Martyrum oratoria Martyria dicuntur a Chrysosto-
 mo. 4. nu. 10
 Martyrium ea ecclesia dicitur apud Græcos, quæ apud
 Latinos appellatur, confessio. ibid.
 Martyrium quid. 3. nu. 10
 Martyrium magnum, templum a Constantino Hie-
 rosolymis in caluariæ loco exdificatum. 3. & 4. n.
 10. & 82. nu. 1. & quare 4. nu. 10
 Martyrium Apostolorum, basilica Vaticana dicitur,
 a S. Chrysostomo. 3. nu. 10
 Martyrium Stephani pro loco, vbi colebatur Martyr
 Stephanus ab Aug. vsurpatur. 3. nu. 10
 Martyria, oratoria Martyrum dicuntur a Chrysosto-
 mo. 4. nu. 10
 Martyria, etsi in honorem Martyrum, soli tamē Deo
 proprie eriguntur. 4. nu. 12
 Matthæi locus cap. 5. exponitur. 271. nu. 50
 Melchisedech sacrificium, typus sacrificij Christi.
 217. nu. 2
 Memento Domine famulorum &c. verba canonis
 Missæ explicantur. 206. & seq.
 Meminit sacerdos in Missa eorum, pro quibus sacrifici-
 cium offert. 206. nu. 1
 Meminisse Dei adiuuare est. ibid. nu. 2
 Messaliani hæretici de sēper orando refutatur. 297. n. 1
 Michael quid significet. 190. nu. 17
 Michael olim synagoga, nūc ecclesiæ præest. ibid. n. 18
 Michael piorū animas e corporis ergastulo, & pur-
 gatorio exemptas deducit ad cælum. ibid.
 Michaelis apparitiones variæ. 191. nu. 19
 Michaelis sancti, ordo militaris institutus in Gallia a
 Ludouico XI. 191. nu. 20

Michæli præcipue Gallici regni tutela commissa est, 190. nu. 19
 Michael Balbus Imperator, Economachus, & festinâ fecliarum fuit, 118. nu. 13
 Minoritarum indultum de sacramento Eucharistia & extremæ vnctionis conferendo, 67. nu. 23
 Missa quoties eodem die celebrari possit ab vno sacerdote, & quibus permiffum fit, Missam sæpius celebrare, 124. nu. 8. & 9
 Missa singulari pietate, ac religione celebrari debet, 125. nu. 1
 Missa an sit Latinum, an Hebræum nomen, 98. nu. 1
 Missa vnde dicta, ibid.
 Missa cathecumenorum quare dicta, ibid. nu. 2
 Missa an post meridiem, nec non post nonam celebrari possit, 113. nu. 3
 Missa non potest celebrari nisi a ieiuno, & quæ sit pena hæc de re statuta, ibid. nu. 4. & 5
 Missa a duplici missione secundum aliquos dicta, 99. nu. 4
 Missa quæ, & cur sicca, & nautica dicatur, 116. nu. 7. & seq.
 Missa pro missione, 99. nu. 4
 Missa Vigilium, ibid.
 Missa pro sacrificio antiquissimum apud Latinos Patres nomen, 99. nu. 5. & 100. per tot.
 Missa, ex æguis immolatio appellatur ab Athanasio, 80
 Missa, cum sepelirentur defuncti, celebrabatur, 80 & Patrum auctoritate probatur, ibid.
 Missa latria mystica, 213. nu. 15
 Missa an celebrari possit vno tantum, vel etiam nullo astante, 154. nu. 5
 Missa, cur dicatur mysterium altaris, 291. nu. 3
 Missa qua parte cathecumeni foras mitterentur, 99. nu. 2. & 3.
 Missa sacrificium non vnus tantum personæ, sed militantis ecclesiæ, 246. nu. 2
 Missa sacrificium a Christo institutum, 109. nu. 1. & 110. nu. 2. & 3
 Missa sacrificium, hoc est in Missa offerri Deum verum, & proprium sacrificium, qui hæretici negent, 101. nu. 1
 Missa sacrificium afferunt multi sancti Patres, ibid. & seq. tum etiam concilia 105. nu. 2. & seq. prædicunt propheta, 106. nu. 4
 Missa sacrificium cur iteretur, cum semel passus sit Christus, 235. nu. 13
 Missa sacrificium merito esse, & fuisse semper in ecclesia quotidianum, ac iuge, ibid. nu. 14
 Missa sacrificium offerre semper fuit liberum populo non communicante, 114. nu. 5
 Missa sacrificium ratione probatur, 107. nu. 7
 Missa sacrificium in primis pro ecclesia offertur, 201. nu. 7
 Missa sacrum an fieri possit ante matutinâ recitationem, 341. nu. 13
 Missa sacrum totum est gratiarum actio, 198. nu. 3
 Missa sacrificio, quoties intererant catholici, nūquā communicare sacramentaliter cogebantur, 114. nu. 5
 Missa nomen Gregorij sæculo confictum, hæreticorum est figmentum, 200. nu. 7
 in Missa sacrificio quæ potissimum Christi mysteria recolantur, 237. nu. 1
 Missa solitaria, canones, qui videntur aduersari, declarantur, 115. nu. 6. & seq.
 Missa apud Græcos Patres varia nomina, 101. nu. 8

Missam quotidie celebrabant in orientali, & occidentali ecclesia presbyteri & episcopi, 114. nu. 5. & seq.
 Missam celebrare solis sacerdotibus rite ordinatis permiffum, 117. nu. 1
 Ex concilijs idem ostenditur, pag. seq.
 Missam quæ orationes præcedere debeant, 126. nu. 4
 ante Missâ, sancti Carpi mirabilis præparatio, ibid. nu. 5
 Missam celebraturus sacerdos cur, & quoties manus abluat, ibid. nu. 6
 de Missa publica Lutheranorum, 113. nu. 3
 Missa publicæ quæ sint, quæve priuatæ, ibid.
 Missa defunctorum cur non habeant pacis osculum, 278. nu. 6
 Missa extra sacras eedes non sunt celebrandæ, 120. nu. 1
 Missa an in oratorijs piorum virorum peragi possint, ibid. nu. 2
 Missa an in priuatis ædibus permittente Episcopo, vel vbi premit necessitas celebrandæ, 121. nu. 3
 Missa in priuatis ædibus celebrari poterant, Martyrum sæculo, 121. nu. 4
 Missa in mari, & fluminibus cur nõ celebrandæ, ibid. nu. 5
 Missa omnes publicæ sunt, aliquæ tamen particulares vocantur, & quare, 113. nu. 3
 Missa sollempnes cur tribus potissimum horis celebrandæ, 122. nu. 1
 Missa particulares vsque ad quam diei horam celebrari possint, ibid. nu. 2
 Missarum sollempnijs quotidie interesse salutare est, 207. nu. 5. & quare, ibid.
 Missarum publicarum, & particularium tam in Concilijs, quàm in Patrum scriptis mentio, 113. nu. 1
 Mitra quibus nominibus appelletur, & quod in vtroque testamento, & apud Gentiles fuerit in vsu, 136. nu. 30
 Mitra significatio, & forma explicatur, ibid. nu. 31. & 137. nu. 3
 Mitram deponere debet episcopus oraturus, & quare, 137. nu. 34
 Mitram Papa gestat, ibid. nu. 36
 de Mitra episcopali hæreticorum impudentia reprehenditur, 136. nu. 22
 Mitra vtuntur abbates ex priuilegio, etiam præsentem episcopo, 137. nu. 35
 Mittentes qui dicerentur, 29. nu. 5
 Monachi professi ad deseruendum in choro ad preces canonicas obligantur, 335. nu. 5
 Monachi dum hominibus occurrunt dicere solent, Deo gratias, & huius rei origo, 327. nu. 10
 Moniales ad preces canonicas obligantur, 335. nu. 6
 Monita salutaria quæ dicantur, 256
 Mors somno comparata, 74. nu. 2
 Mortui Christiani dormire dicuntur, ibid.
 Mortuorum cadauera in vestibulo ædium statim post obitum collocare solent Lutetia, 77. nu. 14
 Mortuorum oculos occludere, & ora obturare apud veteres consuetum, 76. nu. 14
 Mortuorū corpora vncta, findone obuoluta, loculoque condita in cenaculis veteres exponebāt, 76. nu. 14
 Mortuorum corpora vngi consueuerunt etiam apud ethnicos, ibid.
 Mortuorum corpora vestibus albis induebantur apud ethnicos, ibid.
 Mortuorum corpora candido linteamine obuoluebantur, ibid.
 Mortuorum corpora apud veteres Christianos lauari solita, ibid.
 Mortuorum

Mortuorum cadauera an in ecclesijs sint sepelienda, 74. nu. 5
 Mortuorum exequia ad quem finem sint, 75. nu. 11
 Mortuorum corpora quomodo ad sepulturam efferebantur, ad quem vsus iuuenes erant antiquitus ordinati, 77. nu. 14
 Mortuorum corpora pretiosis vestibus ornabantur, ibidem.
 Mortuis prodesse suffragia, 80
 Mortuis sepeliendis sacerdotes interesse solitos, & psalmos cecinisse, 78
 Mortuos orationibus sepeliri, 80
 Vide alia in verbo Defuncti.
 Mosaicæ immolationis ritus aliquot, 178. nu. 6
 Munera dona, & sacrificia idē in canone Missæ significant, 200. nu. 3
 Munerum, & donorum explicationes variæ, ibid. nu. 4
 Muscarium quid, & eius vsus in ecclesia receptus, 31. nu. 1
 Muscarij apud Hieronymum, & alios Patres moralis interpretatio, 31. nu. 2
 Mysterium vnde dictum, & quid apud Græcos, & Latinos significet, 234. nu. 9
 Mysterium fidei in canone Missæ quid designet, ibid.

N

Nobis quid, 35. nu. 3. 44. nu. 1
 Nocturni antiquitus separatim in singulis vigilijs recitabantur, 307. nu. 4
 Nocturni cur tandem ad vnam vigiliam, & semel cum laudibus cœperint, recitari, ibid. nu. 6
 Nocturni qua nunc hora recitari debeant, non omnes conueniunt, 308. nu. 1
 Nocturni qua hora recitandi secundum aliquos, ibid. nu. 4
 Nocturnis recitandis semper interfuisse omnes facris initiatos probabilis est, ibid. nu. 5
 Nocturnos media nocte recitare congruentius est, 309. nu. 5
 Nocturnum recitantes ante auroram non peccant, ibid. nu. 7
 Nomen in baptismo imponitur, 50. nu. 19
 Nomina cur quædam Christianis magis familiaria, quàm alia, ibid. nu. 20
 Nominum imponendorum ritus varijs, ibid.
 Nominum recitandorum in Missa consuetudo antiquissima, 206. nu. 3
 Nona cur inter horas orationis numeretur, 314. nu. 2
 Nona hora Petrus, Ioannes, & Cornelius orât, & Christus Patri Spiritum commendat, ibid. nu. 3
 Nonæ horæ obseruatio ostenditur, ibid. nu. 2
 Nox in quattuor vigilias ad clepsydrum apud veteres diuidebatur, 306. nu. 1
 Nox orationi & contemplationi apta, 303. & 304
 Nox media præ ceteris partibus noctis commendatior, & aptior, orationi ostenditur, 308. nu. 2
 Nocte media Christum resurrexisse veteres Græci crediderunt, 308. nu. 3
 Nocte media leguntur in scriptura patrata multa, 309. nu. 7
 Nyctages, hæretici damnantes vigilias, 304. nu. 6

O

Oblatio Græcorum, quæ in eorum canone pro martyribus fieri dicitur, quo pacto intelli-

genda sit, 210. nu. 5
 Oblatio Missæ cur benedicta dicatur, ascripta, rata, & rationabilis, 214. nu. 2
 Oblationes a populo in sacro offeruntur, 177. nu. 4
 Oblationes an ex obligatione offerantur a populo, 179. nu. 9.
 Oblationum in Missa vsus antiquissimus, 178. nu. 7
 Oblationes primum mares, deinde feminae offerebant, 179. nu. 8
 Occasum inter orandum spectare in veteri lege consuetum, & quare, 9. nu. 6
 Occasum cur spectet imago crucifixi in templis, ibid. nu. 5
 Odium in animo contra proximum tenens non propterea ab oratione Dominica debet abstinere, 269. nu. 40
 Offerenda seu offertorium, quo loco cantetur, 177. nu. 1.
 Offertorium vnde dictum, 177. nu. 3
 Offertorium cur institutum, & eius primus auctor, ibid. nu. 5
 Offerentium nomina olim recitabantur, 179. nu. 10
 Offerebant aquam cantores, ibid. nu. 11
 Oleum duplex in ecclesia, & quod eorum principale, 59. nu. 3
 Oleum cur ad templi illuminationem offerretur, 27. nu. 3
 Oleum infirmorum ex qua materia, & quid differat ab oleo cathecumenorum, 65. nu. 20
 Oleum infirmorum ab episcopo consecrandum ibid.
 Oleum a gentilibus honoris ergo in æde sacra positum, 27. nu. 3
 Olei vnctio in baptismo, 54. nu. 33
 Oleo energumenos, aut alios ægrotos vngi ab Apostolis traditum, 65. nu. 20
 Opus operatum ab operantis opere diuersum, 119. nu. 5
 Opera bona qua ratione Dei sint, & hominis, 208. nu. 14
 Operibus secundæ diei cur Deus non dicatur benedixisse, 156. nu. 10
 Orare pro se naturale, pro alijs gratiæ & charitatis, 259. nu. 9
 Orare pro paganis, Iudæis, & hæreticis non est catholicis prohibitum, 205. nu. 20. & quando id faciat ecclesia in orationibus publicis, ibid.
 Orare spectando occasum in veteri lege consuetum, & quare, 9. nu. 6
 Orare spectando ad orientem cur soleant Christiani, dum publice orant, 8. nu. 4
 Orat prostantibus in Missa sacerdos, 207. nu. 4
 Orate pro me fratres, &c. verba sacerdotis in Missa, quo pertineant, & cui ascribantur auctori, 183. nu. 3. Oremus, cum dicit sacerdos, se & alios monet orare, 158. nu. 19
 Oratio charitatis ordo est seruandus, 207. nu. 9
 Orandum semper aliqui docuerunt hæretici, alij nūquam, 297. nu. 1. & 2
 Orandi hora diuersa pro temporum, & regionum diuersitate, 316. nu. 11
 Orarium quid, & vnde dictum, 131. nu. 14
 Oratio tacita sancta est, & semper in ecclesia vsitata, quidquid mentiantur hæretici, 183. nu. 4
 Oratio iusti an debeat proprijs meritis, an Dei misericordiam inniti, 248. nu. 8
 Oratio boni sacerdotis vtilior ne sit, quàm mali, 119. nu. 7.

I N D E X.

Oratio omnis a laudibus Dei, & gratiarum actione inchoanda. 186.nu.2
 Oratio omnis offertur Deo patri per filium. 188.nu.8
 Oratio quo sensu debeat esse perpetua. 299.nu.6
 Oratio pia auctoris ad Deum. 261.nu.16
 Oratio pro defunctis quo loco, & ordine dicenda. 157.nu.1
 Oratio, quæ non fit per Christum, quomodo dicatur peccatum. ibid.nu.13
 Oratio cû ad solius patris personam dirigitur, tota trinitas ob unitatem essentia honoratur. ibid.nu.14. & 15
 Oratio Dominica ab eo pretermitti non debet, qui odium contra proximum tenet. 269.nu.40
 Oratio Dominica appellata a patribus legitima, item celestis. 254.nu.1
 Oratio Dominica in Missa sacrificio dicenda, a Christo instituta, licet non semper eodem loco recitata. ibid.nu.2
 Oratio Dominica clara voce dicenda, quia publica & communis. ibid.nu.4
 Oratio Dominica dici potest Euangelij breuiarium. 255.nu.7
 Oratio Dominica leuiores delet peccata. ibid.nu.8
 Oratio alia, quàm Dominica an possit recitari ex Augustino. ibid.nu.11
 Oratio Dominica exponitur. 257. & seq.
 Orationis Dominica clausula illa, quia tuum est regnum a quo sit addita. 271.nu.51
 Orationis Dominica compendium ex Tertulliano. 272.nu.52
 Orationis Dominica præfatio quàm sit antiqua. 256
 Orationi ubique locus, ea tamen melius in ecclesia sit 93.nu.3. & quare ibid.
 Orationis Dominica auctoritas commendatur, breuitas quoque perfectio, & necessitas. 254. numero. 5 & seq.
 Orationem Dominicam in sacrificio Missæ recitari debere Patres omnes agnoscunt. ibid.nu.3
 Orationem Dominicam parentes filios docere debent. 255.nu.10
 Orationes cur collectæ nuncupentur. 155.nu.2. & 156.nu.4
 Orationes non sunt recitandæ in conuentu ecclesiastico, nisi prius approbentur. 156.nu.7
 Orationes in ecclesia recitandæ septenario numero definitæ sunt, & quare. ibid.nu.9
 in Oratione unitatis, pacis, & charitatis significatione Christus reliquit. 259.nu.8
 Orationum conclusio quæ, & alia de ea. 157.nu.12. & 18
 Orationum conclusiones, quomodo, & quando variantur. ibid.nu.16
 Oratorium sacra ædes dicitur. 4.nu.13
 Oratoria martyrum, martyria dicuntur a Chrysolostomo. 4.nu.10
 Organum quid sit. 34.nu.1
 Organa in capella Papæ non extant. 34.nu.2
 Organum vsus, & abusus notatur. ibid.nu.3
 Organorum vsus non est improbandus. ibid.nu.2
 Organorum varia genera. 34.nu.1
 Organorum vsus in ecclesia antiquissimus, licet de prima institutione non adeo constet. ibid.nu.2
 Organorum institutio quibus tribuatur. ibid.
 Orientem cur spectent Christiani dum orant publice. 8.nu.4

Ornatus templorum asseritur. 9.nu.1
 Ornatus templorum, si vrget necessitas, elemosyna est præferenda. 10.nu.4
 Ornatum templorum hæretici improbant, Hieronymi auctoritatibus abutentes. 10.nu.2
 Orthodoxorum nomine qui significantur in canone Missæ. 205.nu.19
 Osculum non solum amoris, sed reuerentiæ etiam signum. 293.nu.5
 Osculatio altaris, cur triplex adhibeatur a sacerdote. 213.nu.7
 Osuorum quid apud Euangelistas. 33.nu.4

P

Palla sacra quid. 32. & 33.nu.1
 Palla, quæ dicitur corporale, duplex & vtriusque mystica significatio. 34.nu.7
 Palla eo quod foris, ac palam sit a Varrone dicta. 33.nu.3
 Pallium quid sit. 140.nu.41
 Pallium Episcopis particulari priuilegio indultum. ibid.nu.43
 Pallium quare de corpore Petri sumptum dicitur, cû petitur. ibid.
 Pallium postulare debent Archiepiscopi & Patriarchæ intra tres menses consecrationis suæ. ibid.
 Pallium ad Pontificalis officij honorem institutum. ibid.
 Pallij origo antiquissima. 140.nu.42
 Pallij forma, & mystica significatio. 141.nu.44
 Pallij traditio quibus verbis fiat. 142.nu.45
 Pallij vsus quando permittitur. ibid.
 Panis quis petatur in oratione Dominica. 264.nu.26
 Panis idem quare noster appellatur, & quare quotidianus petatur. 265.nu.27. & 266.nu.28
 Panis est etiam, aut esse debet quotidianus Eucharistia. 266.nu.29
 Panis non ab alio, quàm a Deo petendus. ibid.nu.30
 Panis spiritualis quis dicendus. 267.nu.32
 Panis quis aptus sit ad Eucharistiam conficiendam. 217.nu.4. & 5.
 Panis Eucharistia designatus sit mundus, & sine sale. 218.nu.7
 Panis benedictus cur in ecclesia institutus, & quo tempore. 294.nu.1
 Panis benedictus Cathecumenis dabatur, non tamen Eucharistia. ibid.nu.3
 Panis benedicti complures Patres meminerunt. 294.nu.5
 Panis benedictio quandoque fiebat post Missam, & quibus verbis. 295.nu.7. & 8
 ad Panem benedictum quo sensu apud August. sacramenti nomen transferatur. 294.nu.4
 Pantheon ab antiquis dictum in honorem omnium sanctorum a Bonifacio dictum. 37.nu.10
 Pantheon a quibus post incendium restauratum. 83.nu.3
 Papa non vitur baculo pastorali, & quare. 139.nu.4
 Papa mitram gestat, & coronam quoque, & de huius coronæ origine. 137.nu.36
 Papa cum celebrat, non dicit in canone Missæ, Vna cû famulo tuo Papa. N. 203.nu.15
 Papa nomen recitatur in canone Missæ. ibid.nu.14
 Parasceues die; corpus Domini non conficitur. 42.nu.11
 Par-

I N D E X.

Paruuli an vere fidem profiteantur in baptismo. 55.nu.35
 Paruuli quomodo fidem profiteantur in baptismo. 55.nu.34
 Pastophorium quis locus esset. 40.nu.7
 Pastophorij significationes variae. 40.nu.7
 Patena, siue Patina quid, & vnde dicta. 31.nu.1. & 273.nu.1
 Patenæ sacra miraculum. 32.nu.3
 Patenæ vsus quis olim fuerit, & nunc sit. 273.nu.3
 in Patenæ receptione, quibus caerimonijs vitur ecclesia. ibid.nu.4
 Patenæ benedictio. 32.nu.3
 Patenæ vsus quando inceperit, & ex qua materia. 32.nu.2
 Patenarum pondus, & quantitas describitur. 273.nu.3
 Patenarum vsus antiquus ab hodierno quo differat. 32.nu.3
 Patenis vitreæ Missas celebrari Zepherinus statuit. 32.nu.2
 Pater in oratione Dominica an sumatur pro prima persona, an pro tota Trinitate. 257.nu.2
 Patris appellatio est & potestatis, & pietatis. ibid.nu.1
 Patris æterni imago an depingi debeat. 12. & 13.nu.2
 Patrem vocamus Deum varijs de causis. 258.nu.3
 Patrem dum se vult Deus appellari potius, quàm Dominum, spes nostra in Deum erigitur. ibid.nu.4
 Patrem celestem quorsum inuocemus. 260.nu.11
 Patrem qui profitemur Deum, quibus vita & moribus præbere nos filios debemus. 258.nu.5
 Patrem diabolum inuocat, qui mala perpetrat. 259.nu.6
 Patrem habere Deum quomodo non potest, qui ecclesiam non habet matrem. ibid.nu.7
 Patrinus in confirmatione non potest esse, qui non est confirmatus. 64.nu.18
 Patrinus non solet esse in chrismatismis sacramento, qui suscepit aliquem in baptismo. 65.nu.18
 Patrini in confirmatione nihil debent largiri confirmationis, vel eorum parentibus, & quare. ibid.
 Patrini baptizandis tribus de causis adhibiti. 9.nu.16
 Patrini in baptismo. ibid.
 Patrini quantum sint a filijs spiritualibus diligendi. ibid.nu.17
 Patrinorum quanta debeat esse cura circa regenerationem. 49.nu.16
 Paulus Samosatensis explodens hymnos ecclesiasticos damnatur in Concilio Antiocheno. 321.nu.4
 Pauperum de Lugduno error circa prædicandi munus refutatur. 176.nu.6
 Pax Domini quæ dicatur, & in quo sit posita. 276.nu.2
 Pax non omnis amanda. ibid.nu.3
 Pax dum annunciat in canone Missæ, hostiæ pars in calicem mittitur. ibid.nu.5
 Pax vobis, salutatio episcoporum ad populum est, & quid de ea. 153.nu.2
 Pax cum osculo post exsufflationem antiquitus dabatur a sacerdote, & quibus verbis. 51.nu.24
 Pax duplex, mundi, & Dei, & de vtraque. 213.nu.7
 Pax triplex ab Innocentio statuitur. ibid.
 Pax petenda a Deo. 273.nu.3
 Pax cur petenda. ibid.nu.4
 Pax iustorum quæ sit: quæ item impiorum. ibidem. numero 5.
 Pax cur in silentio quodam petatur. ibid.nu.6
 Pax externa quomodo nullius sit momenti. 279.nu.5

Pacis osculum cur non habeant Missæ defunctorum. 278.nu.6
 Pacis osculum in Missa sacrificio a quo institutum, & qua de causa. 278.nu.1
 Pacis osculum apud plerisque Patres reperitur. ibidem.
 Pacis osculum inter quos olim fiebat, & cur nunc fabulatum. 279.nu.7
 Pacis osculum inter monachos quare non detur. 279.nu.7
 Pacis osculum, in Parasceue, sabbato, & in die passionis Domini non datur. ibid.
 Pacem comitari debet oratio, & e conuerso. 277.nu.2
 Pacem pleniori voce denunciat sacerdos. 276.nu.4
 Pacem omnibus nunciandi, dum sacrum celebratur, mos antiquus in ecclesia. 275.nu.1
 Peccatores quo sensu Deus non exaudiat. 246.nu.3
 Peccatores se agnoscere omni tempore debent Christiani, quando autem maxime. ibid.nu.1
 Peccatorem quomodo se cognoscere merito homo debeat. 268.nu.36
 Peccatum angelum custodem fugat, & amouet. 192.nu.24
 Peccati reatus infirmitatis corporalis sæpe causa est. 208.nu.11
 Peccata appellantur debita, & quare. 268.nu.34
 Peccata dimittere propria auctoritate solius est Dei. ibid.nu.35
 Peccatorum veniam postulans a Deo qualis & ipse esse debeat. 269.nu.3
 Peccandi procliuas, quæ pœna est originalis peccati, nullo sacramento tollitur, licet aliquo modo diminui possit, & refrenari. 68.nu.26
 Peccus tundere quando solerent Christiani. 269.nu.38
 Peccatoris rursus facta a sacerdote in confessione generalis initio Missæ quid denotet, & plura de ea. 149.nu.5
 Pedum quid. 139.nu.39
 Pedum lotio olim fiebat ante baptismum. 58.nu.44
 Pedum lotio ante communionem quandoque recepta. 286.nu.14
 Pensionarius ad preces canonicas non tenetur, officium tamen paruam beatæ Mariæ recitare debet. 337.nu.14
 Per omnia sacula &c. cur alta voce proferatur. 184. numero 6.
 Petrus sanctus crucem veneratus, obuensis vestigijs cruci affigi postulauit. 19.nu.2
 Petri sancti baculus Eucharistia missus, ex Innocentio III. 139.nu.40
 Petri Cnaphæi episcopi Antiocheni error de Trinitate. 195.nu.33
 Petri Græcis quid sit. 306.nu.25
 Pictura idiotarum liber. 15.nu.6
 Pictura historiam refert. ibid.
 Picturis ornantur templa. 11.nu.5
 Pixis siue arcula, in qua Eucharistia asseruatur. 39.nu.1. & seq.
 Pixis, vbi Eucharistia reconditur, benedici & consecrari prius debet. 40.nu.4
 Pixis vsus Græce. 39.nu.2
 Planeta an idem quod casula. 133.nu.18
 Pollinctores. 76.nu.14
 Portatilem ecclesiam sibi construi fecit Constantinus, & quare. 14.nu.14
 Vide alia verbo Altare. Potestates

Potestates quomodo tremere dicantur. 192. nu. 25
 Potestates quas habeant proprietates, & officia. 189. nu. 14
 Præcepta salutaria quæ dicantur. 256
 Prædestinatorum numerus quomodo definitus sit. 213. nu. 7
 Prædicare qui teneantur. 176. nu. 3
 Prædicare an possint laici saltem religiosi, ibidem. num. 9
 Prædicasse olim Pôntifices Romanos asseritur, & contrarium, vt falsum, refutatur. ibid. nu. 4
 Prædicabant olim laici iubente episcopo. ibid. nu. 8
 circa Prædicandi munus error Pauperum de Lugduno refutatur. ibid. nu. 6
 Prædicatio sequitur in sacro Missæ, symboli recitationem ex antiquissimo vsu. 175. nu. 1
 Prædicatio negligentiores potius grauat, quàm emendat. 176. nu. 2
 Prædicationis officium a nemine vsurpandum, nisi Pontifice vel Episcopo approbante. 175. nu. 4
 Prædicationes olim populus stans audiebat. 170. nu. 18
 Præfatio quem primum habuerit auctorem. 184. n. 1
 Præfatio a quo incipiat, & in quid definat. 186. nu. 1
 Præfatio Dominicæ orationis in Missa quàm sit antiqua. 256
 Præfatio Missæ explicatur. 187. nu. 3. & seq.
 Præfationis meminerunt multi Patres antiqui etiam ante Gelasium. 184. nu. 1. & seq. & 188. nu. 5
 Præfationes nouem numerantur vsitate in sacrificio Missæ. 185. nu. 4
 Præfationes pro varietate festorum mutantur, & clara voce dicuntur. ibid. nu. 5
 Præfationes suas habent Patrum liturgiæ. 185. nu. 3
 Preces canonicæ horis stans, & debitis recitandæ, nec stas huiusmodi horas peruertere licet. 340. num. 10. & 11
 Preces canonicæ publicæ in Ecclesia recitari debent. 339. nu. 2
 Preces priuatæ quocumque in loco fieri possunt. 340. num. 8
 Precum canonicarum recitationem quæ causæ impediant, quæ ve non. 337. nu. 1. & seq.
 ad Precum canonicarum recitationem, quæ exigantur. 339. & seq.
 in Precum canonicarum recitatione ordo seruandus, integritas quoque, & deuotio. 341. nu. 14. attentio etiam requiritur. 343. nu. 18
 super Precum canonicarum recitatione Episcopus non dispensat. 338. nu. 4
 a Precibus canonicis recitandis excusat naturale impedimentum. ibid. nu. 3
 a Precibus canonicis recitandis excusat breuiarij inopia. ibid. nu. 5
 a Precibus canonicis recitandis an studiosi doctrinarum excusentur. ibid. nu. 6
 Preces canonicas qui debeant recitare, qui vero non teneantur. 334. 335. 336. 337
 Preces canonicas recitare qualis ægrotatio impediat. 337. nu. 1
 Preces canonicas, quas prætermisit ægrotus clericus, an sanus factus recitare debeat. 328. nu. 2
 ad Preces canonicas obligati eas non recitantes: quâdo peccato mortali sint obnoxij. 344. nu. 1
 Presbyteri nomine Episcopi, & sacerdotes etiam intelliguntur. 67. nu. 23

Presbyteri domicilia prope ecclesiam habere debent. 340. nu. 3
 Presbyterium quid. 43. nu. 1. & 2
 Prima hora varijs rationibus ab ecclesia colitur summa religione. 310. nu. 1
 Prima diei hora Deo ante omnia laudes referendæ. ibid. nu. 2
 Prima canonicarum hora an sit in memoriam resurrectionis instituta. ibid. nu. 3
 Prima quo maxime diei tempore celebranda. 311. nu. 5
 Primæ institutio male a quibusdam refertur ad tempora Casiani. 310. nu. 4
 Principatus quas habeant proprietates & officia. 190. nu. 15
 Principatus, dominationes, potestates, & Archangeli quid inter se differant. ibid.
 Processio vnde dicta. 143. nu. 1
 Processio insignis ex sancto Antonino refertur. 145. num. 11
 Processiones ordinariæ quæ dicantur, & quibus potissimum diebus habeantur. 143. nu. 4
 Processiones extraordinariæ varijs ex causis indicæ. ibid. nu. 6
 Processiones aliæ tristes, aliæ lætæ. 144. nu. 8
 Processiones vexillis, cereis, & alijs rebus ornantur. 145. nu. 9
 Processionum origo, & antiquus vsus. 143. nu. 1. & 2
 Processionum variæ formæ. ibid. nu. 3
 Processionum vsus miraculis comprobatus, & illustrium virorum studio. 144. nu. 7
 in Processionibus quanta fuerit vtriusque Theodosij religio. ibid. nu. 6
 in Processionibus pedites & nonnumquam discalciati incedunt. 145. nu. 10
 in Processionibus qua reuerentia incedendum. ibid.
 Proculus oleo Seuerum imperatorē sanauit. 66. nu. 22
 Proculi misera mors. 33. nu. 2
 Prosa quid apud ecclesiasticos significet, & qui eius meminerint scriptores. 165. nu. 1
 Prosa primus inuentor. ibid. nu. 2
 Prosa nonnullas Robertus Galliarum rex composuit. ibid. nu. 3
 Prudentij locus de baptisterio explicatur. 46. nu. 5
 Psalmi antiquo vsu canuntur, & recitantur in ecclesia. 319. nu. 1
 Psalmi canebantur tempore Athanasij & Iuliani. ibid. nu. 2
 Psalmi halleluatici qui sint apud Augustinū. 163. n. 4
 Psalmi 71. locus iuxta Hebraicam editionem explicatur. 229. nu. 1
 Psalmi an alij præter Daudicos sint in ecclesia recitandi, & quid de psalmis vulgaribus. 320. nu. 8
 Psalmorum cantus cur institutus. ibid. nu. 4
 Psalmorum Daud recitatio vberimos fructus præbet. ibid. nu. 5
 Psalmi stando canuntur. ibid. nu. 7
 de Psalmorum cantu in ecclesijs, Chrysostomi præclarum testimonium. 319. nu. 3
 Psalmos alternatim canere diuiso in duas partes choro recens non est. 320. nu. 6
 Psalmos etiam canunt hæretici ad imitationem ecclesiæ. ibid. nu. 9
 Psalmorum laus. 320. nu. 5
 Pulcheria virgo, & Augusta tria templa Deiparæ edificauit. 6. nu. 4

Radij

R

Radij solares cur appingantur imaginibus Sanctorum. 14. nu. 5
 Raphael quid interpretetur, & eius mentio in scripturis. 191. nu. 22
 Regnum Dei in oratione Dominica quod. 26. nu. 17
 Regum nominatum sit mentio in canone Missæ. 204. nu. 17
 Regum, & imperatorum nomina in ecclesijs inter Missarum sollempnia recitari aliquando vetitum, & quare. ibid.
 pro Regibus orandum. ibid.
 pro Rege Francorum orantibus indulgentiæ concessæ. 205. nu. 18
 Religioni bene institutæ vitia, & morum corruptelæ obesse non debent. 305. nu. 9
 Reliquiæ sanctorum quæ populo ostendendæ, cauendumq. ne sint venales, & supposititiæ. 91. nu. 9
 Reliquiæ an collo appensæ gestari possint. ibid.
 Reliquiarum cultus scripturæ, & Patrum auctoritatibus probatur. 89. nu. 8. & seq. 90. & 91
 Reliquias martyrum quare adoremus. 6. nu. 3
 Reliquijs sanctorum ornantur templa. 11. nu. 5
 Reliquijs sanctorum demones fugantur. 91. nu. 8
 Remigij Rhemensis carmina de calice ministeriali. 25. num. 3
 Remissa pro remissione. 99. nu. 4
 Resurrectionis Dominicæ tempus veteres Græci mediam noctem crediderunt. 308. nu. 3
 Resurrectionis Dominicæ tempus exquirunt. 309. n. 5
 Responsorium in officio Missæ, graduale appellatur. 162. nu. 3
 Responsorium in quo differat a tractu. 165. nu. 4
 Responsorium vnde dicta. 162. nu. 5
 Responsorij meminerunt Patres multi. ibid. nu. 6
 Responsorium cur post lectiones recitentur. 327. nu. 1
 Responsorium ab antiphonis in quo differant. ibid. nu. 3
 in Responsoriorum fine, Gloria Patri quando dicitur. ibid. nu. 2
 Robertus Galliarum rex nonnullas prosas composuit. 165. nu. 3
 Romani Pontifices olim prædicabāt, & contrarium, vt falsum refutatur. 176. nu. 5
 Vide Papa.

S

Sabaoth quid significet, & inter decem Dei nomina connumeratur. 195. & 96. nu. 3
 Sacerdos Missam celebraturus cur, & quoties manus abluat. 126. nu. 6
 Sacerdos Missam celebrare non debet sine præuio conscientie examine. Si vero letali culpa est irretitus auricularis confessio ei est necessaria. 125. nu. 2
 Sacerdos, cui non incumbit animarum cura, an quotidie sacrum facere teneatur. 236. nu. 15
 Sacerdos orat prostantibus in Missa. 207. nu. 5
 Sacerdos ad ea verba canonis Missæ, Supra quæ propositio &c. nõ Christum, sed ecclesiam, & suum ministerium commendat. 239. nu. 8
 Sacerdos cum dicit, Oremus, se & alios monet orare. 158. nu. 19
 Sacerdos communicare debet quoties consecrat, & quid de diaconis, & alijs. 280. nu. 1

Sacerdos communionis sacramentum ipse sibi ministrat, licet in alijs sacramentis diuersa sit ratio. 281. num. 2
 Sacerdos cur dicendo in canone Missæ verba illa, Nobis quoque peccatoribus, vocem attollat. 246. num. 4
 Sacerdos Missam peracturus, quibus vestibus induatur. 128. nu. 5
 Sacerdotis silentium ante sacrificij oblationem quid significet. 184. nu. 5
 Sacerdotis boni oratio an vtilior, quàm mali. 119. num. 7
 Sacerdotis nomine abstinuisse antiquos Christianos probabile est, & quare. 3. nu. 7
 Sacerdoti, vt se ad Missam præparet, tempus cõceditur, & quid illud mystice significet. 125. nu. 2
 Sacerdotes quàm pure, & caste, & quàm sincera præparatione, & deuotione ad Missa sacrificium accedere debeant. 238. nu. 4
 Sacerdotes soli consecrant, etiam si peccato mortali irretiti sint, dummodo ad sint alia requisita. 119. n. 4
 Argumenta in contrarium soluuntur. ibid. n. 5
 Sacerdotes, quorum manus sanguine, & peccatis sunt contaminatæ a tractanda Eucharistia procul arcendi. 218. nu. 9
 Sacerdotes ad recitationem precum canonicarum obligantur. 334. nu. 2
 Sacerdotes habet ecclesia tamquam excubitores, & vigilantes. ibid. nu. 1
 Sacerdotum dignitas, & potestas. 117. nu. 1. & seq.
 Sacerdotes gentilium lineis vestibus vsi sunt. 130. num. 10
 Sacra edes oratorium vocatur. 4. nu. 13
 Sacra edes basilica dicitur. 3. nu. 8
 Sacra edes templum appellatur. 3. nu. 5
 Sacra edes tabernaculum dici potest. 4. nu. 14
 Sacra edis duæ præcipue partes. 35. nu. 1
 Sacrarum ædium varia nomina. 1. nu. 1
 Sacra vasa varia enumerantur. 32. nu. 4
 Sacrarium cur Diaconicon appelleretur. 35. nu. 3
 Sacramenta tantum duo agnoscere hæreticorum figmentum. 62. nu. 10
 Sacramenta extra ecclesiam vera esse possunt, non tamen salutifera. 202. nu. 11
 Sacramentorum multiplex perceptio. 64. nu. 17
 Sacrificati qui. 29. nu. 6
 Sacrificium offertur in Missa totius ecclesiæ nomine. 212. nu. 1
 Sacrificium Missæ ostenditur ratione. 107. nu. 7
 Sacrificium Missæ non solum eucharisticum esse, sed propitiatorij contra hæreticos, Patrum, & Conciliorij auctoritatibus & decretis, & perpetuo ecclesiæ vsu probatur. ibid. nu. 8. & seq.
 Sacrificium pro se quoque offert sacerdos cum celebrat. 207. nu. 6
 Sacrificium offert sacerdos ministerio, & populus voto, & deuotione. ibid. nu. 7
 Sacrificium laudis designat Christi passionem, & cur ita nominetur. ibid. 8
 Sacrificium pro quibus bonis offerendum. ibid. 9
 Sacrificium integritatum in veteri testamento quod fuerit. 208. nu. 12
 Sacrificium Missæ in primis pro ecclesia offertur. 201. nu. 7
 Sacrificium per manus angelorum deferri, quo sensu intelligendum sit. 239. nu. 10
 Sacri-

Sacrificium per manus angelorum deferri, quo sensu intelligendum sit. 239.nu.10
 Sacrificium Missæ a Christo institutum 109.nu.1. & 110.nu.2. & 3.
 Sacrificium Melchisedech typus fuit Sacrificij Christi, & quid de Sacrificio Aaronico. 217.nu.2.
 Sacrificium quod Deo offerendum, & quomodo illi acceptum esse possit. 209.nu.3.
 Sacrificium non sanctis, sed sanctorum Deo offertur. 209.nu.4.
 Sacrificium Missæ ab hæreticis negatur, asseritur autem a Patribus, tum Græcis, tum Latinis. 101.nu.1.
 Sacrificium Missæ multis conciliorum decretis asseritur. 105.nu.2.
 Sacrificium Missæ a prophetis prædictum. 106.nu.4.
 Sacrificia, dona, & munera in canone Missæ idem significant. 200.nu.3.
 Sacrificia ante consecrationem cur dicantur illibata, & sancta. ibid.nu.5.
 Sal consecratum cur in os baptizandi datur. 51.nu.25.
 Sal benedicitur in baptismo. ibid.
 Salis ritus in baptismo. ibid.
 Saluatoris basilicæ aliquot numerantur. 12.nu.1.
 Salutatio inter Christianos qualis esse debeat. 277.nu.2.
 Salutatio sacerdotis ad populum an eadem esse debeat cum ea, qua episcopi videntur. 153.nu.2.
 Sanctorum imaginibus cur appingantur coronæ, & radij solares. 14.nu.5.
 Sanctorum quorundam imagines connumerantur. 13. & 14. nu. 4.
 Sanctorum commemoratio in Missa antiquissima ostenditur. 209.nu.3.
 Sanctorum quorundam tantum cur mentio fiat, & non omnium in canone Missæ. 272.nu.2.
 Sanctorum nomina cur bis in canone Missæ recenseantur. 247.nu.7.
 Sanctis non offertur sacrificium, sed sanctorum Deo. 209.nu.4.
 Sandalia episcoporum quid sint, & quàm habeant significationem & formam. 133.nu.21.
 Sandapilarij qui vocarentur. 77. nu. 15. & vnde dicti. ibid.
 Sanguis Christi non in alio vase, quàm in calice, consecratur. 25.nu.1.
 Sanguis Christi, in quo calicis genere fuerit consecratus. 26. nu. 5.
 Sanguis Christi nostræ redemptionis sufficiens pretium. 235.nu.11. & quibus non sit efficax. ibid.
 Sanguinis diuini consecrationem a Zepherino in vase ligneo fieri debere, decretum. 25.nu.2.
 Satanæ abrenunciatio in baptismo. 53.nu.31.
 Schismatici & hæretici quibus verbis canonis Missæ a fructu Sacrificij Missæ excludantur. 205.nu.19.
 Scholares qui dicantur, in c. 1. de celeb. Miss. 338. nu. 7.
 Scholasticus ille, cui Canonis Missæ origo a nonnullis tribuitur, quis fuerit. 198.nu.5. & seq.
 Scrutiniorum sollempnitas in baptismo quando desit. 54.nu.32.
 Scrutiniorum loco in baptismo paruulorum qua formula vsa est ecclesia. 54.nu.32.
 Sculptile fieri quomodo Deus prohibeat. 17.nu.11.
 Secreta vnde dicta. 184.nu.6.
 Secretarium quid. 35.nu.3.
 Securus nullus potest esse in hoc sæculo. 213.nu.7.

Sepeliendi in ecclesijs consuetudo. 75.nu.7.
 Sepeliendi ritus sollempnes auctoritatibus Patrum asseruntur. 76.nu.14.
 Sepeliendi Christianos, ritus sollempnes antiquissimi, & quinam illi fuerint. 75. nu. 10. & 77. & sequ.
 Septenarius numerus familiaris est, & in sacris litteris vsitatus. 301.nu.3.
 Sepultura carere, genus animaduersionis graue. 75. nu. 13.
 Sepultura magna cura fuit Imperatoribus Christianis. 77.nu.15.
 Sequentia vide Prosa.
 Seraphini, & Seraphicus ordo describuntur. 189. nu. 11.
 Serapion sumpta particula Eucharistiæ extremum spiritum edidit. 41.nu.11.
 Seruitus species duæ, latria, & dulia, & de vtraque. 212.nu.2.
 Seuerus Imperator oleo a Proculo sanatus. 66.nu.22.
 Sexta hora varias ob causas a Christianis obseruatur. 312. nu. 1.
 Sextæ horæ præclara commendatio ex Anastasio Sinaita. 314.nu.7.
 de Sexta hora locus actorum, 10. explicatur. 312. nu. 2.
 Sexta hora Christus crucifixus. 313.nu.3.
 Sexta hora homo conditus fuit, & comedit de ligno, secundum Origenem & Theophilactum ibid. nu. 4.
 Sicut, particula, in oratione Dominica quid significet. 264. nu. 25. & 269. nu. 41.
 Silentium in ecclesia seruandum. 94.nu.5.
 Sindonis mystica significatio multiplex. 33.nu.5.
 Siquid quid apud Euangelistas. 33.nu.4.
 Situla quod vas sit. 70.nu.1.
 Sodalitates & pij conuentus an agi possint in Ecclesijs. 96.nu.9.
 Sodalitatum institutio. ibidem.
 Sophiæ sanctæ templum Constantius Constantini filius extruxit. 5.nu.1.
 Spes nostra quomodo in Deum erigitur. 258.nu.4.
 Spiritus sanctus ex patre filioque procedit. 174. nu. 12.
 Spiritus sancti imago an depingi debeat. 12. & 13. nu. 2.
 Sportula quid. 344.nu.3.
 Sputum in baptismo. 53.nu.10.
 Statua a veteribus coronabantur. 14.nu.5.
 Statuta quarundam ecclesiarum improbantur. 345. nu. 6.
 Stephani martyrium pro loco, vbi martyr Stephanus colitur, vsurpatur ab Augustino. 3.nu.10.
 Stola sacerdoti necessaria. 131.nu.12.
 Stola etymologia, & forma. ibid.nu.13.
 Stola orarium nuncupatur. ibid.nu.14.
 Stola quid mystice significet. ibid.nu.15. & seq.
 Subdiaconus præcedens episcopum, cum ad altare accedit, quid significet, quid etiam codex clausus quem defert, & aliæ cærimonie explicantur. 148. nu. 2.
 Subdiaconus lecturus epistolam quare non accipiat benedictionem a sacerdote. 167.nu.5.
 Subsellia in ecclesijs fieri solita. 44.nu.6.
 Superaltare quid. 89.nu.7.
 Sursum corda in præfatione Missæ quid. 187.nu.3.
 Susceptrices in baptismo mulieres esse possunt. 49. nu. 17.

Symbolum

Symbolum quo vocis tenore, & in prima & in Missa proferri solitum. 311. nu. 7.
 Symbolum fidei Catholicæ quare post euangelium recitetur. 172. nu. 1.
 Symbolum vnde dictum & quid significet. ibid. nu. 2.
 Symbolum cur ab Apostolis ad fidei articulos significandum vsurpatum. ibid. nu. 3.
 Symbolum quare ab Ambrosio clauis vocetur. ibid. nu. 4.
 Symbolum quotidie etiam frequentius recitandum. 173. nu. 7.
 Symbolum breue est verbis, sed magnum sacramentis. ibid. nu. 8.
 Symbolum Nicænum quod & quando editum ibid. nu. 9.
 Symbolum Constantinopolitanum quid contineat. ibid. nu. 10.
 Symbolum Constantinopolitanum adiecta particula, Filioque, & quando vbique retentum. 175. nu. 14.
 Symbolum Romanum an sit antiquius Nicæno. 174. nu. 15.
 Symbolum quibus nunc diebus recitari debeat. 175. nu. 15.
 Symbolum Apostolorum in sacro Missæ olim recitatum. ibid. nu. 4.
 Symbolum in Romana ecclesia quandoque desitum recitari, & quare. ibid.
 Symbolum Athanasij. ibid. nu. 15.
 Symboli qui fuerint auctores. 172. nu. 5.
 Symboli articulos singuli Apostoli dixerunt auctore Augustino. 173. nu. 6.
 Symboli particula, Filioque, quando addita. 174. nu. 11.
 Symboli eadem particula non est additio ad symbolum, sed explicatio potius. ibid. nu. 13.
 Symboli, & fidei professio in baptismo. 55. nu. 34.

T

T littera typum crucis significat. 22. nu. 8.
 Tau apud Aegyptios vitam venturam significabat. 22. nu. 8.
 Tau Hebræa littera Crucis signum. 22. nu. 8.
 Tabernaculum pro templo & aliæ eius significationes. 4. nu. 14.
 Tabernaculum pro sacra æde. 4. nu. 14.
 Tabernaculo templum successit. ibid.
 Templum a contemplatione dictum, quasi rectum amplum. 3. nu. 5.
 Templum tabernaculo successit. 4. nu. 14.
 Templum a sacrario distinguitur. 35. nu. 4.
 Templum ædes sacra dicitur. 3. nu. 5.
 Templum a tuendo id est conspiciendo dicitur. ibid.
 Templum sigillum significat. ibid.
 Templum tribus modis dictum. ibid.
 Templum primum Deiparæ ædificatum a Iacobo zebedeo Cæsaraugustæ. 6. nu. 4.
 Templi nomine abstinuisse antiquos Christianos probabile est, & quare. 3. nu. 7.
 Tempia communiter & promiscue ecclesias appellari. 3. nu. 6.
 Tempia sanctorum reliquijs & picturis ornantur. 11. nu. 5.
 Tempia varia magnifice in diuersis terræ partibus extructa. 6. nu. 4.
 Tempia Catholici semper extruxerunt, & ornarunt, hæretici vero destruxerunt. 7. nu. 5.

Tempia Deo dicata non minus ad Christum, quam ad patrem pertinent. 5. nu. 1.
 Tempia ethnicis tribui ab antiquis, ecclesias Christianis nonnulli obseruauerunt. 3. nu. 6.
 Tempia extrui vetatur nisi episcopus prius orationem ibi faciat & venerabile figat crucem. 7. nu. 7.
 Tempia Deo proprie eriguntur & dedicantur. 6. nu. 2.
 Templorum forma oblonga, & in modum nauis. 8. nu. 1. & quid hæc forma docuit. ibid. nu. 2.
 Templorum direptiones & euersiones acerrime Deus vindicauit. 7. nu. 6.
 Templorum vastationes cur Deus toleret, & direptores illico non vlciscatur. ibidem.
 Templorum ornatum, si vrget necessitas, elemosyna præferenda est. 10. nu. 4.
 Templorum ornatus semper in ecclesia receptus patrum testimonijs ostenditur. 9. nu. 1.
 Templorum ornatus, quem hæretici reiciebant auctoritatibus Hieronymi abutentes. 10. nu. 2.
 Templorum ad orientem extructio ab Apostolis emanauit. 8. nu. 3.
 Templorum religio quàm sit antiqua multis Patrum auctoritatibus ostenditur. 5. nu. 1.
 Templis nomina sanctorum tribuuntur, & quare. 6. nu. 3.
 in Templis præcipuo quodam cultu adoratur Deus. 5. nu. 1.
 Tentare quid significet. 270. nu. 45.
 Tentatio cum vexat, quid homini ostendat. 315. nu. 4.
 Tentatio quibus modis fit, quæ bona & quæ mala. 270. nu. 45.
 Tentatio quæ vel optanda vel querenda. 271. nu. 48.
 Tentationis significatio declaratur, & quo tendat illa Dominicæ orationis de tentatione petitio. 270. nu. 46.
 in Tentationem quomodo Deus hominem inducat. 270. nu. 47.
 Terra & calum qua ratione sibi respondeant in oratione Dominica. 264. nu. 24.
 Tertia hora diei cur a quibusdam aurea, ab alijs sacra sit dicta. 311. nu. 1.
 Tertia hora Christus sententiam accepit. 312. nu. 2.
 Tertia hora Apostoli Spiritu sancto initiati. ibid. nu. 3.
 Tertia hora Christum cruci affixum nonnulli contendunt. 313. nu. 5.
 de Tertia hora Marci locus accurate expenditur. ibid. nu. 6.
 Tertulliani locus declaratur. 227. nu. 14. & 15.
 Theodori templi ornatus describitur. 11. nu. 5.
 Theodosius frequenter hymnos decantabat. 331. nu. 3.
 Theodosius Ambrosij admonitionem lubens accepit. 43. nu. 5.
 Thronus quid significet, & qui throni sint inter angelos. 189. nu. 13.
 Torcular & turris in patris familias vinea interpretatur. 35. nu. 6.
 Tractus a quo primum institutus, vnde dictus & quid significet. 104. nu. 1.
 Tractus quid differat ab halleluia, & in quo a responsorio distinguatur. 165. nu. 3. & 4.
 Traditione dogmata comprobata quantam vim habeant. 218. nu. 11.
 Traiani

I N D E X.

Traiani historia, quod sit ab inferno liberatus orationibus S. Gregorij & alia similia, quam fidem habeant. 245. nu. 12.
 Trisagium dicere non potest, qui ore suo ad vituperium abutitur. 194. nu. 29.
 Trisagium a sacerdote cum alijs debet dici. 105. num. 31.
 Trisagium dum canitur, inclinati stare ministri debent vsque ad Pater noster. ibid.
 Trisagij quis fuit auctor. 194. nu. 28.
 Trisagij hymni, vsus probatur. ibid.
 de Trisagio errores. 197. nu. 33.
 de Trinitate error Petri Cnaphæi episcopi Antiocheni. 197. num. 3.
 Tropi ex cuius institutione & quibus diebus cani debeant. 147. nu. 5.
 Trullani canonis cuiusdam difficilis, expositio. 110. num. 6.
 Tubæ forma a Iosepho descripta. 72. nu. 3.
 Tunica episcopalis quid significet. 134. nu. 22.
 Tunica duæ in veteri testamento & de vtraque ibid. num. 23.
 Turcæ quanto silentio orationes suas perficiant. 95. num. 5.
 Turibulum quid. 29. nu. 1.
 Turibulum corpus Christi significat. 30. nu. 9.
 Turibuli mystica significatio. 168. nu. 9.
 Turibuli significatio mystica, & cur tribus cathenulis vniatur. 30. nu. 9.
 Turibuli benedictio. 30. num. 8.
 Turibula aurea plerisque ecclesijs Constantinus elargitus est. 30. nu. 9.
 Turificatio ad fugandos demones efficax. ibid.
 Turificatio ab ecclesiæ primordijs instituta. 29. num. 2.
 Turificatio quibus de causis fieri solet, & eius utilitas. 30. nu. 9.
 Turificatio in sacris contra hæreticos huius sæculi asferitur. 30. nu. 10. & 31. nu. 11.
 Turificatio ante sanctorum imagines. 31. nu. 11.
 Turificatio in sacris ab hæreticis inepte irridetur. 30. nu. 10.
 Turificationis mystica significatio. 30. nu. 9.
 Turificatione sicut ecclesiæ statuto vtimur. 29. nu. 2.
 Turificati qui. 29. nu. 6.
 Turris, & torcular in vinea patrisfamilias interpretantur. 35. nu. 6.
 Turis benedictio. 30. nu. 8.
 Tus apud gentiles quando fuerit in vsu. 29. nu. 3.
 Thymiam quid. 29. nu. 1.
 Thymiamaterium quid. ibid.
 Tzangarum vsus, & Tzanga quid sit. 130. nu. 11.

V

Vasa sacra varia enumerantur. 32. nu. 4.
 Vaticana basilica in honorem S. Petri, parvæ ecclesiæ forma, ab Anacleto extructa. 6. nu. 4.
 Vaticana basilica martyrium apostolorum dicitur a Christo. 3. nu. 10.
 Venialia peccata vt remittantur non egent necessario noua gratia. 68. nu. 25.
 Veronica sudario Christi impressa. 12. n. 1.
 Versus quid significet in diuino officio. 328. nu. 1.
 Versus excitat corda cantantium. ibid. nu. 2.

Versus, Deus in adiutorium &c. ante preces canonicas dici consuevit. ibid. nu. 3.
 Versus, Deus in adiutorium fructus vberrimi. ibid. nu. 4. & 329. & 330.
 Versus, Conuerte nos Deus; & Domine labia mea aperies. 330. nu. 5.
 Vespillonones. 77. nu. 15.
 Vesper an semper designet tempus post solis occasum. 316. nu. 9.
 Vesperæ hora duodecima recitabantur. 316. nu. 7.
 Vesperæ qua hora decantandæ. 315. nu. 4.
 Vesperæ in quadragesima quo tempore dici recitandæ. 316. nu. 10.
 Vesperarum officium multorum patrum testimonijs probatur. 315. nu. 1.
 Vesperarum hora Christus de cruce depositus. ibid. num. 3.
 Vesperarum officium lucernarium appellat Hieronymus. 316. nu. 5.
 Vesperarum hora cur ab ecclesia fuerit mutata. ibid. num. 8.
 Vespertinam orandi horam cur colit ecclesia. 315. num. 2.
 Vestimenta episcoporum describuntur. 133. nu. 21. & sequ.
 Vestimenta sacra clericorum probantur patrum testimonijs eaque ad profanos vsus non adhibenda. 127. num. 1.
 Vestimenta sacra munda esse debent. ibid. num. 2. & 128. num. 5.
 Vestimenta sacra insignia virtutum sunt, eorumque vsus miraculis comprobatus aliquando. 128. num. 4. & 5.
 Vestimentis quibus induatur sacerdos Missam peracturus. ibid. nu. 5.
 de Vestimentis sacris hæreticorum error confutatur multis allatis rationibus. ibid. nu. 3.
 Vestis alba in baptismo quid significet. 56. num. 39. & sequ.
 Vestibus lineis sacerdotes gentilium utebantur. 130. num. 10.
 Vigiliæ quattuor, in quas diuidebatur nox ad clepsydram apud veteres. 306. nu. 1.
 Vigiliæ mortuorum. 79.
 Vigiliæ nocturnæ vtriusque testamenti auctoritatibus comprobantur, & exemplo Christi. 304. nu. 5.
 Vigiliæ nocturnæ an fuerint vquam in aliqua ecclesia prohibita inquiritur. 305. nu. 7.
 Vigiliæ a quibus hodie feruentur. 306. nu. 10.
 Vigiliarum consuetudo inter Christianos antiquissima. 302. nu. 2.
 Vigilijs dans operam Athanasius liberatur ab hostibus, & multa, de Vigilijs. ibid. nu. 3.
 Vigilijs nocturnas improbantium error ostenditur. 304. num. 6.
 Vigilijs pias agendas esse clericis ecclesia velut castrorum acies ordinata instituit. 107. nu. 3.
 Vinum ex vite factum ad Eucharistiã conficiendam necessarium, cuiuscumque coloris sit. 233. nu. 6. & quid de musto, aceto, agresta, & similibus. ibid. num. 8.
 Vino aqua in calice admixta an conuertatur in sanguinem. ibid. nu. 7.
 Vino admiscenda est aqua in calice ex Patribus, & concilijs. 180. nu. 1. & 2.
 Vino modica aqua permiscenda in calice. 181. nu. 5.
 Vino

I N D E X.

Vino aquam permisceri in calice an sit de necessitate sacramenti. ibid. nu. 6.
 de Vino puro Armenorum hæresis. ibid. nu. 4.
 Virginitas locus a mulieribus separatus in templis. 45. num. 4.
 Viri a feminis in ecclesijs segregandi. 44. nu. 2.
 Virtutes cælorum quæ sint. 192. num. 26.
 Virtutes cælestes quas habeant proprietates, & officia. 189. nu. 14.
 Virtutes cur nonnulli in tertio angelorum ordine collocent. ibid.
 Vnctio baptizati in vertice capitis antiqua in ecclesia. 56. nu. 38.
 Vnctio duplex in baptismo, & de vtraque. 54. n. 33.
 Vnctio extrema gratiam confert. 65. nu. 20.
 Vnctio diuersa a sacramento extremæ vnctionis reperitur ad recuperandam sanitatem adhibita. 66. num. 22.
 Vnctio infirmorum ex oleo ab episcopo consecrato, sacramentum esse asseritur a Christo institutum. 65. num. 20.
 Vnctio extrema cur sacramentum exeuntium nuncupetur. 67. nu. 23.
 Vnctionis extremæ ritus. 69. nu. 29.
 Vnctionis extremæ ministri quanta pollere debeant diligentia. 67. nu. 23.
 Vnctionis in capite baptizati in baptismo & vnctionis in fronte in confirmatione discrimen. 53. n. 38.
 Vnctionis extremæ minister quis sit. 67. nu. 23.
 Vnctionis extremæ sacramentum quantum conferat infirmis in supremo agone. 69. nu. 27.
 Vnctionis sacramento venialia dimitti dumtaxat, falsa opinio est. 68. nu. 25.
 Vnctionis extremæ duplex effectus & de vtroque copiose. 68. nu. 25.
 Vnctionis extremæ sacramentum an possit iterari. 69. num. 28.
 Vnctionis extremæ sacramentum quibus conferri debeat. 67. nu. 23.

Vnctionem extremam penitentia, & Eucharistiæ sacramenta regulariter præcedunt. 68. nu. 24.
 Vnctionem extremam ab Innocentio Primo institutam asserentium error exploditur. 65. nu. 20.
 Vnctionem extremam sacramentum esse hæretici negant, & quibus argumentis. 66. nu. 21.
 Vnctione extrema peccata remittuntur. 68. nu. 25.
 Vnctione extrema procliuitates ad peccandum remitti dumtaxat, falso quidam opinati. ibidem, num. 26.
 Vngendus quibus partibus sit ægrotus. 69. nu. 29.
 Voluntas Dei duplex, signi & beneplaciti, & de vtraque. 263. nu. 19.
 Voluntas diuina nobis per quinque signa innotescit. 263. num. 20.
 Voluntas signi est, quam in oratione Dominica fieri postulamus. ibid. 21.
 Voluntas Dei fit, cum obeditur eius præceptis, ibid. num. 22.
 Votorum nomine quid in canone Missæ intelligatur. 208. num. 13.
 Urbanus Papa a Petro vigesimus octauus Cæcilie domum consecrauit. 82. nu. 1.
 Vriel quid interpretetur, & eius mentio apud Patres. 192. num. 23.

X

Xilon genus lini, vnde xilina. 130. num. 10.

Z

Zelotes quare Deus dicatur. 17. nu. 11.
 Zepherini Papæ de patenis vitreis statutum. 32. num. 2.
 Zepherini Papæ statutum. 25. nu. 2.
 Zona, qua se cingunt sacerdotes, quibus nominibus appelletur, & quid significet. 130. nu. 11.

F I N I S.

R E G I S T R V M.

* A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z,

Aa Bb Cc Dd Ee Ff a b.

Omnes sunt Terniones, præter *, Duernio, & b, Quaternio,

R O M A E
 Ex Typographia VATICANA.
 M. D. XCI.

Errata sic Corrige.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
3.	10.	pronimenes	prominentes.
3	49.	μαρτύριον	μαρτύριον
13.	47.	Chomates	Choniata
13.	51.	Nonus	Primus
16.	36.	Imagine	Imaginem
17.	26.	& lapidem	nec lapidem.
17.	31.	effigiem	effigies
18.	28.	Leone	Leo
18.	28.	Conoij	Conon
21.	10.	Iftuard.	Vftuard.
26.	6.	Xantes.	Saintes.
29.	13.	fau.	fant.
31.	vlt.	patinus	parnus
32.	vlt.	Tangr.	Tungren.
33.	1.	Bachus	Baihus
34.	vlt.	lafciuum,	lafcium
36.	5.	nominatam	nominatum
36.	21.	Sorgonia	Gorgonia.
39.	9.	Papaq.	Papa. IX.
39.	12.	ciborium	ciborium
39.	vlt.	Daconus.	diaconus
39.	28.	Papamq.	Papam. IX.
41.		Alexmus	Alcuinus
44.	35.&36.	Opt. Fringenferns.	Otto Fringenfis
48.	43.	obligatio	obfignatio
59.in fumazio.	5.	Treuenfis	Treuerenfis.
70.	17.	impedimenta	impedientia
71.	15.	circierunt	circierunt.
84.	41.	consecrata	consecrati.
85.	37.&38.	Collo.	Colla.
100.	45.	Sen.	feu.
100.	46.	Alexandrum	Alexandrinum
100.	47.	tumulus	tumulos
104.	13.	facificij	facificium
106.	28.	præductio	prædictio
107.	4.	Ambrofij, Chryfoftomi,	Ambrofius, Chryfoftomus
107.	41.	fuis.	fui
115.	15.	Boffio.	Bouio.
119.	37.	Boffius.	Bonius.
119.	39.	3010.	310.
120.	14.	vasellum	vas vllum.
120.	15.	Pfichius	Ifychius.
120.	22.	Addo.	Ado.
135.	8.	diffufus.	diffufus
183.	21.	libro.	libri
184.	35.	adde post, Domini	1095.
185.	44.	Abelaten.	Atelaten.
187.	35.	Xantes Pagninus.	Santes Pagninus
189.	28.	adde post, Origenes he.	20. fu.
192.	17.	obicctus	obtectus.
198.	26.	Pf. 118.	119.
301.	13.	Pf. 118.	119.
316.	4.	Pf. 118.	119.

Typographus Lectori.

SI præter hic annotatos errores, alij præli vitio irrepperunt, quod facile fuit, præfertim in nominibus scriptorum, qui varij, & non adeo vulgariter noti pafsim ab auctore citantur: eos tu, amice lector, pro tua eruditione emendabis potius, quam me negligentia reprehendas. Ego enim nec fumptui, nec labori parcens, quam potui, diligentiam adhibui, vt liber catholicis documentis omnino refertus, cuius argumentum in exponendis rationibus facrorum ecclefiæ rituum præcipue verfatur, ad communem Christianæ reipublicæ utilitatem, ex hac officina prodiret. Vale, & bene nobis in Chrifto precare.

